MASTER NEGATIVE
NO. 93-81469-5

AUTHOR:

LEIBNIZ, GOTTFRIED WILHELM

TITLE:

OPERA PHILOSOPHICA QUAE EXSTANT ...

PLACE:

BEROLINI

DATE:

1840

Master Negative #

93-81469-5

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Works, Phil. 1839

Leibniz, Gottfried Wilhelm, *freiherr* **von, 1646–1716.**

God. Guil. Leibnitii Opera philosophica quae exstant latina, gallica, germanica omnia. Edita recognovit e temporum rationibus disposita pluribus ineditis auxit introductione critica atque indicibus instruxit Joannes Eduardus Erdmann ... Berolini, sumtibus G. Eichleri, 1840, '39.

2 v. in 1. front. (port.) 27cm.

Paged continuously.

Copy in Butler Library of Philosophy. 1840. '39.

I. Erdmann, Johann Eduard, 1805-1892, ed.

11—19545

Library of Congress B2553 1840

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 12x

IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB

DATE FILMED: 6/7/93 INITIALS BAP

FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202

Centimeter


Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.


GOD. GUIL. LEIBNITII

OPERA PHILOSOPHICA

OMNIA.



Stahlstich v. Gruzmacher · Berlin



G. W. LEIBNIZ
(Nat. 3 Jul. 1646 – mort. 14 Nov. 1716.)

Nach einem Originalölgemalde im Besitz des Dr. Kraukling zu Dresden

Berlin bei G. Eichler 1840

GOD. GUIL. LEIBNITII

OPERA PHILOSOPHICA

QUAE EXSTANT

LATINA GALLICA GERMANICA

OMNIA.

EDITA RECOGNOVIT E TEMPORUM RATIONIBUS DISPOSITA PLURIBUS INEDITIS AUXIT
INTRODUCTIONE CRITICA ATQUE INDICIBUS

INSTRUXIT


JOANNES EDUARDUS ERDMANN
PHIL. DOCT. ET PROF. PUBL. ORD. IN UNIVERS. HALENS. C. VITEBERG. CONSO(

PARS PRIOR.

CUM LEIBNITII EFFIGIE.

BEROLINI
SUMTIBUS G. EICHLERI.
MDCCCXL.





G. W. LEIBNIZ

GOD. GUIL. LEIBNITII

OPERA PHILOSOPHICA

QUAE EXSTANT

LATINA GALLICA GERMANICA

OMNIA.

EDITA RECOGNOVIT E TEMPORUM RATIONIBUS DISPOSITA PLURIBUS INEDITIS AUXIT INTRODUCTIONE CRITICA ATQUE INDICIBUS

INSTRUXIT

JOANNES EDUARDUS ERDMANN

PHIL. DOCT. ET PROF. PUBL. ORD. IN UNIVERS. HALENS. C. VITEBERG. CONSOC.

PARS PRIOR.

CUM LEIBNITII EFFIGIE

BEROLINI

SUMTIBUS G. EICHLERI

MDCCCXL.

FAVORI AC PATROCINIO

ACADEMIAE SCIENTIARUM REGIAE

BORUSSICAE

NOVAM HANC OPERUM PHILOSOPHICORUM

IMMORTALIS VIRI

GOD. GUIL. LEIBNITII

IPSIUS ACADEMIAE CONDENDAE AUCTORIS ET PRIMI PRAESIDIS

EDITIONEM

OBSERVANTISSIME TRADIT ET COMMENDAT

G. EICHLER.

L. B.

Cuique Leibnitii philosophiam indagaturo primum quod obstet hoc est, quod scripta ejus tam rara sunt, tamque ad inveniendum difficilia. Constat Philosophiae Germanicae genitorem in Germania editorem operum nondum invenisse, cum unica quae extet collectio instituta sit a Gallo, in Britannia degente, Ludovico Dutensio.*) Quum vero Dutensii editio non omnia contineat quae philosophiam spectent Leibnitii opera, adsumenda etiam sunt Posthuma quae Raspius edidit.**) Utramque vero operum Leibnitii collectionem frustra a bibliopolis quaeres, imo in publicis bibliothecis desiderabis et magni apud antiquarios tantum quos vocant emes. Accedit, quod sane dolendum, ut in Dutensii editione nulla pars tam negligenter composita sit, quam quae opera philososophica continet. Leguntur haec in voluminis secundi parte priore. Equidem cum non assentiar iis qui dicant, in collectione operum philosophicorum Leibnitii collocanda esse omnia quae Leibnitius unquam ipse invenerit, quippe quum non potuerit non philosophice scribere, editorem laudo, quod philosophica a mathematicis et philologicis aliisque operibus separavit. Deinde, cum non ignorem quam difficile persaepe sit dijudicatu, utrum scriptio aliqua philosophicae indolis sit an non sit, non objurgem editorem quod unum aut alterum opus inter philosophica non numeraverit, mea sententia ex iis non excludendum. Id vero in Dutensio jure vituperari potest quod in distribuendis Leibnitii operibus sibi ipse non consentit. Documento sit inscriptio voluminis quarti. Quod cum reapse contineat opuscula philosophica, quin itidem philosophiae titulo instrueretur, fieri non potuit. — Majoris momenti hoc est, quod Dutensius quem in ceteris voluminibus servaverat ordinem in hoc plane neglexit. Exempla afferam: Cum Dutensius nesciret, dissertationem de principio individui adhuc exstare, in Ludovicii vero biographia Leibnitii, theses inveniret ei dissertationi adnexas, has recepit, easdemque tanquam reliquias non in fronte operum philosophicorum posuit, sed iis subnexuit. Esto. Sed cur quaeso introductionem quam Thomasius Leibnitii dissertationi praemiserat, a thesibus segregatam in ipso voluminis secundi initio collocavit? — Alterum exemplum hoc sit: Fouchero, Leibnitium refutare conanti noster respondet. Eam responsionem p. 67, refutationem Foucheri posthac legimus p. 102. — Si denique adsumis, quod una eademque scriptio di-

---

*) Prodiit haec editio Genevae anno MDCCLXVIII, sex voluminibus complexa opera Leibnitii omnia, theologica, philosophica, mathematica, philologica. — Quodsi editio citatur Coloniae Allobrog. et Berolini anno MDCCLXXXIX. foras data, notandum est, hanc esse eam ipsam editionem novo tantum titulo instructam. Id quod facile patebit dum modo utramque editionem comparaveris et in utraque easdem inveneris mendas typographicas.

**) Oeuvres philosophiques de feu Mr. Leibniz publiées par Mr. Rud. Eric Raspe avec une préface de Mr. Kästner. Amst. et Leips. 1765. 4.

verso titulo bis recepta est, mecum L. B. optabis, ut editorem sicut in Mathematicis Mathematicus, ita in Philosophicis edendis vir adjuvisset philosophia qualitercumque imbutus. Haec est illius editionis indoles. Quae utrum effecerit ut Leibnitii philosophia usque ad nostrum tempus adeo negligeretur, an hac negligentia factum sit ut Leibnitii opera philosophica tam male edi potuerint, equidem non dijudicem. Hoc certe scio, in editione illa multa posse desiderari, et (si novissimum exemeris lustrum) Leibnitii philosophiam plus justo negligi.

Cum ante quatuor annos cum ad scholas acedemicas habendas, tum ad componendam meam Philosophiae recentioris historiam, in opera Leibnitii accuratius inquirerem, omnia illa quae innui mihi obvenere impedimenta. Quae ut amoverentur primum erat, opera Leibnitii in certum ordinem redigere. Qua in re elaboranti valde placuit quod proposuit Eichlerus bibliopola, ut in officina sua omnia Leibnitii opera philosophica denuo ederem. Erunt qui rideant si de editione critica loquar, cum de auctore agatur seculum abhinc defuncto, cujus opera dum ipse viveret typis expressa sint. At crescunt errores etiamsi in seculorum pulvere non radicentur. Vel apud eos, qui primi de Leibnitii operibus mentionem faciunt, multos reperire licet errores, qui inde ab eo tempore non correcti persaepe hodieque repetuntur. Nam, ut unum moneam, neque Jaucourto neque Ludovicio neque Dutensio fides habenda, cum de tempore agitur qua scriptio aliqua primum edita sit. Itaque necesse erat ut quodque opus, priusquam cum collectione mea concorporarem, eo loco investigarem quo primo vulgatum, et cum Dutensiana editione conferrem.

Duo praecipue erant, quae in instituenda mea editione observanda putavi. Primum, ut in certum ordinem opera philosophica Leibnitii redigerentur, e temporum rationibus disponenda ea judicavi. Qua in re eam secutus sum rationem, ut e libellis, quos ipse Leibnitius divulgavit, quemque ei anno adscriberem, quo primum typis excusus est. In operibus autem, aut post Leibnitii obitum aut nondum adhuc editis, ratiocinando tempus inveniendum erat quo conscripta esse veri simillimum esset. Adferam posthac argumenta, quae ut unumquodque opus huic potissimum tempori tribuerem, mihi suasere. Alterum, cum curarem ut, quantum possem, omnia congererem Leibnitii opera quae Philosophiam spectant, non solum multa quae in editione Dutensiana aliis classibus adscripta erant, sed etiam opera posthuma a Raspio edita editioni meae inserenda censui. Cum vero Raspius post Leibnitii obitum tam multa reperisset ingenii ejus monumenta, cur non speraverim fore ut, fonte illo non plane exhausto, Hanoverae in bibliotheca Regia opera Leibnitii invenirem nondum edita et digna quae foras darentur. Quaerenti mihi per literas, summus Regii tabularii et bibliothecae praefectus, cl. Pertzius, ea cum benignitate respondit, quam amici antea jam laudaverant, quam postea ipse expertus sum. Scripsit enim, multa in bibliotheca illa esse Leibnitii MSS. nondum edita etiam ad philosophiam pertinentia. Simul auxilium dum venerim promisit. Neque me fefellit vir generosus. Quippe cum autumno anni MDCCCXXXVI. Hanoveram me contulissem, mox mihi aperta sunt illa scrinia quorum me desiderium allexerat. Quum in bibliotheca Regia schedae Leibnitianae secundum argumenta et indolem jam sint dispositae, primo obtutu vidi, me non frustra venisse. Nam praeter illa quae edidit Raspius, duodecim ibi asservantur

fasciculi qui autographa Leibnitii continent philosophici argumenti, quorum multa nondum edita sunt. Plurima quidem non nisi fragmenta sunt, operum sola exordia, nec, cum saepe unam eandemque commentationem ter quaterve inchoaverit, repetitiones desunt, ita ut editorem eligere oporteat quae gravissima et maxime perfecta, resecare quae minus confecta videantur aut nihil contineant quam, quod in editis jam melius dictum est. Itaque ex illis schedis viginti tres elegi editioni meae inserendas. Quae scriptiones maxima ex parte ad illam pertinent scientiam quam Leibnitius modo mathesin universalem, modo scientiam generalem, modo calculum ratiocinatorium appellavit, de qua juvenis jam somniaverat quamque senex curare non desiit. Quum Raspius duas tantum commentationes ediderit easdemque breviores quam quae scientiae illius naturam perspicue monstrent, equidem e multis fragmentis quae perlegi ea concinnare studui, quae mihi visa sunt et gravissima et ad permagni illius moliminis naturam perspiciendam aptissima. Et cum in his schedis una sit, quae totius operis oeconomiam contineat, spero lectori idem eventurum esse quod mihi, ut quodam modo introspiciat aedificium, cujus singulae tantum columnae eaeque mancae nobis restant.

Antequam ad enumerandas singulas commentationes Leibnitii transeam, et singulis titulis, quae annotanda censeo, addam, una res non est praetermittenda, ne de opera mea severius judicetur. Finitus erat colligendi labor abhinc tres annos et dimidium, et eodem tempore chartae bibliopolae traditae sunt ut statim prelo subjicerentur. Mea non accidit culpa, ut dilata sit impressio in mens. Febr. anni MDCCCXXXVIII. indeque tam tarde progrederetur ut amplius biennium consumtum sit. Ex quo tempore libri prodiere, inedita Leibnitiana continentes (dico prae ceteris cl. Cousini fragmenta philosophica Parisiis edita), quae nunc, ne temporum ordinem turbarem, aut plane omittere debui, aut non eo quo convenit loco inserere potui.

Commentationes Leibnitii, quae in editionem meam recepi, hae sunt:

I. Dissertatio metaphysica de principio individui, quam Leibnitius anno MDCLXIII. editam publice defendit. Quam dissertationem in Ludovicii manibus fuisse ex opere ejus (Ausführlicher Entwurf einer vollständigen Historie der Leibnitzischen Philosophie. Leipzig 1737 p. 37.) apparet. E quo Dutensius, ipsam Dissertationem deperditam ratus, theses a nostro defensas exscripsit. Unicum ni fallor hujus dissertationis exemplar in Bibliotheca Regia Hanoverana exstat. Cujus videndae cum multi quorum interest occasionem non habeant, bene meruit de historia Philosophiae doct. Guhrauerus, cum ante tres annos denuo eam ederet, et introductione instrueret.*) Cui editioni quod mea non ad verbum respondet ne mireris quaeso, quippe cum nimis festinanti calamo editor dissertationem Leibnitii transscripserit, ita ut, quod valde dolendum est, ei non paucae mendae, eaeque gravissimae, exciderint. — Haec nostri dissertatio non solum ideo memoratu digna est, quod primum specimen est ejus ingenii, sed etiam quia ex ea apparet quam accurate versatus fuerit in ea scholastica philosophia, quam hodie Leibnitii admiratores quo magis ignorant

*) Leibnitz's Dissertation de principio individui, herausgegeben und kritisch eingeleitet von Dr. G. E. Guhrauer. Berlin 1837.

eo magis detestantur. Sunt qui magni id aestiment momenti, quod Leibnitius scholasticus Nominalium potius quam Realium partes secutus sit. Sed, etsi non ignoro in ea quam postea professus est philosophia plus cognationis esse cum Nominalismo quam cum Realismo, tamen quod scholastizans Nominalium partes tenuit, nihil portendit. Scilicet omnes qui hoc tempore scholasticae philosophiae adhaerebant Nominalium sectatores fuisse constat. Majoris mihi videtur momenti argumentum hujus dissertationis; quod tantum enim abest, ut casu sibi sumserit, ut multos post annos eum videamus eandem rem pensitantem. Exstat enim Hanoverae fragmentum autographum anno MDCLXXVI. conscriptum, initium continens commentationis inscriptae: Meditatio de principio individui. Quae, etsi ita comparata erat, ut recipi a me non posset, tamen, quam grave Leibnitio hoc argumentum visum fuerit, satis docet. Et cum tota ejus philosophia in eo posita sit ut singulorum entium substantia ac valor (contra Spinozam potissimum) defendatur, Fr. Henr. Jacobio assentior, qui notatu id dignum censuit, quod prima Leibnitii scriptio de principio individui egerit.

II. Dissertatio de arte combinatoria, quae anno MDCLXVI. primum edita apud Dutensium legitur Vol. II, P. I. p. 341. — Cum haec dissertatio non solum arithmetica sit, sed in ea calculus combinatorius ad argumenta etiam logica adhibeatur, cum porro in magno illo de scientia generali opere, quod postea noster moliretur, ars combinatoria suum tenere deberet locum, adnumerandam eam esse libris philosophicis censui. Primas hujus dissertationis plagulas sub titulo dissertationis arithmeticae antea jam, pro loco in facultate philosophica obtinendo, ediderat Leibnitius. V. quae de hac re notavimus in nostra editione p. 11.

III. Confessio naturae contra Atheistas, continet specimen demonstrandi existentiam Dei animique immortalitatem. Quam confessionem, anno MDCLXVIII. conscriptam, Dutensius operibus theologicis adnumerat; quare in volumine I. ejus editionis legitur. Quum vero theologiae rationalis et philosophiae regnum difficile sit disjunctu, cumque ipse Leibnitius in subjecta epistola ad Thomasium hanc demonstrationem tamquam solitis accuratiorem citet, inserendam eam collectioni statui. Etsi Leibnitius ipse dolet, »quod mendosissime illud schedion impressum est. Inprimis sorites ille, quo demonstrare conatus sum immortalitatem animi, mutatis linearum initialibus mire perturbatus est,« — tamen non potui quin exhiberem sicuti in Spizelii Epistola ad Ant. Reiserum de eradicando Atheismo Aug. Vindel. 1669. legitur. Sequitur

IV. Epistola ad Thomasium, anno MDCLXIX. conscripta et sequenti anno cum Leibnitii editione Nizolii primum edita. Dutensius ei locum dedit in Vol. IV. p. 7. seqq. At quis dubitet quin locum hic merita sit, cum tam clare quid de historia Philosophiae, quid de Philosophis antiquis noster senserit, doceat.

V. Dissertatio de stylo philosophico Nizolii, quam una cum epistola modo laudata in praefatione operis legimus anno MDCLXX. editi: Marii Nizolii de veris principiis et vera ratione philosophandi contra Pseudophilosophos libri IV, inscripti illustrissimo Baroni a Boineburg ab editore G. G. L. L. Francof. 1670. 4. — Titulus quem Jaucourtus citat: Antibarbarus philosophicus etc., quo liber Nizolii instructus erat quum

primum foras daretur, postea alteri editioni Leibnitianae (Francof. 1674.) iterum inscriptus est.

VI. De vita beata. Quo nomine conservatur Hanoverae commentatio, latine et germanice conscripta. Latina alia manu, nescio an Leibnitii jussu, etiam transcripta exstat. Quam ut huic circiter tempori adscribam multa sunt quae suadeant. Imprimis magna cum Cartesio et Spinoza cognatio. Ipse Leibnitius confitetur se juvenem Cartesianismum, imo Spinozismum redoluisse; quod lubenter credes si inter schedas Leibnitianas Hanoverae videris excerpta facta e Spinozae Ethica tam accurata ut e libro I. et libro IV. ne una quidem propositio omissa sit, et excerptis haec verba inscripta: »haec partim mea, partim aliena, aliena vero corrigenda.« Constat mature nostrum ab illis discessisse. Cum vero hanc inspexeris commentationem, integrum invenies Cartesianum: invenies in prima parte totidem verbis illud Cartesii, quod haud ita multo post Leibnitius tamquam minus firmum reprobavit, »ut nihil unquam veluti verum admittamus, nisi quod tam clare et distincte rationi nostrae patet, ut nullo modo in dubium »possit revocari,« — invenies in altera parte Cartesii illam sententiam qua judicare est velle, — obveniet tibi cum de affectibus Leibnitius loquitur, eosque Cartesiano modo tamquam libertatis inimicos tractat, tritum illud Cartesii: »quod fides non habenda sit ei »a quo aliquoties decepti fuimus,« — videbis eum Cartesii more factum a consilio separantem, illud huic postponentem, — leges eum meditandi ordinem laudatum, quem iisdem fere verbis Spinoza in tractatu de intellectus emendatione commendaverat. — Quodsi vero expectaveris cum de officiis erga alios homines agatur, illam tibi obventuram esse amoris definitionem quam postea ipse tamquam Ethices fundamentum laudat, frustra eam quaeres; quem hoc loco laudat Dei amorem (p. 74.) idem est ac Spinozae amor intellectualis; — non minus spes te fallet, si quaesieris harmoniae praestabilitae mentionem, nam loquitur quidem de arcta inter animam et corpus unione, sed ut Cartesiani loqui solent, quippe quod »cogitationes corporis motus ab ineunte aetate comitatae sunt,« — quaerenti, num Leibnitius jam, sicut postea, animam nunquam sine corpore existere ideoque totum animal immortale esse statuat, haec commentatio respondebit: »consideranda est mentis nostrae (hoc est substantiae quae in nobis conscia est) natura, quatenus absque corpore consistit atque illo longe nobilior est etc. Hinc enim nos »immortales esse, illinc caducis corporibus brevi perituris conjunctos.« — Denique si rogaveris num Leibnitius, cum hoc scriberet schedion, jam invenerit illud argumenti ontologici quod dicunt vitium, quod anno MDLXXVIII. jam vituperaverit (cf. Nr. VIII. huj. ed.), et cui postea mederi studuit, respondendum erit negando, nam in hac ipsa commentatione illud argumentum iisdem fere verbis proponitur quibus Cartesius et Spinoza utuntur. Quae cum ita sint, argumentis internis adductum me confiteor, ut hanc commentationem ei adsignem tempori, quo Leibnitius a Cartesii et Spinozae autoritate non plane sese liberaverat. Accedit, quod ductus literarum, quibus hoc schedion conscriptum, idem est, quem in fragmentis quibusdam Ethicis Hanoverae vidi, quibus Leibnitius titulum dedit: De affectibus, et cui inscriptum est: d. d. 12. Apr. 1669. Haec fragmenta quinque plagulas continent et cum Cartesii de hac re sententiis mire concinunt.

VII. Dialogus de connexione inter res et verba et veritatis realitate, quem Raspius primus edidit, secundum ipsius Leibnitii testimonium anno MDCLXXVII. conscriptus est.

VIII. Epistola ad Conringium de Cartesii demonstratione existentiae Dei primum a Ritmeiero edita, anno MDCLXXVIII. conscripta apud Dutensium legitur Tom II. P. I. p. 264.

IX. Meditationes de cognitione veritate et ideis, quae anno MDCLXXXIV. actis Eruditorum Lipsiensium insertae in editione Dutensii Tom. II. P. I. p. 14. leguntur. Adjeci huic tractatui locum ex epistola ad Bernoullium scripta excerptum, quo axioma, partem minorem esse toto, demonstrare studet.

X. Epistola ad Seckendorffium, quam in Seckendorffii libro: Christenstaat Lpz. 1685. primum editam Dutensius editioni inseruit l. c. p. 164.

Sequuntur (XI—XXII.) duodecim fragmenta Leibnitiana nondum antehac edita. Quae diversis temporibus conscripta esse bene scio. Tamen ut, ratione temporum posposita, omnia hoc uno loco insererem, haec sunt quae suaserunt. Omnia haec schedia illud Leibnitii consilium spectant, methodum philosophicam ad calculum quendam reducendi. In Dutensii editione, si nonnullas exceperis epistolas quibus de amicis conqueritur, scilicet quod chimaericum id consilium existiment, de hac re plane non fit mentio. Raspius in posthumis Leibnitii operibus duas quidem edidit commentationes, quae huc pertinent e quibus me quidem conjicere non potuisse, qualis fuerit ille calculus et quo modo perficiendus Leibnitii arbitrio, lubentur confiteor. In autographis Leibnitianis multae reperiuntur schedae, quae, diversis temporibus conscriptae, de hac ipsa scientia generali tractant. Quae etsi mancae sint, et exordia tantum exhibeant, tamen manifestum reddunt, quomodo ipse Leibnitius illam sibi finxerit. Aliae enim cur desideranda sit haec scientia docent, aliae non metuendum esse monent ne ipsae cogitatio in nudum calculum vertatur, aliae denique tabulam exhibent capitum in tali opere tractandorum. His indiciis nisus ita singula fragmenta concinnavi, ut minus temporis rationem consulerem quam eo ordine disponerem, quem ipse in oeconomia operis tamquam legitimum indicavit. Restat vero ut probem, cur, etiamsi in eundem locum congregari debuerint, hunc potissimum his fragmentis dederim. Quodsi respondero maxima ex parte circa hoc tempus ea conscripta esse, unde hoc sciam dicendum erit. Quum certiora deessent indicia uni confidendum erat, quod etsi firmissimum non putem, tamen plane despiciendum non censeo, dico literarum ductum et formam scripturae. Memor quidem eram sententiae quam celeberrimus Galliae juris consultus in diffamata illius temporis causa tulit, eos qui de chirographis judicent sicut haruspices sese invicem videre non posse quin riderent. Attamen hoc ultimo utendum erat refugio. Comparanti Leibnitii autographa tres diversae se praebent literarum formae. Vidi autographa literis minusculis conscripta iisque etiam in vocibus latinis talibus, quae inter scripturam gallicam et germanicam medium tenent, ejus fere formae, qua multi docti Saeculi XVII. et XVIII. uti solebant. Talem scripturam e. gr. in autographo quodam invenies, quod sententias accademica disputatione defendendas continet, quibus, ab alio ut mihi videtur propositis, Leibnitius opponendas suas sententias adscripsit. Perpaucae sunt schedae in quibus hoc pingendi genus inveni, eaeque omnes aetate juvenili conscriptae. Mutatur deinde Leibnitii scribendi modus quum literis majoribus tractuque literarum praesertim finalium tam eleganti scribat, ut sibi placuisse videatur in pingendo. Vidi quidem hanc literarum speciem in autographis anno MDCCX. conscriptis, sed tamen rarior est post saeculi XVII. finem. Ex eo tempore literae minores apparent, et negligentius ac manu etsi non tremente tamen minus firma, saepe calamo male temperato pictae, saepe lectu difficiles sunt. (Cadit hoc e. gr. in specimen contra Lockium anno MDCCIV. conscriptum, quod Raspius edidit). Haec indicia quam ambigua sint, haud ignoro, sed aliis signis carentem incertis contentum esse oportet. Itaque statui, ut omnia scripta in quibus elegantiorem illam literarum speciem invenirem, nisi certa argumenta contrarium suaderent, iis adnumerarem, quae ante saeculi finem conscripta essent. Atqui de maxima parte tractatuum subsequentium hoc valet. Itaque, cum supra dictum sit cur omnes de scientia generali scriptos in eundem locum congregandos putaverim, spero lectorem de loco iis assignato non fore iratum. Pergam in enumerandis libellis:

XI. De scientia universali seu calculo philosophico. Hanc commentationem, cui ego titulum indidi, cum scheda Leibnitiana inscriptione careat, in fronte horum fragmentorum posui, quia quid sibi velit ille calculus delineat, atque rejicit absurdam consequentiam, quasi per illum calculum novae veritates creari possint sine labore et omnis ingeniorum diversitas tolli debeat. Citat artem combinatoriam tamquam **olim** compositam, citat etiam Meditationes anno 1684. actis Eruditorum Lipsiensium insertas, sed non indicat quantum temporis exinde effluxerit, ita ut vix quidquam conjici possit. Ex illis quae de meritis suis in analysi dicit, conjecerim hoc fragmentum paulo serius scriptum esse quam sequentium nonnulla.

XII. Initia scientiae generalis de nova ratione instaurationis et augmentationis scientiarum, ita ut exiguo tempore et negotio, si modo velint homines, magna praestari possint ad felicitatis humanae incrementum. — Titulum hunc longiorem ipse Leibnitius fragmento indidit, quod tamquam indicem continet vel promissionem eorum quae, scientia generalis praestare debeat aut queat.

XIII De natura et usu scientiae generalis. Inscriptio mea est. Haec commentatio praefationis speciem habet aut introductionis.

XIV. Synopsis libri, cui titulus erit: Scientia nova generalis pro instauratione et augmentis scientiarum ad publicam felicitatem. Inserui hoc fragmentum, cui ipse noster titulum inscripsit, quia inde apparet, quam imaginem universi literarum orbis Leibnitius (provectiore ni fallor aetate) animo conceperit, quoque modo in unum redigere conatus sit scientiae summam. Praeterea hoc fragmentum ostendit, Leibnitium quae in mathematicis et physicis eo tempore jam praestiterat semper referenda putasse ad molimina philosophica.

XV. Guilielmi Pacidii Plus ultra, sive initia et specimina scientiae generalis de instauratione et augmentis scientiarum ac de perficienda mente rerumque inventionibus ad publicam felicitatem. — Oeconomia operis. Inscriptio Leibnitiana. In synopsi modo laudata jam innuerat autor nominis

dissimulationem; alium hic atque in illa indicat disciplinarum seriem, metaphysicam, ibi omissam, introducit eandemque cum theologia conjungit. Cum mentionem etiam faciat Matheseos suae generalis, equidem cum Hanoverae legerim autographum idemque transcriptum possideam quod, octo complectens folia, inscriptum est: »Idea libri, cui titulus »erit Elementa nova matheseos universalis,« — diu haesitavi utrum insererem an non. Sed cum sit fragmentum mancum, praesertim vero cum tota ejus indoles sit mathematica, omisi. Sunt Hanoverae tam multa autographa mathematica nondum edita, ut non possim quin sperem fore ut mathematicum editorem reperiant, cui hoc etiam edendum relinquatur.

XVI. Guilielmi Pacidii initia et specimina scientiae generalis. Prodit exordium autorem juvenilem. Inscriptionem ego fragmento indidi, quo operis promissi initia auctor lectoribus offert.

XVII. In specimina Pacidii introductio historica. Hanc dedi inscriptionem fragmento Leibnitiano, quo aliter ac supra exorditur. Multa praeter hoc vidi schedia, quibus iisdem fere verbis eadem quae hic narrantur, ita ut credam, Leibnitium siquidem opus illud edidisset, hoc fere modo exorsurum fuisse. Ceterum hoc fragmentum mea opinione multo post ea conscriptum est, quae supra attulimus. Suadet hoc non solum scripturae species, suadent imprimis hae juventutis memoriae, quibus aetas provectior delectari solet. Nescio an e fine hujus fragmenti conjiciam, Leibnitium cum scriberet jam hausisse regiae aulae aërem.

XVIII. Fundamenta calculi ratiocinatoris, fragmentum ab ipso Leibnitio ita inscriptum. Ostenditur hic quomodo scientia universalis cum usu signorum seu linguae charactericae cohaerere ipsi visa sit.

XIX. Non inelegans specimen demonstrandi in abstractis. Titulus ab ipso Leibnitio inscriptus, postea obliteratus, juvenilem prodit aetatem. Quanti ipse autor hanc commentationem aestimaverit e correctionibus patet, quibus diversis temporibus (ut literarum species prodit) eam castigavit.

XX. Addenda ad specimen calculi universalis, eodem fere tempore quo specimen illud conscripta esse literarum species testatur. Neque argumentum repugnat.

XXI De veritatibus primis. Hanc commentationem etsi seriore tempore conscriptam puto tamen ob argumenti similitudinem hoc loco posui. Eandem secutus sum rationem in edendis

XXII. Definitionibus logicis, quae nondum antehac typis expressae erant. Quibus

XXIII. Difficultates quasdam logicas, a Raspio jam editas, subjunxi. —

XXIV. Extrait d'une lettre à Mr. Bayle. Hanc epistolam, anno MDCLXXXVII. conscriptam, quam ipse Leibnitius memorat, scribens: »La loi de continuité, que j'ai introduite, et dont j'ai fait la première mention dans les nouvelles de la république des lettres,« — Dutensii editio non exhibet. Equidem eam inserui cum illa lex naturae de qua tamquam a se inventa saepius sibi gratulatur noster, hic primum exposita sit. Accedit ut demonstrationibus mathematicis abstineat ad virum scribens etsi sagacissimum, matheseos tamen imperitum.

XXV. Lettre à Mr. Arnauld. MDCXC. — Hanc epistolam maximi censeo momenti esse, quippe in qua tam accurate metaphysicam suam exposuerit Leibnitius, et quae cum aliis ad eundem Arnaldum epistolis philosophiam ejus primum in notitiam doctorum protulerit. Quare doleo, quod quonam tempore primum typis expressa sit definire non possum. Dutensius, qui ipsum autographum Leibnitii ab Herissantio acceperat, Ludovicii narrationem secutus, eam jam impressam dicit in Diariis doctorum Gallorum (Journal des Savans) anni MDCCXXX. In his tamen frustra eam quaeres. Reperitur quidem in aliis memoriis gallicis haec epistola, quae inscribuntur: »Continuation des mémoires de litérature et d'histoire Tom. VIII. Partie I. Paris 1729 p. 211. seq.« sed non dubito, quin jam antea haec epistola edita fuerit. Illa quidem verba, quae in literis legimus d. d. $\frac{3}{13}$ Oct. a. 1695. Magliabecchio missis: »Curavi nonnulla diario Gallico in»seri, quae mihi olim de altiore quadam philosophia cum Antonio Arnaldo, Theologo et »Philosopho insigni fuere agitata. — Haec diu pressa magnorum in ipsa Gallia virorum »hortationibus impulsus dissimulato licet nomine tandem publicis judiciis submisi« — de hac epistola non sunt intelligenda, sed de »novo ejus systemate,« quod in editione nostra locum Ni. XXXVI tenet. Gravioris sunt momenti, quae in epistola quadam ad Burnetum data ($\frac{8}{18}$ Maji 1697) legimus, quibus illam ad Arnaldum epistolam aut jam impressam aut saltem pluribus doctis viris notam fuisse patet. — Praeter quam plures extitisse Leibnitii ad Arnaldum epistolas, easque non contemnendas e literis patet ad Bignonium anno MDCCVIII missis, quas cl. Federus in: Commercii epistolici Leibnitiani typis nondum vulgati Selectis speciminibus, Hanov. 1805 p. 275—278, vulgavit. In quibus haec leguntur Leibnitii verba: »J'ai eu autre fois un commerce de lettres avec l'il»lustre Mr. Arnaud sur certains points de philosophie et de théologie naturelle, que je »suis prêt à revoir et à mettre en ordre à la prière de quelques amis.« Quod commercium epistolicum editor epistolarum Arnaldi in manibus se habuisse ipse testatur. Ita enim dicit »En cherchant des Manuscrits de M. Arnauld, il nous est tombé »entre les mains un certain nombre de lettres originales du célèbre Leibnitz à ce Doc»teur,.... On voit par ces lettres que Leibnitz a été en correspondance avec M. Ar»nauld pendant huit ou neuf ans depuis 1683 jusqu'en 1691; — Les lettres de Leib»nitz dont il s'agit n'ont jamais été imprimées. Elles roulent sur les différens objets qui »ont toujours occupé ce philosophe. Plusieurs.... entrent dans la plus grande discution »sur des questions de Métaphysique extrêmement subtiles et relatives au système de »Leibnitz sur les Monades. Nous ne connoissons aucun ouvrage de Leibnitz où il ait »traité ces questions avec autant de profondeur.« Dedit quidem editor ille fragmenta quaedam ex epistolis Leibnitianis (p. 186—203), sed quodnam in excerpendo secutus sit consilium, ipsa ejus verba lectori benevolo indicent: »Nous n'hésiterions pas de donner »toutes ces lettres au Public, si nous avions pu en même tems lui donner les réponses »de M. Arnauld. Mais celles-ci nous manquent. Nous croyons devoir laisser aux éditeurs

---

*) Lettres de Messire Antoine Arnauld, docteur de la maison et société de Sorbonne, à Paris et se vend à Lausanne chez Sigismond d'Arnay et Comp. 1776. 4. Tom. IV. p. 185.

»des oeuvres de Leibnitz le soin de donner en entier toutes ses lettres.... Nous avons »pris le parti d'en donner ici des extraits. Nous en avons retranché les discutions mé»taphysiques qui nous ont paru trop subtiles et trop alambiques pour être agréables à »nos Lecteurs, et peut-être même trop dangereuses dès-là que nous ne pouvions pas »y joindre les répliques de Mr. Arnauld.« — Itaque evenit, ut in his fragmentis nihil invenias, quod consilio hujus meae editionis respondeat. At, quasi cupediis nos allicere voluisset, editor iste fragmentis suis annotationes adspersit, quae, quam gravia sint quae reticuerit, monstrant. Veluti ex epistola Leibnitiana d. d. 12. Apr. 1686 nihil inseruit p. 190. nisi paucissima verba praeconium Arnaldo tribuentia, iisque hanc subnexuit annotationem: »Nous supprimons le reste de cette lettre qui est très longue. Mr. Leibnitz »y développe son système, que la notion ou considération individuelle d'Adam ou de »toute autre personne enferme une fois pour toutes la connoissance de ce que lui arri»vera à jamais et à sa postérité.« Similiter in epistola d. 14. Jul. 1686 conscripta Leibnitius multa de possibili et actuali disseruerat. Quibus omissis editor lacunam his indicat verbis (p. 193.): »Mr. Leibnitz emploie trois grandes pages à rendre ses pensées in»telligibles, et à en faire voir, dit-il, la solidité et l'importance.« Multo graviora videntur fuisse, quae Leibnitius scripserat d. 28. Nov. 1686; cujus epistolae initium (l. c. p. 195) haec continet Leibnitii verba: »Pour ce qui est des deux difficultés que vous trouvez »dans ma lettre, l'une touchant l'hypothèse de la concomitance ou l'accord des »substances entr'elles, l'autre touchant la nature des formes des substances corporelles, »j'avoue qu'elles sont considérables, et si j'y pouvois satisfaire entièrement, je croirois »pouvoir déchiffrer les plus grands secrets de la nature universelle.« Avide roganti num hoc ipso tempore Leibnitius integrum systema harmoniae praestabilitae jam exstructum, aut certe initia ejus inventa habuerit, editor respondet (p. 195) »Leibnitz »emploie près de huit grandes pages à répondre à ces deux difficultés.« — Haud aliter epistolae Gottingae d. 30. Apr. 1687 conscriptae non nisi exordium legimus (p. 196), cui subjuncta est haec annotatio: »Tout le reste de cette lettre de dix grandes pages »est employé à la discussion des deux difficultés mentionnées dans la lettre précé»dente.« — Iisdem denique verbis exspectationem nostram frustrat editor, cum (p. 197) epistolae d. 9. Oct. 1687 conscriptae solum exordium et finem exhibeat, illam vero partem, quae ipsum argumentum tractet, omittat, ejusque in loco haec verba ponat: »M. Leibnitz fait ici en près de treize grandes pages la récapitulation de toute la ma»tière, après quoi il finit ainsi etc.« — Quibus omnibus collatis neminem profecto latebit, ad accuratius cognoscendam philosophiam Leibnitii hoc maximi esse momenti, ut eae epistolae in lucem edantur. Et cum ea sit felix hominum indoles ut, quae cupido et desiderium prosequantur, ea spes ostendat tamquam adeptu facilia, multi ni fallor, qui in Federi collectione supra laudata hanc annotationem legerint, illi ad Bignonium epistolae adjunctam: »Les lettres non imprimées d'Arnauld et de Leibnitz, que la Bibliothèque »garde, ont été demandées en copies par Msgr. le Maréchal Mortier pour un savant »de Paris, c'est pourquoi je me suis abstenu de les insérer ici, ne voulant pas concou»rir avec le dessin qu'on pourroit avoir en France de les faire imprimer,« — id non curabunt quod Federus numerum epistolarum non indicat, sed statim credent, in bibliotheca Regia Hanoverae esse epistolarum Leibnitii ad Arnaldum datarum, de quibus modo locuti sumus, aut omnes, aut certe multas. Itaque non dubito, quin multi exprobraturi sint mihi, quod, cum editioni meae inseruerim fragmenta inedita minoris momenti, has ipsas epistolas non exhibeam. Cui opprobrio hanc opponam excusationem: Exstat quidem Hanoverae inter fasciculos, quibus Federus commercia epistolica Leibnitiana distribuit, unus, cui Arnaldi nomen praescriptum est, in quo tamen sicut Arnaldi ad Leibnitium complures ita Leibnitii ad Arnaldum epistolas nullas invenies. Adnotavit ad hunc fasciculum Federus, exstitisse olim in Bibliotheca Regia binas Leibnitii ad Arnaldum literas, unas latinas, alteras gallicas easque nil nisi verba officiosa continentes: utrasque vero eo ipso tempore, quo Arnaldi epistolae Mortieri Mareschalli jussu transscriberentur, una cum apographis illis Mareschallo traditas esse. Atqui cum Bibliotheca Regia exemplum transscriptum ejus epistolae non retinuerit, neque ego conjicere possim quo abierit, amplius investigare non potui. Mea quidem opinione epistolae illae, ubi anno MDCCLXXVI erant, ibi etiam nunc reperiantur necesse est, Parisiis. Quam urbem cum visendi occasio mihi usque ad hunc diem non facta sit, nunquam fortasse se oblatura, me ipsum eas epistolas inventurum non spero. Neque tamen desperamus fore ut hae epistolae recuperentur et integrae in lucem prodeant. Nam cum Ill. Cousinus, vir cui tam multos jam debemus literarum thesauros obrutos hucusque deperditosque creditos, Parisiis floreat et nuperrime in nostrum potissimum autorem oculos converterit, cujus rei praeclarum ejus fragmenta philosophica exhibeant documentum, rem paene actam putamus. Etsi non licuerit exspectari, ex quo universis Galliae rebus scholasticis praesit, ipsum hoc sibi sumturum esse negotium, tamen illud ipsum munus publicum copiam ei faciet impellendi juniores ut rem haud indignam aggrediantur. Equidem cum mihi non patuerit aditus ad omnes epistolas, quas Leibnitius Arnaldo scripserat, gavisus sum quod haec ipsa — ultimarum una — inseri meae editioni potuit. Cui addidi excerptum ex epistola ad Bernoullium scripta, quae fusius explicat quomodo non solum quantitas virium motricium eadem semper maneat, sed directio etiam motuum in aeternum sese conservet. Constat, in hac lege semper Leibnitium niti, cum sua harmonia praestabilita Cartesianorum occasionalismum quem vocant repugnare studeat.

XXVI. De vera methodo philosophiae et theologiae. Hanc scriptionem, nondum antea editam, Hanoverae in Bibliotheca Regia transscripsi, eique hunc dedi titulum. Neque reprehendi me posse credo quod eam non propius ad collectionis initium posuerim. Argumentum docet, autorem a Cartesianismo longe discessisse, multaque retractasse quae juvenis docuisset. Reprehendent forsan alii contrarium, quippe provectioris aetatis opus esse contendentes. Vix credo. Conferantur modo quae hic dicuntur de Eucharistia cum iis, quae postea cum Patre Des Bosses communicavit de hac ipsa re: nec latebit discrimen. Praeterea ex hac schedula elucere mihi videtur, eo ipso tempore metaphysica ejus dogmata nondum nota fuisse, etsi ad ea respiciatur, quae in dissertationibus de motu abstracto et concreto docuerat. Denique ut hunc ipsum ei adscriberem locum, suasit argumentum articulorum sequentium, cum quibus arcte cohaereant, quae hic de corporum extensione dixerat.

XXVII. Lettre sur la question, si l'essence du corps consiste dans l'étendue, et

XXVIII. Extrait d'une lettre pour soutenir ce qu'il y a de lui dans le Journal des Savans du 18. Juin 1691. Cum haec sit horum tractatuum ratio, ut unus alterum explicet defendatve, unum alteri subjunxi, etsi biennii intervallo distant. Uterque, Diario gallico primum insertus, in collectione Dutensii legitur.

XXIX. Extrait d'une lettre à Mr. Foucher. Scripta est haec epistola anno MDCXCII. Cui cum Foucherus responderet responsioneque explicationem Leibnitii provocaret, Foucheri etiam epistolam inserui:

XXX. Extrait d'une lettre de Mr. Foucher, quam excipit

XXXI. Réponse de Mr. Leibniz à l'extrait de la lettre de Mr. Foucher. Ternae hae literae in Diario gallico primum editae, apud Dutensium etiam leguntur.

XXXII. De notionibus juris et justitiae. Excerpta sunt quae hic leguntur e praefatione operis Leibnitiani, anno MDCXCIII conscripti, »Codicis juris gentium diplomatici.« In illa praefatione primo eam posuit amoris definitionem, quam saepissime postea tanquam unice veram eandemque accuratam laudare solebat. —

XXXIII Extrait d'une lettre à Mr. l'abbé Nicaise sur la philosophie de Mr. Descartes. Eo ipso anno, quo Leibnitius hanc ad Nicasium epistolam scripserat, illa verba quae pertinent ad Huetii Censuram Philosophiae Cartesianae in Diario gallico typis expressa sunt, e quo Dutensius recipiens ea cum editione sua concorporavit Vol. II, 1. p. 243. Ex eodem fonte ego hausi. Quum in mea editione jam impressa essent illa verba, edita sunt cl. Cousini fragmenta philosophica, quae in volumine secundo praeter alias Leibnitii ad Nicasium epistolas, hanc etiam exhibent, eamque integram sicuti scripta est a Leibnitio nobis offerunt. Quod si illud viri clarissimi opus in manus mihi venisset priusquam hic articulus typis excuderetur, non dubito quin integram epistolam recepissem. Quum vero haec epistola praeter illa verba editioni nostrae inserta nihil plane contineat argumenti philosophici, sed tota sit de illius temporis inventis, de libris nuperrime editis, vel denique de viris doctis Galliae, editionem detrimentum cepisse non credo. Ceterum errat cl. Cousinus cum putat, ea quae apud Dutensium legantur, in Vol. V, et quae excerpta sint ex epistola ad amicum quendam Nicasii missa, eadem esse cum his. Etenim nonnulla tantum verba similia sunt, quod sane non mirandum, cum argumentum idem sit. Indicavimus modo verum apud Dutensium locum, quo quae ad Nicasium de hac re scripserat noster, licet decurtata, leguntur.

XXXIV. De primae philosophiae emendatione et de notione substantiae, tractatus in Actis Eruditorum Lipsiensium anno MDCXCIV primum editus, in Dutensii collectionem receptus.

XXXV. Lettre à un ami sur le Cartésianisme, scriptiuncula in Felleri Otio Hanoverano primum edita. Quum Leibnitius de rixa loquatur, quae ei sit cum Cartesianis, quod Cartesii errorem in aestimanda quantitate motus reprehendisset, cumque hae disceptationes, etsi anno MDCLXXXVII jam inceptae, tamen anno MDCXCVII nondum finitae essent, Fellerum secutus sum, qui hanc epistolam anno MDCXCV conscriptam esse testatur.

XXXVI, Systéme nouveau de la nature et de la communication des substances, Commentarius quem dissimulato nomine autor in Diarium Gallicum inseri curavit anno MDCXCV; quo, ut ex epistola ad Magliabecchium supra laudata et ex ipsius hujus scriptionis initio elucet, ea continentur quae cum Arnaldo jam antea communicaverat. Sequuntur quae Foucherus Leibnitio opposuit:

XXXVII. Réponse de Mr. Foucher à Mr. Leibniz sur son nouveau système. Quae cum inserta essent Diario gallico anni MDCXCV, Leibnitius quae rursum respondisset eidem diario inseri curavit:

XXXVIII. Eclaircissement du nouveau système de la comunication des substances, pour servir de réponse au mémoire de Mr. Foucher, inséré dans le journal des Savans du 12. Sept. 1695. Sequitur hanc explicationem alia, cui, etsi paulo ante illam vulgata sit, tamen cum Dutensio hunc indidi titulum:

XXXIX. Second éclaircissement du système de la communication des substances. Quae systematis explanatio in Basnagii historia operum doctorum anno MDCXCVI. primum edita, apud Dutensium legitur l. c. p. 71.

XL. Troisième éclaircissement. Extrait d'une lettre de Mr. Leibniz sur son hypothèse de philosophie et sur le problème curieux qu'un de ses amis propose aux Mathématiciens. Mutato nomine hoc epistolae fragmentum, Diario gallico anno MDCXCVI primum insertum, bis in Dutensii editione reperitur l. c. p. 73 et p. 94—97. Servavi quas Dutensius imposuit inscriptiones, ita ut eas conjungerem.

XL. b. Schreiben an Gabriel Wagner. Vom Nutzen der Vernunftkunst oder Logik. Haec epistola, anno MDCXCVI conscripta, primum edita est in Guhraueri libro: »Leibnitz's deutsche Schriften, Berl. 1838;« quam hic talem proponimus qualis in illa editione typis expressa est. Typothetae autem errorem quo haec epistola loco non suo posita sit, annotatione p. 418. excusare conati sumus.

XLI. Réflexions sur l'essai de l'entendement humain de Mr. Locke. Quum Leibnitius anno MDCXCVI audivisset, parari Amstelodami versionem gallicam operis Lockiani, conscripsit has animadversiones ut, postquam cum Lockio communicatae essent, una cum illa versione ederentur. Sed cum Lockius pro nihilo eas duceret, supersedit noster editione, quo factum est ut anno MDCCVIII una cum epistolis posthumis Lockii hae animadversiones Londini primum ederentur sine jussu Leibnitii. Leguntur in (Des Maizeaux) Recueil etc. Tom II. p. 299. et apud Dutensium l. c. p. 218.

XLII. Lettre à Mr. l'abbé Nicaise. Quae supra monuimus ad art. XXXIII, in hanc etiam epistolam cadunt. Quippe cum jam typis excusa esset haec plagula, in manus mihi venerunt fragmenta Ill. Cousini, quae integram exhibent hanc epistolam (Hanover $\frac{20}{30}$ Fevrier 1697), quam nos damus decurtatam. Ceterum illa epistola praeter haec verba quae ad Cartesium spectant, nil continet quod meo respondeat, consilio cum aut nova literaria aut etymologiam nominis Germanorum tractet. Valde gavisus sum cum Cousini editione confirmatum viderem, quod in nota huic epistolae adnexa conjeceram. Sed ubinam haec Cartesii incriminatio primum edita sit, non invenio. Equidem eam e Felleri Otio Hanoverano, sicuti Dutensius quoque fecerat, exscripsi. Quam tamen jam antea vulgatam esse ex iis conjicere queas, quae huic epistolae subjunximus, cum illi

Cartesii discipulo, qui contra Leibnitium magistri causam defendere conatur, verba Leibnitii innotuerint. Neque tamen omnino repugnem Ill. Cousino, qui Nicasium hanc Leibnitii epistolam cum Huëtio, hunc vero cum aliis communicasse probat, unde denique pervenire potuerit ad Cartesianos. Nam cum Leibnitius disertissime dicat (p. 142), se frustra impedire voluisse quominus vulgarentur haec verba, suspicari quidem possis ea cum haec scriberet uni aut alteri diario gallico jam inserta fuisse, sed tamen ex iis quae paulo post scribit: »Cependant j'avoue de ne pas comprendre l'intention de celui qui »réfute ce passage de ma lettre et le publie en même temps,« — apparere videtur ipsa demum illius Cartesiani refutatione Leibnitii epistolam publicatam esse.

XLIII. Réflexions d'un Anonyme sur une lettre de Mr. Leibniz, écrite à Mr. l'abbé Nicaise. Eo ipso anno quo Leibnitius ad Nicasium scripserat, inserta est haec acrior refutatio diario gallico, cujus autor anonymus, ut ex epistola quadam elucet, a Cousino l. c. p. 301. edita, clarissimus ejus temporis Cartesii discipulus fuit, fulcrum atque columna ut ita dicam Cartesianismi, Petrus Silvanus Regis. Cui opposuit Leibnitius:

XLIV. Réponse aux réflexions qui se trouvent dans le 23 journal de cette année touchant les conséquences de quelques endroits de la Philosophie de Descartes, responsionem eodem anno diario gallico insertam, quae non solum mansuetudinem ac candorem Leibnitii testatur, sed etiam eum melius quam ipsum Cartesianum Cartesii opera legisse, pulchre monstrat. (Dutens etc. l. c. p. 248 et 252).

XLV. Epistola ad Fardellam ex Felleri sententia anno MDCXCVII conscripta, e cujus Otio Hanoverano equidem, sicut ante me Dutensius, has literulas exscribere coactus eram, cum Hanoverae inter autographa Leibnitiana nonnullae quidem Fardellae epistolae italice conscriptae, nec non una Leibnitii quae historicae indolis est, haec vero non reperiatur.

XLVI. Epistola ad Sturmium, eodem anno conscripta itidem in Felleri Otio Hanoverano primum vulgata, apud Dutensium reperitur l. c. p. 94. Cadit hoc etiam in:

XLVII. Lettre au Père Bouvet à Paris, quam epistolam in editione Dutensiana p. 262 legimus.

XLVIII. De rerum originatione radicali, Quo titulo Leibnitius libellum inscripsit, qui nondum adhuc editus plagulas unam et dimidiam continens inter Mscr. Leibnitiana Hanoverae asservatur, cuique Leibnitius ipse adscripsit, se eum anno MDCXCVII d. 23. Nov. conscripsisse.

XLIX. Lettre à l'auteur de l'histoire des Ouvrages des Savans, contenant un éclaircissement des difficultés que Mr. Bayle a trouvées dans le système nouveau de l'union de l'ame et du corps. Quae epistola, anno MDCXCVIII Basnagii historiae operum doctorum inserta, inde in Dutensii editionem (l. c. p. 74) recepta est.

L. De ipsa natura sive de vi insita actionibusque creaturarum. Hic libellus primum editus est anno MDCXCVIII, cum Leibnitius eum tamquam censuram libri Sturmiani actis Eruditorum Lips. insereret. Unde Dutensius eum recepit et cum ea collectionis parte concorporavit, quae res physicas tractat. Etsi, ut supra jam monitum est, in multis nostri libellis vix accurate definiri potest quid philosophicae indolis sit,

quid non sit, tamen haec ipsa commentatio dubitari non potest an philosophica sit. Nam cardo totius hujus libelli versatur in ea substantiae notione, qua, cum cuique substantiae vera actio adscribatur, Spinozae philosophiam vinci et plane everti saepissime Leibnitius sibi gratulatur. Cf. Ep. seq.

LI. Epistola de rebus philosophicis ad Fred. Hoffmannum, anno MDCXCIX conscripta, in Hoffmanni opp. primum vulgata, inde Dutensii editioni inserta p. 260.

LII. Historia et commendatio linguae charactericae, commentatio a Raspio primum edita (l. c. p. 533.). Miraberis forsan quod hanc dissertationem a ceteris ejusdem argumenti (No. XI—XXII) separaverim. Suaserunt id, praeter illud quod jam typis vulgata erat, certa indicia quibus provectiore aetate eam conscriptam esse veri simile mihi visum est. Praecipue rationem dico qua dissertationis suae de arte combinatoria mentionem facit.

LIII. Préceptes pour avancer les sciences, autographum Leibnitianum nondum adhuc editum. Quum e literarum figura conjici queat hanc dissertationem serius conscriptam esse quam quas supra (No. XI—XXII) citavimus, ob argumenti cognationem eam inter eas collocavimus quae Raspius edidit, inter historiam modo laudatam et tractatum subsequentem.

LIV. Discours touchant la méthode de la certitude. Quam scriptionem a Raspio editam eo tempore conscriptam esse quo in regis Borussiae consuetudinem primum venerit, ex iis quae continet patet.

LV. De la démonstration Cartésienne de l'existence de Dieu du R. P. Lami. Illi ipsi quod antea jam perspexerit (cf. No. VIII.) vitio argumenti ontologici Cartesiani mederi conatur hac commentatione, in memoriis Trivultianis anno MDCCI primum edita. Nescio an hoc tempore Leibnitio notum fuerit opus Cudworthi: The true intellectual system of the universe etc. Lond. 1678. Fol., hoc certe scio, in hoc Cudworthi opere p. 725 argumentum legi fere ad verbum cum Leibnitiano congruens (cf. nostrae Historiae recentioris philosophiae P. I. Tom. II. p. 214). Legitur haec commentatio apud Dutensium l. c. 254.

LVI. Considérations sur la doctrine d'un esprit universel. Hae considerationes nondum adhuc editae, a Leibnitii ipsius manu conscriptae Hanoverae in Bibliotheca Regia asservantur. Quibus ipse Leibnitius hunc titulum praeposuit, atque inscripsit, eas anno MDCCCII, Luzeburgi (hodie Charlottenburg) exaratas esse.

LVII. Réplique aux réflexions, contenues dans la seconde édition du dictionnaire critique de Mr. Bayle, article Rorarius sur le système de l'harmonie préétablie. Quae responsio ad Baylii objectiones primum edita est in: »Histoire critique de la république des lettres,« indeque a Dutensio (l. c. p. 80) in editionem suam recepta. Quam anno MDCCII inter menses Maj. et Aug. conscriptam esse e commercio epistolico Leibnitii cum Bernouillio (Laus. et Genev. 1745. p. 77 et 85) patet, quippe cui noster d. 29. Maj. 1702 scripserat se in eo esse ut responderet, et cum quo d. 19. Aug. responsionem hanc communicavit.

LVIII. Lettre à Mr. Bayle; quam Federus primus edidit epistolam eodem circiter tempore atque modo laudatam responsionem editam esse, prima hujus epistolae verba

produnt. Addidi huic epistolae excerpta quaedam ex epistolis ad Bernoullium datis quibus amico Mathematico accuratius explicat principia sua de vera virium aestimatione.

LIX. Nouveaux essais sur l'entendement humain par l'auteur du système de l'harmonie préétablie, quibus edendis Raspius optime de philosophia meruit. Quod meritum pluris etiam aestimabis cum videris autographum Leibnitii tam parvis saepe literis conscriptum et correctionibus adeo abundans ut perdifficile sit lectu. Hoc opus conscriptum esse anno MDCCIV, (typothetae errore in nostra editione inscriptum est 1703) facile demonstrari potest. Scribit Leibnitius Remondio ita (v. p. 703. nostrae editionis): »Il (Mr. Hugony) a vu aussi mes réflexions assez étendues sur l'ouvrage de Mr. »Locke qui traite de l'entendement de l'homme. Mais je me suis dégoûté de publier des »réfutations des auteurs morts, quoiqu'elles dussent paroître durant leur vie et être communiquées à eux mêmes,« — itaque indicat eas animadversiones conscriptas et editioni destinatas fuisse ante Lockii obitum, id est ante d. 20. Oct. anni MDCCIV. Citat porro in hoc opere meditationes suas (anno MDCLXXXIV primum editas) tamquam ante viginti annos typis expressas, quod, si ad amussim exigitur, annum MDCCIV nobis praebet. Denique Hanoverae legi duas Leibnitii ad Cudworthi filiam Masham epistolas, quarum in una, d. 30. Jun. 1704 data, se nunc ipsum elaborare annotationes in Lockii opus, in altera d. 5. Jul. 1705, has annotationes confectas esse scribit. Quodsi typotheta non commisisset errorem illum supra (ad Art. XL. b.) memoratum, finem Voluminis primi fecisset haec longissima Leibnitii commentatio, qua singulas Empirismi quem vocant sententias accurate pensitat, iisque suam de ideis innatis et de sufficientia ac valore mentis doctrinam opponit. In volumine altero primus tractatus est:

LX. Considérations sur le principe de vie et sur les natures plastiques par l'auteur de l'harmonie préétablie. Prodiere hae considerationes primum in Basnagii Historia operum doctorum anno MDCCV. indeque a Dutensio receptae sunt. Quae eo majoris sunt momenti, quod sententias spectant viri cum quo magnam sententiarum cognationem ipse Leibnitius saepe profitetur. Indicavimus supra (ad art. LV.) mirabilem sententiarum similitudinem inter Leibnitii et Cudworthi rationem Cartesii argumentum ontologicum corrigendi.

LXI. Observatio ad recensionem libri de fidei et rationis consensu a domino Jaqueloto editi, mense Octobri 1704 factam. Quum in illa Jaqueloti libri censura mentio facta esset systematis Leibnitiani, ipse noster hac observatione definire voluit quis consensus, quis dissensus inter ipsum et Jaquelotum esset. Evulgata est haec observatio in Act. Erud. Lips. ai. 1705, ac postea Dutensii editioni inserta.

LXII. Ad reverendissimum Patrem Des Bosses epistolae octo. Optime meruit Dutensius, quod primus has Leibnitii epistolas evulgavit. Comparaverat ei Gobetus septuaginta Leibnitii ad Patrem Des Bosses epistolas, quas in Bibliotheca Parisiensi repererat. Quarum triginta in Dutensii editione inter opera philosophica collocata in Tomo secundo, ceterae in Tomo sexto leguntur. Quas ideo potissimum existimamus maximi momenti esse, quod nobis ex iis eluceat, quomodo Leibnitius studuerit, ut systematis sui cum philosophia Scholastica consensus aut dissensus in lucem prodeat, et ut congruum reddatur cum fide catholica. Qua in re summa opera laboranti interdum id mirum evenit,

quod adversarius ipsius Leibnitii partes tenere conatur, cum noster suas aquilas jam reliquerit. Elegimus ex his epistolis eas quae gravissimae nobis visae sunt. Cum vero responsiones Patris Des Bosses desint, non dedimus Leibnitii epistolas sicuti Dutensius unâ coacervatas, sed singulas epistolas suis numeris instructas ei quamque attribuimus quo conscripta est anno. Itaque ne temporis rationem turbemus, primo eas tantum inseruimus, quae anno MDCCVI et MDCCVII conscriptae apud Dutensium l. c. p. 265 seqq. leguntur.

LXIII. De modo distinguendi phaenomena realia ab imaginariis. Fragmentum hoc, nondum antea editum, diversis temporibus, ut literarum tractus produnt, conscriptum est, quae ni fallor longe inter se distant. Quodsi quis contendere velit, partim conscriptum esse ante saeculi XVII finem, equidem non certem. Tamen subjunxi illis ad Patrem Des Bosses epistolis, quia eandem cum illis sententiam, idealisticam quam vocant, de materia tenet. Itaque cum ad certum tempus definiendum indicia desint argumenti naturam sequuti sumus.

LXIV. Epistola ad Hanschium de philosophia Platonica sive de Enthusiasmo Platonico primum edita est ab Hanschio, quippe qui eam Diatribae suae de Enthusiasmo Platonico (Lips. 1716 4) praemiserit. Nescio quo casu evenerit ut typotheta epistolae d. 25. Jul. MDCCVII conscriptae diem 3. Jan. anni MDCCX subscriberet. (Cf. Ludovicii librum: Ausführlicher Entwurf einer vollständigen Historie der Leibnitzschen Philosophie, Leipzig 1737 2r. Th. p. 130).

LXV. Lettre à Mr. Coste, de la nécessité et de la contingence, epistola Leibnitiana nondum adhuc edita, quae cum argumentum tractet saepius a Leibnitio pensitatum idque, ut mihi videtur, accuratius paulo explicet non potui quin editioni meae insererem.

LXVI. Remarques sur le sentiment du P. Malebranche, qui porte que nous voyons tout en Dieu, concernant l'examen que Mr. Locke en a fait Edidit primus has animadversiones Raspius. Quas anno MDCCVIII circiter conscriptas esse, ex eo conjiciendum puto quod librum citant anno MDCCVI Londini editum. Itaque cum aliis caream indiciis, vix repugnem si cui contendere libuerit, conceptas esse alio tempore. Sed rogaturo cur non ipsi anno MDCCVI eas assignaverim, hoc tantum respondeam: patere ex iis ipsis quae sequuntur, quam sero interdum ea ad Leibnitium pervenerint quae in Gallia edita fuerint, ideoque non posse exspectari, libros in Anglia vulgatos citius in ejus manus venisse.

LXVII. Remarque de Mr. Leibniz sur un endroit des Mémoires de Trévoux du mois de Mars 1704. Leguntur quae hic dedimus apud Dutensium l. c. p. 258, quippe qui e memoriis Trivultianis quibus inserta erant anno MDCCVIII ea exscripserit. Neque indigna erant quae insererentur editioni, cum hîc primum noster confessus sit quod postea saepius disertissimis verbis, Patri Des Bosses praecipue, scripsit, etsi ex systemate harmoniae praestabilitae non explicari possit vera corporis et animae unitas, sed solus consensus et concentus, tamen se non negare veram talem »unionem metaphysicam« existere. Iis qui Leibnitii philosophiam accuratius perspexerint, notum est hac sententia irritum fieri idealismum quem vocant Leibnitianum. Quippe in ea jam latet istud »vincu-

lum substantiale phaenomena realizans« Leibnitii, quo, — cum hucusque contendisset, corpora nihil esse nisi monades multas simul perceptas, et perceptionis obscuritate in acervum extensum conversas, i. e. »phaenomena bene fundata sicut iridem,« ideoque »non substantias sed substantiata,« — organica certe corpora in veras substantias transformare conatus est noster. Non ignoro quidem sententiam eorum, imo assentio, qui docent hoc »vinculum substantiale,« ideoque etiam idealismi desertionem, maxima ex parte extortam esse Leibnitio argumentis theologicis, cum metueret ne corpus Christi in Eucharistia merum phaenomenon redderetur; sed tamen, quae hic inseruimus, ostendunt, praeter illam alias etiam ei apparuisse in sytemate suo difficultates.

LXVIII. Ad reverendissimum Patrem Des Bosses epistolae quatuor. Cf. quae ad art. LXII notavimus.

LXIX. Réponse aux objections, que l'auteur du livre de la connoissance de soi-même a faites contre le système de l'harmonie préétablie. Quam responsionem Patri Lamio datam Ludovicius et post eum Dutensius primum vulgatam esse contendunt in Diariis doctorum Gallorum (Journ. des Savans) mensis Maj. MDCCIX; sed accuratius locus indicatur in indice operum Leibnitianorum, quem una cum vita Leibnitii a Jaucourto scripta Theodicaeae editor Amstelodamensis, secundae hujus operis editioni adjecit. Legitur enim in diariorum Supplementis anni MDCCIX mens. Jun.

LXX. Ad reverendissimum Patrem Des Bosses epistolae duae. V. annotata ad art. LXII.

LXXI. Commentatio de anima brutorum, a Kortholto in collectione epistolarum primum edita, et anno MDCCX, nescio quam recte, adscripta, inde a Dutensio editioni inserta.

LXXII. Epistola ad Vagnerum de vi activa corporis, de anima, de anima brutorum, anno MDCCX conscripta itidem ex Kortholti epistolarum collectione in Dutensii editionem recepta.

LXXIII. Essais de Théodicée sur la bonté de Dieu, la liberté de l'homme et l'origine du mal. Tentamina theodicaeae anno MDCCX primum edita sunt, etsi multo ante concepta, imo, ut ex epistola quadam Leibnitiana elucet, anno MDCCVII paene confecta erant. Quorum editionem secundam Amstelodamensem (1747 12mo.) secuti sumus in transscribendo. Dutensius suae editioni versionem latinam a Patre Des Bosses factam inseruit eamque inter opera theologica exhibet. At praeter illam quam jam saepius monuimus separandi philosophica a non philosophicis difficultatem, multa erant quae libris philosophicis potissimum hunc adnumerandum esse suaderent. Quippe in nullo fere scripto tam strenue illud quod semper laudat principium melioris s. rationis sufficientis ventilat, in quo principio Leibnitii philosophiam maxima ex parte niti neminem latet; itaque non mirum quod in controversia cum Clarkio agitata etiam atque etiam theodicaeam laudat tamquam illud opus quo de hoc principio quaestio absoluta sit. Accedit quod huic ipsi operi debemus alterum librum qui universum Leibnitii systema accuratissime delineat. Etenim cum Princeps Eugenius explicationes quasdam quaesiisset theodicaeam spectantes, Leibnitius Monadologiam, seu »Theses« conscripsit, iisque adnotationes adspersit quibus loci theodicaeae allegantur. Quum itaque gravissimus Leibnitii libellus philosophicus tamquam theodicaeae commentarius vel potius epitome conceptus sit, haec ipsa in operibus philosophicis desiderari non debuit, etsi non ignorem hunc librum, quem initio eo consilio conscriberet, ut a Regina Borussiae legeretur, minus praecise minusque scholastice et, ut ita dicam, systematice conscriptum esse. Quae cum ita sint, narratio illa de Pfaffio theologo Tubingensi me non terret, quippe cui quaerenti sitne theodicaea lusus ingenii potius quam vera Leibnitii sententia, subridens noster respondisse dicitur: Tu rem acu tetigisti. Dent mihi veniam manes doctissimi viri, ut ex illa historia, ni fabula sit, hoc tantum intelligam, nostrum, etsi summa theologiae verecundia teneretur, tamen interdum theologos elusisse. Continet hoc opus Leibnitii praeter tractatum de conformitate rationis et fidei tentaminum de bonitate Dei et origine mali partes tres, quibus subjunctae sunt annotationes in libros Hobbesii et Kingii, quas denique tractatus lingua latina conscriptus excipit, titulo »Causae Dei« instructus.

LXXIV. Ad reverendissimum Patrem Des Bosses epistolae tres. Vid. ann. ad art. LXII.

LXXV. Remarques philosophiques de Mr. de Leibniz sur sa Théodicée, a Kortholto primum editae, in Dutensii editione Vol. I. inter opera theologica leguntur.

Sequuntur quatuor commentationes Leibnitii argumenti ethici, quas ex autographis Leibnitianis Hanoverae transcripsi. Quas etsi diversis temporibus conscriptas esse bene sciam, tamen ob argumenti cognationem deinceps posui, iisque, cum indicia certa mihi deessent quae aliud suaderent, hunc adsignavi locum. Qua in re erravi fortasse; praesertim quum ex eo tempore, quo transscripsi et in hoc loco posui has scriptiones, quatuor paene praeterlapsi sint anni, unde fit ut de literarum tractu vix certi quidquam statuere possim. Primum omnium sine dubio concepta est disseriatiuncula

LXXVI. de libertate, quae cum expresse et consulto opposita videatur Spinozae sententiis, tempus redolere videtur, quo non dudum ab illis se liberasset. Reperitur Hanoverae etiam hujus tractatus versio gallica. Serius ni fallor conscriptae sunt.

LXXVII. Definitiones ethicae, quae sicut modo laudata systemati necessitatis, ita ipsae contra eos pugnant, qui Deo talem libertatem attribuere conantur, qualem Leibnitius necessitatem brutam appellare solet, scilicet quae omnem secludat determinationem et finium rationem. Quam rem uberius postea in illa cum Clarkio controversia nostrum ventilasse constat. Sequitur commentatio lingua vernacula conscripta:

LXXVIII. Von der Glückseligkeit, cui Guhrauerus in editione sua titulum hunc dedit: Von der Weisheit. Restituimus eam praescriptionem, qua Hanoverae in Bibliotheca regia instructum vidimus fasciculum, quo hic libellus continetur.

LXXIX. De la sagesse, cujus scriptionis interpretatio germanica, hoc titulo inscripta: Von der Weisheit, d. i. von der Wissenschaft der Glückseligkeit und Tugend, una cum gallico autographo in eo ipso quo ceteri libelli modo laudati fasciculo Hanoverae asservatur. Sed veniamus rursum ad libros jam editos, de quibus quo tempore concepti sint minus dubitare licet:

LXXX. Lettre à Mr. Des Maizeaux, contenant quelques éclaircissemens sur quelques endroits du système de l'harmonie préétablie, epistola ab ipso

lum substantiale phaenomena realizans« Leibnitii, quo, — cum hucusque contendisset, corpora nihil esse nisi monades multas simul perceptas, et perceptionis obscuritate in acervum extensum conversas, i. e. »phaenomena bene fundata sicut iridem,« ideoque »non substantias sed substantiata,« — organica certe corpora in veras substantias transformare conatus est noster. Non ignoro quidem sententiam eorum, imo assentio, qui docent hoc »vinculum substantiale,« ideoque etiam idealismi desertionem, maxima ex parte extortam esse Leibnitio argumentis theologicis, cum metueret ne corpus Christi in Eucharistia merum phaenomenon redderetur; sed tamen, quae hic inseruimus, ostendunt, praeter illam alias etiam ei apparuisse in sytemate suo difficultates.

LXVIII. Ad reverendissimum Patrem Des Bosses epistolae quatuor. Cf. quae ad art. LXII notavimus.

LXIX. Réponse aux objections, que l'auteur du livre de la connoissance de soi-même a faites contre le système de l'harmonie préétablie. Quam responsionem Patri Lamio datam Ludovicius et post eum Dutensius primum vulgatam esse contendunt in Diariis doctorum Gallorum (Journ. des Savans) mensis Maj. MDCCIX; sed accuratius locus indicatur in indice operum Leibnitianorum, quem una cum vita Leibnitii a Jaucourto scripta Theodicaeae editor Amstelodamensis, secundae hujus operis editioni adjecit. Legitur enim in diariorum Supplementis anni MDCCIX mens. Jun.

LXX. Ad reverendissimum Patrem Des Bosses epistolae duae. V. annotata ad art. LXII.

LXXI. Commentatio de anima brutorum, a Kortholto in collectione epistolarum primum edita, et anno MDCCX, nescio quam recte, adscripta, inde a Dutensio editioni inserta.

LXXII. Epistola ad Vagnerum de vi activa corporis, de anima, de anima brutorum, anno MDCCX conscripta itidem ex Kortholti epistolarum collectione in Dutensii editionem recepta.

LXXIII. Essais de Théodicée sur la bonté de Dieu, la liberté de l'homme et l'origine du mal. Tentamina theodicaeae anno MDCCX primum edita sunt, etsi multo ante concepta, imo, ut ex epistola quadam Leibnitiana elucet, anno MDCCVII paene confecta erant. Quorum editionem secundam Amstelodamensem (1747 12mo.) secuti sumus in transscribendo. Dutensius suae editioni versionem latinam a Patre Des Bosses factam inseruit eamque inter opera theologica exhibet. At praeter illam quam jam saepius monuimus separandi philosophica a non philosophicis difficultatem, multa erant quae libris philosophicis potissimum hunc adnumerandum esse suaderent. Quippe in nullo fere scripto tam strenue illud quod semper laudat principium melioris s. rationis sufficientis ventilat, in quo principio Leibnitii philosophiam maxima ex parte niti neminem latet; itaque non mirum quod in controversia cum Clarkio agitata etiam atque etiam theodicaeam laudat tamquam illud opus quo de hoc principio quaestio absoluta sit. Accedit quod huic ipsi operi debemus alterum librum qui universum Leibnitii systema accuratissime delineat. Etenim cum Princeps Eugenius explicationes quasdam quaesiisset theodicaeam spectantes, Leibnitius Monadologiam, seu »Theses« conscripsit, iisque adnotationes adspersit quibus loci theodicaeae allegantur. Quum itaque gravissimus Leibnitii libellus philosophicus tamquam

theodicaeae commentarius vel potius epitome conceptus sit, haec ipsa in operibus philosophicis desiderari non debuit, etsi non ignorem hunc librum, quem initio eo consilio conscriberet, ut a Regina Borussiae legeretur, minus praecise minusque scholastice et, ut ita dicam, systematice conscriptum esse. Quae cum ita sint, narratio illa de Pfaffio theologo Tubingensi me non terret, quippe cui quaerenti sitne theodicaea lusus ingenii potius quam vera Leibnitii sententia, subridens noster respondisse dicitur: Tu rem acu tetigisti. Dent mihi veniam manes doctissimi viri, ut ex illa historia, ni fabula sit, hoc tantum intelligam, nostrum, etsi summa theologiae verecundia teneretur, tamen interdum theologos elusisse. Continet hoc opus Leibnitii praeter tractatum de conformitate rationis et fidei tentaminum de bonitate Dei et origine mali partes tres, quibus subjunctae sunt annotationes in libros Hobbesii et Kingii, quas denique tractatus lingua latina conscriptus excipit, titulo »Causae Dei« instructus.

LXXIV. Ad reverendissimum Patrem Des Bosses epistolae tres. Vid. ann. ad art. LXII.

LXXV. Remarques philosophiques de Mr. de Leibniz sur sa Théodicée, a Kortholto primum editae, in Dutensii editione Vol. I. inter opera theologica leguntur.

Sequuntur quatuor commentationes Leibnitii argumenti ethici, quas ex autographis Leibnitianis Hanoverae transcripsi. Quas etsi diversis temporibus conscriptas esse bene sciam, tamen ob argumenti cognationem deinceps posui, iisque, cum indicia certa mihi deessent quae aliud suaderent, hunc adsignavi locum. Qua in re erravi fortasse; praesertim quum ex eo tempore, quo transscripsi et in hoc loco posui has scriptiones, quatuor paene praeterlapsi sint anni, unde fit ut de literarum tractu vix certi quidquam statuere possim. Primum omnium sine dubio concepta est disseriatiuncula

LXXVI. de libertate, quae cum expresse et consulto opposita videatur Spinozae sententiis, tempus redolere videtur, quo non dudum ab illis se liberasset. Reperitur Hanoverae etiam hujus tractatus versio gallica. Serius ni fallor conscriptae sunt.

LXXVII. Definitiones ethicae, quae sicut modo laudata systemati necessitatis, ita ipsae contra eos pugnant, qui Deo talem libertatem attribuere conantur, qualem Leibnitius necessitatem brutam appellare solet, scilicet quae omnem secludat determinationem et finium rationem. Quam rem uberius postea in illa cum Clarkio controversia nostrum ventilasse constat. Sequitur commentatio lingua vernacula conscripta:

LXXVIII. Von der Glückseligkeit, cui Guhrauerus in editione sua titulum hunc dedit: Von der Weisheit. Restituimus eam praescriptionem, qua Hanoverae in Bibliotheca regia instructum vidimus fasciculum, quo hic libellus continetur.

LXXIX. De la sagesse, cujus scriptionis interpretatio germanica, hoc titulo inscripta: Von der Weisheit, d. i. von der Wissenschaft der Glückseligkeit und Tugend, una cum gallico autographo in eo ipso quo ceteri libelli modo laudati fasciculo Hanoverae asservatur. Sed veniamus rursum ad libros jam editos, de quibus quo tempore concepti sint minus dubitare licet:

LXXX. Lettre à Mr. Des Maizeaux, contenant quelques éclaircissemens sur quelques endroits du système de l'harmonie préétablie, epistola ab ipso

Des Maizeaux (Recueil de diverses pièces etc.) primum, deinde a Dutensio denuo edita, quam Leibnitius anno MDCCXI conscripsit.

LXXXI. Epistola ad Bierlingium, anno MDCCXI. data, a Kortholto (Epist. ad divers. Vol. IV. p. 46.) primum vulgata, exinde in Dutensii editionem recepta, ubi in Vol. V. inter caeteras Leibnitii ad Bierlingium epistolas legitur. Ob Argumenti indolem operibus philosophicis adnumerari debuit.

LXXXII. Ad reverendissimum Patrem Des Bosses epistolae tres. V. annot. ad art. LXII.

LXXXIII. Remarque sur la sixième lettre philosophique imprimée à Trévoux 1703. Opposita sunt haec ei ipsi »recensioni Trivultianae«, de qua dixerat Leibnitius in epistola ad Patrem Des Bosses, quae huic articulo antecedit.

LXXXIV. Ad reverendissimum Patrem Des Bosses epistolae tres. Cf. annot. ad art. LXII.

LXXXV. Examen des Principes du R. P. Malebranche. Anno MDCCXII., ut mihi videtur, conscripta est haec Malebranchii censura. (Perperam typotheta annum MDCCXI inscripsit.) Quod ut contendam haec me permovent argumenta: Fit quidem mentio theodicaeae tamquam nuper editae; cum vero etiam autoris ad Hartsoekerum epistolae memorentur memoriis Trivultianis insertae, quae anno MDCCXII vulgatae sunt, cum porro anno MDCCXV hanc suam censuram Leibnitius jam dudum conscriptam dicat, hunc ei assignandum esse locum patet.

LXXXVI. Lettre à un ami en France. Hoc titulo inscripsi epistolam, quam Des Maizeaux primus edidit, a quo Dutensius postea accepit. Uterque contendit eam datam esse ad Remundium de Montmort. Quod equidem non credo. Videtur vir doct. Des Maizeaux — nam de hoc solo agendum quem Dutensius tacite sequatur — deceptus his verbis: »puisque mes vers n'ont point déplu ni à vous, ni à Mr. l'abbé Fraguier etc.«; quae verba cum ad ea referret quae Leibnitius d. 14. MDCCIV Remondio scripserat (v. pag. 702 nostrae editionis), uni eidemque utramque epistolam missam esse conjecit. At vero etiamsi non negem quaestionem in hac epistola esse de iisdem versibus, quos Remundio misit noster, tamen in hac epistola reperiuntur, quae quominus eam ad Remundium scriptam putem impediant. Namque ita in hac epistola loquitur de Remundii opere (Essai d'analyse sur les jeux de hazard etc.): »J'ai vu la première édition de l'ouvage profond de Mr. Montmort chez un ami, mais je serai ravi d'en recevoir la seconde, qui sera sans doute enrichie de recherches nouvelles et importantes.« — Equidem non credo, Leibnitium ad ipsum autorem ita scripturum fuisse quasi de alio quodam ageretur. Multo minus concedere possum virum comitate et adfabilitate insignem si ad ipsum autorem scripsisset, illis verbis adjunxisse haec: »Je voudrois qu'un habile homme traitât en Mathématicien et en Physicien de toute sorte de jeux.« Quo modo scripturus fuerit autori, ea te docebunt verba quae postea eidem viro de eodem libro scripsit (d. d. 17. Jan. 1716 v. Des Maizeaux l. c. II. 194): »Votre excellent ouvrage m'a rejoui extrêmement. Les hommes ne sont jamais plus ingénieux que dans l'invention des jeux; l'esprit s'y trouve à son aise. C'est pourquoi j'ai souhaité qu'un homme assez habile que vous l'êtes se mît à les examiner. Vous avez rempli mon attente.«

Itaque conjicio hanc epistolam non ad Remundium scriptam fuisse. Quam tamen amico in Gallia degenti missam esse non solum lingua prodit, qua Leibnitius utitur, sed praecipue verba ill. Wolfii, qui cum ostendere vellet se philosophiam non accepisse a Leibnitio tamquam a magistro, in iis quae praefatus est Monadologiae versioni Köhlerianae (v. annot. ad art. LXXXVIII.), ita loquitur: »Es hat mir der Herr Uebersetzer einen Auszug aus »einem Briefe gezeigt, den der Herr von Leibnitz in französischer Sprache an einen Ge»lehrten nach Frankreich geschrieben, darin er gestehet, er hätte mit mir in zur »Weltweisheit gehörigen Sachen niemals conferiret und könnte ich von seinen Meinungen »nichts wissen, als was im öffentlichen Druck vorhanden wäre«, — quae verba ad hanc referenda esse epistolam neminem latet. — Restat denique ut de tempore aliquid dicam quo conscriptam putem. Apud Des Maizeaux dies, quo exarata sit, huic uni epistolae non adscriptus est; in Dutensii vero editione haec subscriptio exstat »Vienne 26. Août »1714«, ac forsan miraberis unde quae Des Maizeaux ignoravit, descriptor noverit. Sed ubi illo die epistolam, in Des Maizeaux et Dutensii editionibus praecedentem conscriptam esse videris, error commissus te non latebit. Itaque cum tempus non indicatum sit, opus est conjectura. Hanc epistolam Vindobonae conscriptam esse disertis verbis in ipsa declaratur. Tum ex eo quod secundam editionem operis Montmorti tamquam propediem faciendam citat, aut certe nuperrime factam, conjicias eam epistolam anno MDCCXIII. conscriptam esse. Eundem aut sequentem, ut summum largiar, annum indicat mentio versuum in Fraguerium et Remundium scriptorum quos mens. Mart. anni MDCCIV. Remundio misit noster (cf. pag. 702).

LXXXVII. Trois lettres à Mr. Remond de Montmort. Vulgatae sunt hae ad Remundium epistolae primum a Des Maizeaux l. c. II. p. 130, unde Dutensius eas in editionis suae Vol. V. recepit. Earum primam et secundam ob argumenti indolem, tertiam praecipue ea de causa inserui, quod mentionem facit scriptionis subsequentis gravissimae, ejusque ad alia scripta Leibnitiana rationem et relationem bene definit. Sequitur enim in mea editione:

LXXXVIII. La Monadologie. Hoc titulo inscripsi librum Leibnitii omnium gravissimum, si quidem reputaveris, eo primo Leibnitium totum doctrinae suae systema, cujus singulas partes sparsim eo usque dedisset, breviter delineare et in modum encyclopaediae complecti conatum esse. Qui liber cum ad hunc diem ea qua primum scriptus erat forma nondum editus sit, breviter placet ostendere quaenam fata habuerit. Anno MDCCXIV. Leibnitius, a Principe Eugenio amantissime rogatus ut sententias philosophicas, quas in theodicaea aliisque scriptis protulisset sibi proponeret accuratius explicatas, librum composuit, de quo ipse Remundio scripsit: »Je vous envoie »un petit discours, que j'ai fait ici pour Mr. le Prince Eugène de Savoie sur ma Philo»sophie. J'ai espéré que ce petit écrit contribueroit à mieux faire entendre mes médi»tations en y joignant ce que j'ai mis dans les journaux de Leipzic, de Paris et de »Hollande. Dans ceux de Leipzic je m'accomode assez au langage de l'école, dans les »autres je m'accomode davantage au stile des Cartésiens, et dans cette dernière pièce »j'ai tâché de m'exprimer d'une manière qui puisse être entendue de ceux qui ne sont »pas encore trop accoutumés, au stile des uns et des autres.« Hic liber primum vulgatus

est versione germanica, quam Köhlerus anno MDCCXX. curavit et hoc titulo Jenae edidit: Herrn Gottfried Wilhelm von Leibnitz etc. Lehrsätze über die Monadologie etc. Cujus versionis versionem latinam Acta Erudit. Lipsiens. in Suppl. Tom. VII. 1721. Sect. XI. p. 500. exhibuere, ita tamen ut disertis verbis ipsum Leibnitium gallice conscripsisse hanc commentationem confiterentur. Quam versionem latinam iterum edidit anno MDCCXXVIII. Hanschius commentariis illustratam. Hanc ipsam versionem apud Dutensium legimus hoc inscriptam titulo: Principia philosophiae seu theses in gratiam Principis Eugenii etc. l. c. pag. 20 — 31. Quum tamen nihilo minus constaret, autographum Leibnitianum gallicum fuisse, hoc ipsum investigari debuerat. Qua in re mirabili sane usi sunt, quorum interfuit, effugio. Scilicet cum anno MDCCXVIII. vulgatus esset alius libellus Leibnitii (quem mox laudabimus) et gallica lingua scriptus et simile tractans argumentum, Ludovicius ni fallor primus dixit, nostram Monodologiam unum eundemque librum esse atque illum qui inscribitur: Principes de la nature et de la grace. Eundem errorem invenies in multis ejus temporis libris, e. gr. in libro: Des Freiherrn von Leibnitz kleinere Schriften etc. Jen. 1740 et aliis. — Atque illis quidem per me licet ignoscas. Sed nonne indignabere ubi hodie etiam, etsi in Dutensii editione utraque commentatio non inveniatur solum sed una alteram excipiat et ad collationem quasi provocent, in doctissimo sane Tennemanni libro (Grundr. d. Gesch. d. Phil.) a cl. Wendtio recognito legeris pag. 412 et 413: Hierher gehört vorzüglich: Principes de la nature et de la grace,... oder lat.: Principia philosophiae, Profecto non argues me injuriam fecisse nostrae aetatis philosophis cum supra neglectum plus justo Leibnitium conquererer. Facile tamen mederi potuisset huic errori si quis ibi scrutatus esset, ubi earum scriptionum quae Leibnitii tempore typis excusae sunt autographa maximam partem asservantur, in Bibliotheca Regia Hanoverana. Neque opus quidem erat scrutatore occulta et recondita detegere solito. Nam cum schedae Leibnitianae ibi in certum ordinem redactae sint, evolventi fasciculum, cui inscriptum est nomen Monadologiae, primum autographum quod in manus venit hic libellus est gallice conscriptus, secundum is liber cum quo ille confundi solet, nempe »Principes de la nature et de la grace.« Neque dubitari potest quin illud autographum idem sit de quo Leibnitius Remundio scripserit, cum in ejus margine ipsius Leibnitii manus indicaverit locos Theodicaeae. Itaque huic libro reddidimus Monadologiae titulum utpote qui primus interpretationi germanicae praescriptus fuerit, et librum nostrae editioni inseruimus cum omnibus illis Leibnitii annotationibus. Quamquam, quum Leibnitius prima Theodicaeae editione usus sit, in qua praefationis paginae non numeris sed literis et asteriscis signantur, necesse fuit, ut his signis cum numerum adjicerem qui in mea editione locum indicat.

LXXXIX. Epistola ad rev. Patrem Des Bosses. cf. annot. ad art. LXII.

XC. Principes de la nature et de la grace. Ubinam scripta sit haec commentatio, et quonam anno, accurate definire non possum. Autographum Leibnitianum in Bibliotheca Hanoverana eosdem ostendit literarum tractus quos Monadologia. Quo si adsumis argumenti cognationem, veri simillimum erit, circa idem tempus utramque conscriptam esse. Quo modo autem factum sit ut haec cum illa confunderetur jam supra diximus. Vulgata est primum scriptio in memoriis Gallicis quibus titulus est: L'Europe savante 1718 Nov. Art. VI. pag. 101.; denuo edita est a Des Maizeaux l. c., denique a Dutensio in editionem suam recepta. Patet ex iis quae primus editor praemisit, eo tempore quo Leibnitius obiit, hunc librum multis doctis jam innotuisse, imo in multorum manibus exemplaria ejus fuisse.

XCI. Trois lettres à Mr. Bourguet; epistolae anno MDCCXIV. conscriptae. Bene meruit de philosophia Dutensius cum primus eas literas ederet, quas Bourgueto Leibnitius miserat; quarum autographa, ut ipse dicit, Academiae Rothomagensi propria, auxilio doct. De Cat communicata habuit. Eis epistolis quas Dutensius ipse inter philosophicas numerat, unam adjeci e VI. Dutensii volumine petitam, ejusdem qua illae indolis et gravitatis.

XCII. Extrait d'une lettre à Mr. Remond de Montmort. Epistola e qua ea excerpsimus quae ad philosophiam nostri spectant, anno MDCCXV. conscripta, primum edita est a Des Maizeaux (l. c. II. p. 165.), a quo Dutensius eam accepit. (l. c. Vol. V. p. 18.)

XCIII. Ad reverend. Patrem Des Bosses epistolae tres, anno MDCCXV. conscriptae. cf. art. LXII.

XCIV. Deux lettres à Mr. Bourguet. cf. annot. ad art. XCI.

XCV. Lettre à Mr. Remond de Montmort contenant des remarques sur le livre du Père Tertre contre le Père Malebranche, anno MDCCXV. scripta epistola, quae a Des Maizeaux primum edita, a Dutensio operibus philosophicis adnumerata est.

XCVI. Ad reverend. Patrem Des Bosses epistolae duae. cf. art. LXII.

XCVII. Deux lettres á Mr. Bourguet. cf. art. XCI.

XCVIII. Extrait d'une lettre à Mr. Dangicourt. Legitur haec epistola in Kortholti collectione epistolarum Leibnitii et in editionis Dutensianae parte III., ex qua excerpsimus ea quae ad philosophiam spectant, missis iis quorum argumentum non nisi mathematicum est.

XCIX. Recueil de lettres entre Leibniz et Clarke. Quum omnes hujus controversiae et objectiones et responsiones tam arcte inter se cohaereant, ut uterque adversarii ictum excipiendo novas plagas infligere conetur, nolui has epistolas suo quamque attribuere anno, sed temporis ratione posthabita eum servavi ordinem quem in prima jam editione habebant. Ejus controversiae occasionem ut benevolo lectori in memoriam revocem, liceat mihi ipsius Leibnitii verba inferre, quibus ill. Wolfio hanc rem exposuit. Quippe ita noster ei scripsit d. 23. Cec. anni MDCCXV.: »Serenissima Princeps Walliae, »quae Theodicaeam meam legit cum attentione animi, eaque delectata est, nuper pro »ea pro quodam Anglo, ecclesiastici ordinis, accessum in aula habente disputavit, ut ipsa »mihi significat. Ille dedit Serenitati suae Regiae schedam Anglico sermone a se con»scriptam, qua Neutoni sententiam tueri conatur, meamque impugnare. — Respondi »nuperrime et responsionem meam ad Principem misi.« — Omnia, quae Clarkius scripsit lingua anglica doct. de la Roche reddidit gallice, quae Leibnitius gallice concepit serenissima illa Domina in sermonem anglicum transferri jussit. Itaque evenit ut cum paulo post obitum Leibnitii omnes hae epistolae ederentur, nostri etiam literae anglice legerentur. Inscripta est illa collectio: A collection of papers, which passed between

the late learned Mr. Leibnitz and Dr. Clarke in the years 1715 and 1716 etc. London 1717. — Postea haec collectio gallice reddita a doct. Des Maizeaux edita est in libro saepius jam citato, ubi in Vol. I. leguntur ita ut Clarkii etiam epistolae gallico sermone utantur. Nos igitur cum id unum curaremus ut nostri et doctrina, et ipsa verba, accurate redderentur, id consilium quod Dutensius etiam secutus est, gallica lingua edendi Clarkii epistolas, ei linguarum confusioni praetulimus, quae, cum Clarkium anglice Leibnitium gallice loquentem induceret, tantum abesset ut editionem nostram ornaret, ut eam indigne esset deformatura. Sequuntur denique duae scriptiones, quas ratione temporis quo conscriptae sint habita locum suum non tenere nemo me scit rectius. At cum Ill. Cousini fragmenta philosophica, e quibus eae depromtae sunt, mihi non prius in manus venerint quam cum volumen primum typis jam excusum esset, necesse fuit, cum suum obtinere non possent, alterum iis assignari locum. Et spero fore ut lector benevolus melius actum putet quod in appendice leguntur quam si plane omitterentur. Sunt autem hae scriptiunculae:

C. Sentiment de Mr. Leibniz sur le livre de Mr. l'archevêque de Cambray et sur l'mour de Dieu désintéressé. Epistolarum, quas Ill. Cousinus edidit uni, anno MDCXVII. conscriptae, Leibnitius ipse schedam adnexuerat de quaestione eo tempore a multis Galliae doctis agitata, de amore Dei. Quam, deperditam ratus, Cousinus tandem reperit et in libro supra laudato edidit. Idem tractat argumentum epistola subsequens.

CI. Lettre à Mr. l'abbé Nicaise sur la question de l'amour divin, anno MDCCXVII. conscripta quam itidem libro Cousini debemus.

Haec sunt quae tibi offert, L. B., mea editio opera Leibnitii philosophica, hae erant causae quae me moverunt ut ea potissimum reciperem, hae rationes quae ut ita disponerem me adduxerunt. Quas fusius tibi proposui non ut ad omnia quae protuli assensio tua extorqueatur — procul absit tam arrogans exspectatio — sed ut tibi ostendam non plane inconsiderate hanc institutam esse editionem, quae si modo ad philosophiae Leibnitianae cognitionem et existimationem adjuvandam contulerit, ab eo quem sibi proposuit fine non aberravit.

Restat ut pauca adjiciam de externa hujus editionis specie. Ornata est effigie chalcographica Leibnitii, quae descripta est ab imagine quam amicus meus carissimus Kraukling ius, musaei historici Dresdensis praefectus ac rector, possidet.. Quam effigiem, coloribus oleariis ab Andrea Scheitsio, artifice haud ignoto, pictam, ante annum MDCCIV. delineatam esse non solum ex eo conjicias quod nostrum fere juvenem repraesentet, sed etiam ex epistola quadam Electricis Sophiae patet. Quippe quae cum de icone Leibnitii conqueratur, de tabula chalcographica loquitur a Bernigerotho facta, quam hanc ipsam Scheitsii picturam imitasse qui utramque viderint, lubenter concedent. (A Bernigerothi sculptura reliquae omnes quae exstant Leibnitii icones, una semper altera deterior, descriptae videntur.) Quare assentiendum videtur amico meo doctissimo, qui egregiam suam pulchramque tabulam inter annos MDCXC. et MDCC. delineatam

autumet. Tenet nos spes brevi ipsum quae ad historiam iconum Leibnitii spectent, evulgaturum esse, cum quae de hac re apud Böhmerum (Magazin für Kirchenrecht etc. Bd. I. St. 2. S. 315—321.) congessa sint, minime satisfaciant.

Tituli singularum scriptionum Dutensiani sunt, si in Dutensii editione commentatio legitur, Leibnitiani si in autographo ipse titulum praescripserat, mei in iis quae ex autographis inscriptione carentibus exscripsi. Praeter titulum cuique commentationi inscriptus est annus, quo aut confecta est, aut confecta esse mihi videbatur. Denique praescripsi cuique libello ubinam primum editus sit, et iis quae in Dutensii editione exstant etiam loci quem ibi tenent notationem adjeci.

Postremo confessione comprobare oportet, quod lectorem etsi vellem celare non possem. Dico errorum typographicorum numerum. Cum non eo degerem loco quo haec editio typis excuderetur, ipse unius tantum plagularum revisionis, quam vocare solent, copiam habui, unde fieri non potuit quin interdum menda remaneret, quae revisione altera detecta foret. Quod tamen minoris momenti est quam quae nunc monebo. Decreveram ut in excudendis iis quae gallice conscripta sunt orthographiae hodiernae usus induceretur, (id quod ante me jam Federus curaverat in edendis Leibnitianis) ideoque vel in eis plagulis quae tamquam exemplaria typothetae proponerentur, vel in plagulis excusis, ea quae usum antiquatum sequerentur mutavi. Quare quum ante annum et dimidium patriam meam Livoniam visitaturus et per tres menses abfuturus essem, primum decrevi ut per hoc tempus cessarent typographi; sed cum bibliopola, qui optaret, ne dum abessem prela feriarentur, mihi confirmasset, sibi Gallum quendam praesto esse cui corrigendi negotium committeret, his confisus non amplius sum reluctatus. Quod nunc doleo me fecisse. Nam redux factus non solum eum commissum inveni errorem quem supra indicavi ad art. XL. b., sed, quod sane magis dolendum, in quindecim plagulis quae interea typis excusae erant, tam multas mendas conspexi ut hodie etiam me pudeat. Id ne iterum eveniret, dum aliud iter facerem, amicus carissimus, collega honoratissimus Blancus, ecclesiae cathedralis sacerdos, ingratum laborem plagulas revidendi consueta humanitate in se recepit, eumque tanta sustinuit diligentia ut ea quam ipse recognovit hujus editionis pars, tam emendate excusa sit quam vix fieri solet in gallicis libris apud nostrates expressis. Confessa haec volui ne amici honorem mihi arrogare videar, neve ei mendae imputentur, quarum ratio a me solo est reposcenda.

Quarum eas quae ipsum sensum pervertunt ut ante legendum corrigantur indicavi, caeteras, inprimis eas quae circa accentuum signa et orthographiam gallicam versantur ignoscas quaeso benevole lector. Denique hoc abs te peto, ut si tibi non placeat oblivione delere hujus editionis mendas, tamen saltem magis quid praestiterim quam quid reliquerim praestandum respicias. Vale mihique in posterum fave.

Scrib. Halae Saxonum Non. Apr. MDCCCXL.

IOANNES EDUARDUS ERDMANN.

TABULA OPERUM.

Vol. I.

Vol. II.

Appendix.

ERRORES TYPOGRAPHICI

Quorum qui sensum pervertunt, ut ante legendum corrigantur, indicavit editor. Omissos accentus, literarum commutationes, orthographiae vitia aperta enotare supersedit.

Vol. I.

Praefat. pg. XV. l. 25 pro Arnaldi lege Arnaldi*)

p. 45 B. l. 23 pro patebuntur l. fatebuntur.
- 50 A. - 19 - vexata l. vexatae.
- 90 A. - 37 - viritatis l. veritatis.
- — - - 39 - angetur l. augetur.
- 105 B. - 13 - au l. ou.
- 107 B. - 8 - your l. vous.
- 111 B. - 5 - at l. et.
- 113 B. - 10 - referme l. renferme.
- 115 B. - 6 - partique l. pratique.
- 133 B. - 14 - pour l. par.
- 140 A. - 32 - pas l. par.
- 142 A. - 22 - public l. publie.
- 147 B. - 27 - essentiam l. existentiam.
- 161 B. - 6 - definiri l. definire.
- 178 A. - 23 - au dehors l. de dehors.
- 187 A. - 22 - conférence l. circonférence.
- 191. - 15 - p. 152 l. p. 125.
- — B. - 24 - ou bien l. au bien.
- 192 A. - 44 - contment l. contient.
- 194 - 5 - 1703 l. 1704.
- 199 B. - 16 - immoralité l. immortalité.
- 203 B. - 26 - et l. est.
- 205 B. - 50 - adéquante l. adéquate.
- 206 A. - 52 & 53 annotatio delenda est.
- 206 B. - 37 pro vous l. nous.
- 208 B. - 12 - m'empêche l. n'empêche.
- — - - 32 - entendues l. étendues.
- 210 B. - 5 - §. 10 l. §. 18.
- 212 A. - 22 - s'expérience l. l'expérience.
- 213 A. - 43 - élevé l. moins élevé.
- 220 B. - 5 - tels l. telle.
- 221 A. - 29 - l'ame l. dans l'ame.
- 227 B. - 30 - qualiés l. qualités.
- 228 B. - 41 - consideration l. condensation.
- 229 A. - 31 - animaut l. aimant.
- 232 A. - 10 - au l. ou.
- 233 A. - 6 - Chapitre XI. l. Chapitre IX.
- 234 A. - 2 - jugons l. jugeons.
- — - - 39 - convencus l. convaincus.
- 239 A. - 25 - et l. est.

p. 239 B. l. 17 & 18 delendum est: à l'entour de la terre.
- 242 A. - 24 pro font l. fond.
- 249 B. - 3 - dépuilles l. dépouilles.
- — - - 15 - rougueur l. rougeur.
- 252 A. - 14 - est l. et.
- 253 A. - 26 - tourture l. torture.
- 258 A. - 22 - rigeur l. rigueur.
- — - - 23 - on l. ou.
- 260 A. - 47 - certaine l. entraîne.
- 263 A. - 5 - prévalance l. prévalence.
- 265 B. - 54 - ou l. lege sans.
- 266 B. - 32 - das l. dans.
- 269 A. - 23 & 24 delendum est: comme il y a ... mouvement.
- 271 A. - 29 - Hardie l. Hardi.
- 281 A. - 15 - réfléchit l. réfléchir.
- — - - 16 - réfléchir l. réfléchit.
- 292 A. - 22 - regardant l. regardent.
- 298 B. - 4. - si l. s'y.
- 299 B. - 29 - Germaine l. Germanie.
- 302 B. - 2 - pan l. paon.
- — - - 24 - en l. ce.
- — - - 41 - qu'ou l. qu'on.
- 306 B. - 35 - de la parallélisme l. de parallélisme.
- 307 B. - 3 - prs l. pris.
- 313 B. - 50 - c'est l. (c'est.
- 314 A. - 32 - participier l. participer.
- 320 A. - 48 - ses l. les.
- 336 A. - 11 - sous l. nous.
- 354 B. - 43 - des l. de-
- — - - 44 - No l. Nos.
- 365 A. - 36 - lours l. leurs.
- — - - 50 - où l. (où.
- 377 A. - 42 - d'Enigne l' d'énigme.
- 398 A. - 37 - ou l. où.
- — B. - 10 post Maître adde: „St. Pierre a ète disciple, donc quelque disciple a renié son Maître.
- 411 A. - 27 pro la perte l. la nouvelle de la perte.

Vol. II.

p. 434 A. l. 8 pro sonsensus l. consensus.
- 447 A. - 11 - libero l. libro.
- 458 - 1 - LXV. l. LXIX.
- 474 B. - 25 - cu l. eu.
- 475 B. - 55 - es l. et.
- 541 A. - 15 & 16 delendum est: pg. 84. 86. 140.
- 544 B. - 43 pro Zenebog lege Zernebog.
- 591 B. - 31 - réfléchislent l. réfléchissent.
- 595 B. - 28 - novelle l. nouvelle.
- 598 B. - 48 - 223 l. 323.
- 599 B. - 18 - quelques l. quelque.
- 611 B. - 46 - intitulé. l. intitulé:
- 683 B. - 17 - Lebinitius l. Leibnitius.
- — - - 23 - 4703 l. 1703.
- 690 - 5 - 1711 l. 1712.
- 695 A. - 26 - vuide l. fluide.
- 696 B. - 12 - accorda l. accordera.
- — - - 24 - infinie l. finie.
- 702 A. - 20 - des me l. de mes.

p. 707 A. l. 19 pro attachement l. attouchement.
- 731 - 3 - 1714 l. 1715.
- 733 A. - 52 - instancs l. instants.
- 741 B. - 7 - modus l. modus?
- 742 A. - 47 - Eluxu l. fluxu.
- — B. - 9 - constuit l. constituit.
- 745 A. - 21 - quenes l. queues.
- — - ult. - substantiam l. substantiatum.
- 746 B. - 14 - actue l. actuel.
- 750 B. - 17 - manimées l. inanimées.
- 754 A. - 36 - uniquemeot l. uniquement.
- 758 B. - 17 - une l. que.
- 768 A. - 28 - cops l. corps.
- 773 B. - 41 - sens l. sent.
- 778 A. - 22 - semblent l. semblant.
- 784 B. - 13 - les toutes l. toutes les.
- 788 B. - 23 - Augens l. Agens.

I.
DISPUTATIO METAPHYSICA
DE
PRINCIPIO INDIVIDUI.

1663.

(Disputatio metaphysica de principio individui, quam Deo O. M. annuente et indultu inclytae Philosoph. Facultatis in illustri Academia Lipsiensi, Praeside Viro excellentissimo et clarissimo Dn. M. Jacobo Thomasio, eloquentiae P. P. Min. Princ. Colleg. Collegiato, praeceptore et fautore suo maximo, publice ventilandam proponit Gottfredus Guilielmus Leibnuzius, Lips, Philos. et B. A. Baccal. Aut. et Resp. 30. Maji Anni MDCLXIII. — Lipsiae typis viduae Henningi Coleri. 4.)

CUM DEO.

§. 1. Quanto latius argumentum nostrum diffusum est, verba vero pauciora esse debent, tanto magis abstinendum nobis a praefatione esset, nisi admoneret Divino Numini debita invocatio. Deum igitur, primum Actum Fontemque secundorum, oramus obtestamurque, ut cujus in re ipsa causa est, ejus quoque in nostra cognitione suscitator esse velit, ne quicquam cuiquam, nisi ipsi, bonitatis debeamus.

§. 2. Ante omnia autem statum quaestionis excutiemus. Acturi igitur sumus de principio individui, ubi et principium et individuum varie accipitur. Et quod ad individuum attinet, quemadmodum universale, sic ipsum quoque vel logicum est in ordine ad praedicationem, vel metaphysicum in ordine ad rem. Atque sic rursum aut prout in re est, aut, prout in conceptu, seu ut alii exprimunt, formaliter aut fundamentaliter: Et formaliter, vel de individuo omni, vel creato tantum, vel substantia tantum, vel substantia materiali. Principii quoque vox notat tum cognoscendi principium, tum essendi. Essendi internum et externum. Quare, ut haec colligam: agemus de aliquo reali et, ut loquuntur, principio physico, quod rationis individui formalis, seu individuationis, seu differentiae numericae in intellectu sit fundamentum, idque in individuis praecipue creatis, substantialibus.

§. 3. Quoniam vero, ut attritu silicis scintillae emicant, ita commissione sententiarum veritas detegitur, age primum eas digeremus. Sunt autem duo genera opinionum: alii hypotheses habuere ad omnia individua applicabiles, ut Scotus; alii secus, ut Thomas, qui in corporibus materiam signatam, in Angelis eorum entitatem, principium posuit. Nos quoniam hic abstrahemus a substantia materiali et immateriali, speciales opiniones alio tempore consideraturi, nunc generales tantum excutiemus. Quas praecipue quatuor numerare licet. Aut enim principium individuationis ponitur entitas tota (1) aut non tota. Non totam aut negatio exprimit (2), aut aliquid positivum; Positivum hoc aut pars physica est, essentiam terminans, existentia (3), aut metaphysica, speciem terminans, haecceitas (4).

§. 4. Prima opinio, quoniam et gravissimis viris defenditur et difficultates omnes tollit, a nobis quoque recipietur, cujus confirmatio velut generale argumentum contra reliquas suppeditabit. Pono igitur: omne individuum sua tota entitate individuatur. Et tenet Petrus Aureolus apud Joh. Capreolum, qui eum nondum editum diligenter confutavit, 2. sent. d. 3. q. 2 Herveus, quodlib. 3. q. 9. Dicitque Soncinas, quod haec opinio sit Terministarum seu Nominalium, 7. Met. q. 31. Et tenent sane Gregor. Ariminiensis 1. sent. d. 17. q. 4. Gabriel Biel in 2. sent. d. 3. q. 1. Quos adducit recentior Nominalis Schauthe et l. 2. Contr. 5. artic. 1. Tenet idem Durandus 2. d. 3. q. 2., citantibus sic plerisque, quamvis, ut notat Murcia, disp. 7. in l. 1. Physic. Ar. q. 1., citari soleat pro sola forma, quum tamen n. 15. expresse hanc materiam et hanc formam afferat. Male autem Ramoneda eos, qui dicunt, individuum se ipsum individuare, et qui dicunt, materiam et formam id praestare, divellit, ut sibi contradistinctos, quum sint potius subordinati, ut speciales generalibus. Quid enim est materia et forma unitae, nisi tota entitas compositi? Adde quod nos hic abstrahimus a corporibus et Angelis; potius igitur termino totius entitatis, quam materiae et formae utimur. Idem igitur tenet Fr. Murcia, l. c, Fr. Suarez, disp. Met. 5, Zimara apud Mercenar. disp. de. P. I. P. l. c. 9, Perer. l. 6. c. 12. Ac nuperrime Pl. Reverend. Calov. Met. Part. Spec. tr. 1. art. 1. c. 3. n. 2. et B. Stahl. Comp. Met. c. 35.

§. 5. Argumenta pro hac sententia haec fere sunt: 1. Per quod quid est, per id unum numero est. Sed

Vol. II.

p. 434 A. l. 8 pro sonsensus l. consensus.
- 447 A. - 11 - libero l. libro.
- 458 - 1 - LXV. l. LXIX.
- 474 B. - 25 - cu l. eu.
- 475 B. - 55 - es l. et.
- 541 A. - 15 & 16 delendum est: pg. 84. 86. 140.
- 544 B. - 43 pro Zenebog lege Zernebog.
- 591 B. - 31 - réfléchistent l. réfléchissent.
- 595 B. - 28 - novelle l. nouvelle.
- 598 B. - 48 - 223 l. 323.
- 599 B. - 18 - quelques l. quelque.
- 611 B. - 46 - intitulé. l. intitulé:
- 683 B. - 17 - Lebinitius l. Leibnitius.
- — - - 23 - 4703 l. 1703.
- 690 - 5 - 1711 l. 1712.
- 695 A. - 26 - vuide l. fluide.
- 696 B. - 12 - accorda l. accordera.
- — - - 24 - infinie l. finie.
- 702 A. - 20 - des me l. de mes.

p. 707 A. l. 19 pro attachement l. attouchement.
- 731 - 3 - 1714 l. 1715.
- 733 A. - 52 - instancs l. instants.
- 741 B. - 7 - modus l. modus?
- 742 A. - 47 - Eluxu l. fluxu.
- — B. - 9 - constuit l. constituit.
- 745 A. - 21 - quenes l. queues.
- — - ult. - substantiam l. substantiatum.
- 746 B. - 14 - actue l. actuel.
- 750 B. - 17 - manimées l. inanimées.
- 754 A. - 36 - uniquemeot l. uniquement.
- 758 B. - 17 - une l. que.
- 768 A. - 28 - cops l. corps.
- 773 B. - 41 - sens l. sent.
- 778 A. - 22 - semblent l. semblant.
- 784 B. - 13 - les toutes l. toutes les.
- 788 B. - 23 - Augens l. Agens.

I.
DISPUTATIO METAPHYSICA
DE
PRINCIPIO INDIVIDUI.

1663.

(Disputatio metaphysica de principio individui, quam Deo O. M. annuente et indultu inclytae Philosoph. Facultatis in illustri Academia Lipsiensi, Praeside Viro excellentissimo et clarissimo Dn. M. Jacobo Thomasio, eloquentiae P. P. Min. Princ. Colleg. Collegiato, praeceptore et fautore suo maximo, publice ventilandam proponit Gottfredus Guilielmus Leibnuzius, Lips, Philos. et B. A. Baccal. Aut. et Resp. 30. Maji Anni MDCLXIII. — Lipsiae typis viduae Henningi Coleri. 4.)

CUM DEO.

§. 1. Quanto latius argumentum nostrum diffusum est, verba vero pauciora esse debent, tanto magis abstinendum nobis a praefatione esset, nisi admoneret Divino Numini debita invocatio. Deum igitur, primum Actum Fontemque secundorum, oramus obtestamurque, ut cujus in re ipsa causa est, ejus quoque in nostra cognitione suscitator esse velit, ne quicquam cuiquam, nisi ipsi, bonitatis debeamus.

§. 2. Ante omnia autem statum quaestionis excutiemus. Acturi igitur sumus de principio individui, ubi et principium et individuum varie accipitur. Et quod ad individuum attinet, quemadmodum universale, sic ipsum quoque vel logicum est in ordine ad praedicationem, vel metaphysicum in ordine ad rem. Atque sic rursum aut prout in re est, aut, prout in conceptu, seu ut alii exprimunt, formaliter aut fundamentaliter: Et formaliter, vel de individuo omni, vel creato tantum, vel substantia tantum, vel substantia materiali. Principii quoque vox notat tum cognoscendi principium, tum essendi. Essendi internum et externum. Quare, ut haec colligam: agemus de aliquo reali et, ut loquuntur, principio physico, quod rationis individui formalis, seu individuationis, seu differentiae numericae in intellectu sit fundamentum, idque in individuis praecipue creatis, substantialibus.

§. 3. Quoniam vero, ut attritu silicis scintillae emicant, ita commissione sententiarum veritas detegitur, age primum eas digeremus. Sunt autem duo genera opinionum: alii hypotheses habuere ad omnia individua applicabiles, ut Scotus; alii secus, ut Thomas, qui in corporibus materiam signatam, in Angelis eorum entitatem, principium posuit. Nos quoniam hic abstrahemus a substantia materiali et immateriali, speciales opiniones alio tempore consideraturi, nunc generales tantum excutiemus. Quas praecipue quatuor numerare licet. Aut enim principium individuationis ponitur entitas tota (1) aut non tota. Non totam aut negatio exprimit (2), aut aliquid positivum; Positivum hoc aut pars physica est, essentiam terminans, existentia (3), aut metaphysica, speciem terminans, haecceitas (4).

§. 4. Prima opinio, quoniam et gravissimis viris defenditur et difficultates omnes tollit, a nobis quoque recipietur, cuius confirmatio velut generale argumentum contra reliquas suppeditabit. Pono igitur: omne individuum sua tota entitate individuatur. Et tenet Petrus Aureolus apud Joh. Capreolum, qui eum nondum editum diligenter confutavit, 2. sent. d. 3. q. 2 Herveus, quodlib. 3. q. 9. Dicitque Soncinas, quod haec opinio sit Terminstarum seu Nominalium, 7. Met. q. 31. Et tenent sane Gregor. Ariminiensis 1. sent. d. 17. q. 4. Gabriel Biel in 2. sent. d. 3. q. 1. Quos adducit recentior Nominalis Schauthe et l. 2. Contr. 5. artic. 1. Tenet idem Durandus 2. d. 3. q. 2., citantibus sic plerisque, quamvis, ut notat Murcia, disp. 7. in l. 1. Physic. Ar. q. 1., citari soleat pro sola forma, quum tamen n. 15. expresse hanc materiam et hanc formam afferat. Male autem Ramoneda eos, qui dicunt, individuum se ipsum individuare, et qui dicunt, materiam et formam id praestare, divellit, ut sibi contradistinctos, quum sint potius subordinati, ut speciales generalibus. Quid enim est materia et forma unitae, nisi tota entitas compositi? Adde quod nos hic abstrahimus a corporibus et Angelis; potius igitur termino totius entitatis, quam materiae et formae utimur. Idem igitur tenet Fr. Murcia, l. c, Fr. Suarez, disp. Met. 5, Zimara apud Mercenar. disp. de. P. I. P. l. c. 9, Perer. l. 6. c. 12. Ac nuperrime Pl. Reverend. Calov. Met. Part. Spec. tr. 1. art. 1. c. 3. n. 2. et B. Stahl. Comp. Met. c. 35.

§. 5. Argumenta pro hac sententia haec fere sunt: 1. Per quod quid est, per id unum numero est. Sed

res quaelibet per suam entitatem est: E. — Maior probatur, quia unum supra ens nihil addit reale. Usi sunt hoc argumento omnes hujus sententiae defensores. Respondet Bassolius Scotista negando majorem: ac dicit, naturam seu entitatem rei differre formaliter, non realiter. Et sic limitat: per quod quid est, per idem realiter unum numero est, et sic conceditur: si per idem formaliter, negatur. Et ad probationem dicere potest, quod unum aliquid supra ens addat formaliter diversum. Sed haec profligabuntur infra in refutatione Scoti.

§. 6. Mercenarius negat majorem, et ad probationem dicit, non quidem unum specie, sed tamen unum numero addere aliquid supra ens. Sed contra: id quod addit, quum sit aliquid reale, erit ipsum quoque ens, E. addet aliquid supra se ipsum. Si vero dicat, non loqui se de omni ente, quod etiam modos includat, urgeo: id, supra quod unitas numerica aliquid addit, est ens. Si igitur est unum numero praecisum ab addito, nihil addit unitas numerica; sin minus, dabitur quoddam ens reale, quod non sit singulare, de quo infra. Taceo, quod Mercenarius more Scotistico respondit, quum faveat Thomae.

§. 7. Ramoneda respondet: unum et ens formaliter differre, quamvis materialiter sint idem. Per τὸ formaliter intelligit: differre ratione. E. etiam principia unius numero et entis, ratione differunt. Soncinas ait, Arist. IV. Met. 2, unde hoc argumentum sumunt, non loqui de unitate numerali, sed transcendentali. Verum et illa est transcendens, et non datur unitas realis speciei, praeter numeralem. Posset quoque aliquis pro omnibus sententiis adversis ex eo fundamento, quo a nobis differunt, respondere, fieri unum numero per suam entitatem, sed non totam. Verum obstat, quod altera quoque pars intrinsece est una numero, et sequeretur, si principia interna unius et entis differunt ut totum et pars, unum et ens quoque ut totum et partem differre, imo ens aliquid addere supra unum. Atque haec de hoc argumento fusius, ut melius videatur, quae quisque effugia quaerat.

§. 7. 2. Quae sunt principia entis in universali universalia, ea sunt ejus principia in singulari singularia. Sed tota entitas est principium entis universale in universali: E. — Major probatur probabiliter ab analogia 2, quia principia universalia nullo alio differunt a singulari, nisi quod a multis singularibus similibus abstrahuntur. Est hoc argumentum Stahlii. 3. Durandus: universale et singulare non differunt realiter: E. habent eadem principia: E. entitas tota, quae est principium universalitatis, erit singularitatis.

§. 8. 4. Datur v. g. in Socrate natura intrinsece ad ipsum determinata, quod concedit Soncinas, extra intellectum, et si negaret, daretur contra Thomistas universale completum in rebus. Imo etiam dicit Bassolius Scotista, quod detur solum in re universale in potentia, nempe natura singularis in respectu ad intellectum, qui cum similibus comparare potest. Ulterius daturne etiam natura indifferens in Socrate? Si nulla, jam patet, quod se ipsam individuet natura Socratis; sin aliqua, dabitur simul differens et indifferens natura humana in Socrate. Nec effugit Soncinas dicens, quod differens et indifferens differat ratione. Nam sic patet, quod natura sit determinata in re per se ipsam, non per aliquid additum.

§. 9. 5. Essentia aliqua, humanitas v. g. Socratis, aut differt numero ab humanitate Platonis intrinsece, si nempe praescindamus id, quod naturae extra ipsam superadditum est, aut non. Si differt numero intrinsece, individuat se ipsam. Sin minus, sequitur, quod in se humanitas Platonis et Socratis sint idem numero. Et uti natura cum alia natura, ita posset quoque cum addito comparari. Sed nunc mitto.

§. 10. Argumenta in contrarium pauca sunt et parvi momenti. I. Quicquid constituit individuum materialiter, non constituit formaliter. Sed entitas individuum constituit ipsum materialiter: E. — Resp. negando maiorem, quia materiale et formale individui, seu species et individuum, non differunt realiter. II. Si essentia in se caret existentia, nec eam implicat, sequitur, quod sit in se indifferens. Sed verum prius; quia quod sub opposito alicuius esse et concipi potest, id istud non includit. Sed sine existentia essentia esse ac concipi potest: E. — Resp.: Essentia vel sumitur ut est in intellectu, et pro conceptu quidditativo: sic non est existentia de ratione essentiae; vel prout est in re: Sic nego, esse posse sine existentia. III. Essentiae propria unitas, nimirum formalis, seu specifica, est minor unitate numerali: E. ista non competit ei per se, quum ipsi ejus oppositum per se competat. — Resp. neg. antec. de unit. extra intellectum. — Sunt haec argumenta pleraque Soncinatis l. 7. Met. q. 31. Qui et objicit de accidentibus, quae, solo numero differentia, non possint esse in eodem subjecto simul, quod tamen falsum; item de partibus continui divulsis. Verum nos accidentia et entia incompleta removimus a nostra tractatione.

§. 11. Secunda opinio est, quae negationes ponit principium individuationis. An vero quemquam habuerit, qui defenderit, valde dubito, nisi forte aliquem Nominalium obscuriorem. Tanto magis autem suspectum est, quod Bassolius refert quosdam, qui principium individui dixissent existentiam cum duplici negatione, quod satis improbabile, nec ullam convenientiam habet. Praeterea alii, qui meminere, non adjunxere existentiam. Bassolius quoque ipse, ac si duae sententiae essent, separatim existentiam et negationes refutat. Vix tamen potuit esse ex toto Nominalis, qui hoc defendit; nam illi praesupponendum, universale magis esse ens, quam singulare. Quicquid autem sit de autore, sententia ita concipi potest, ut a summo genere, per differentias determinato, ad subalterna, indeinfimam speciem, descendas: ibi vero ulterius neque as, et negatio ulterioris descensus sit intrinsecum formale individui. Et esset haec de individuo sententia, quemadmodum Occami de puncto, qui in Logic. praedic. quant. et tr. de Eucharistia dixit, referente Pererio l. 10. c. 5, superficiem esse nihil aliud, quam corpus cum negatione extensionis in profunditate ulterioris, lineam in latitudine, punctum in longitudine. Porro prior negatio divisionis, est quasi generalis individui, altera vero negatio identitatis cum alio, faciet hoc individuum ab alio vere distinctum.

§. 12. De hac sententia Mercenar. Dilucid. de Princip. Ind. Part. 1. c. 2. et fuse de Bassolis l. 2. Sent. d. 12. q. 4. artic. 1. Fundamentum eorum est, quod persuasi fuere, nullum positivum posse statui. Sed non videre, quod natura possit individuare se ipsam. Oppugnari possunt facile: Individuum aut extra intellectum a negationibus constituitur, aut in intellectu. Si hoc, eorum responsio nihil facit ad rem; si illud: quomodo ens positivum constitui potest a negativo? Praeterea negatio non potest producere accidentia individualia; deinde: omnis negatio est alicuius positivi, alioqui erit solum verbo tenus negatio. Sint igitur duo individua Socrates et Plato: principium Socratis erit negatio Platonis, et principium Platonis negatio Socratis, erit igitur neutrubi aliquid positivum, et in quo possis pedem sistere. Acuta alia argumenta apud Bassolium vide.

§. 13. Tertia sententia est, existentiam esse principium individuationis. Hanc Fr. Murcia cuidam Carthusiano in 2. sent. d. 3., qui an sit Dionysius Rikelius (sane hunc in sententias scripsisse certum est), dicere non habeo, Fonseca Nicolao Boneto 8. Met. c. 1. id defendenti tribuit, V. Met. c. 6. q. 2. §. 1. Dupliciter autem capi potest, partim, ut existentia realis aliquis sit modus rem intrinsece individuans, ab ejus essentia a parte rei distinctus; quod si ita est, defendi minime potest, ut mox patebit. Sin ab essentia solum ratione differt, nobiscum egregie coincidit et exprimit praeterea, quo respectu essentia sit principium individuationis. Atque ita intelligo Excell. Scherzerum, Praeceptorem meum summo studio observandum. q. 43. Breviar. Metaph. Eustachii de S. Paulo.

§. 14. Nobis igitur cum prioribus potissimum agendum est, quos refutat Scot. sent. 2. d. 3. q. 3. et ejus sectator Bassol. ib. q. 4. art. 1. f. 179. Argumentor autem: I. Si essentia et existentia sunt idem a parte rei, sequitur, quod existentia sensu adversariorum non sit principium individuationis. Sed verum prius: E. et posterius. — Minorem sic fundamentaliter probo: Quaecumque realiter differunt, possunt a se invicem separari. Sed essentia et existentia non possunt separari: E. — Quae ad majorem respondent Capreol. 1. d. 8. q. 1., et Cajetanus de Ente et Essentia, q. 11. nullius sunt momenti. Minor probatur, partim quod essentia non possit auferri, partim existentia.

§. 15. Illud probo: Omne, quod aufertur, existit, praeciso eo, a quo aufertur; ablatio enim tamquam actio ad id, a quo aufertur, terminatur. E. essentia existit, praecisa existentia, quod implicat. Hoc, quod existentia non possit auferri ab essentia, negant adversarii, quorum longam seriem vide apud Petrum de Posnania Scotistam, l. 1. sent. dist. 36. q. unic. pag. 976. Sed argumentor contra: Essentia, ablata existentia, aut est ens reale aut nihil. Si nihil, aut non fuit in creaturis, quod absurdum, aut non distincta ab existentia fuit, quod intendo. Sin ens reale, fuit aut pure potentiale, aut ens actu. Sine dubio illud; nam non potest esse actu, nisi per existentiam, quam tamen separatam esse praesupposuimus. Si igitur essentia est pure potentialis, omnes essentiae sunt materia prima. Nam duo pure potentialia non differunt, ne relatione ad actum quidem, quia haec relatio, quum sit ad ens in potentia, non est realis. Si igitur essentiae non differunt a materia, sequitur, quod sola materia sit pars essentialis, et res non differant specie, v. g. essentia bruti ab essentia hominis. Nam neutra formam includit, quae est principium distinctionis specificae, et duo pure potentialia non differunt. Et si dicas, differre per relationes ad Ideas: non est relatio realis, esset enim accidens in DEO. De discrimine essentiae et existentiae vide Posnaniensem l. c. Soncin. l. 4. Met. q. 12. et l. 9. M. q. 3. Fonsec. IV. Met. q. 4. Per. l. 6. c. 14. Existentiam oppugnat Bassol. l. c. Soncin. 7. Met. q. 32. Ramoned. in Thomam, de Ent. et. Essent. p. 399.

§. 16. IVto et ultimo loco Scoti haecceitas offert se certamini, quam is attulit 2. sent. d. 3. q. 6. et teste Zabarella lib. de Constitut. Individ., c. 8. Quodlibet. q. 2. art. 3. et Comment. in V. Met. t. 12, ac discipuli pro

juramento suo (ut meminit Mercenar. in responsione ad cujusdam Scotistae impugnationem suae sententiae) certatim defenderunt: in quibus satis vetustus est, et unde audacter ejus sensum rimeris, Joh. de Bassolis, ipsius Scoti auditor, Occamo tamen fortasse prior, quia ejus contra Scotum placita nullibi refutat.

§. 17. Notum autem est, Scotum fuisse Realium extremum, quia universalia veram extra mentem realitatem habere statuit, cum Thomas formale eorum proficisci ab intellectu vellet. Ne tamen in sententiam vergeret, tributam ab Aristotele Platoni, distinctionem formalem commentus est palliando errori, quae esset quidem ante operationem intellectus, diceret tamen respectum ad eum. Hac credidit genus distingui a differentia, et consequenter differentiam numericam a specie: quoniam enim universalia realia esse praesupposuerat, vel contradicendi studio, vel quod Thomae sententiam inexplicabilem putaret, Nominalium incredibilem, necesse fuit, singularia ex universali et aliquo superaddito oriri; ut autem est proportio inter genus et speciem, ita inter speciem et individuum, quare uti illic differentia specifica est, ita hic individuificam esse concludebat.

§. 18. Hanc, eludendae Aristotelis autoritati, appellabat materiam totius. Nam, inquiebat, est forma totius, v. g. humanitas, tanquam abstractum hominis, cui opponitur materia totius, nempe haecceitas, et forma partis, anima rationalis, cui corpus, ut materia partis, opponitur. Sed id nihil est; nam haecceitas, si est materia totius, debet cum humanitate concretum constituere hominem. At illa constituit hunc hominem, deberet igitur alia vera materia totius dari, quae hominem in universali constituerit. Taceo quod illa haecceitas esset potius forma, contrahit enim et distinguit; praeterea, si, ut volunt plerique vetustiorum, v. Perer. l. 6. c. 6., quidditas rei secundum Aristotelem sola forma continetur, ut materia sit solum vehiculum, forma totius et partis apud Aristotelem sunt idem; v. Mercen l. c. c. 5. et per Apologiam totam, ac Zab. l. c. c. 8 et 10.

§. 19. Existentiam Scotus non admitit, quamvis eam formaliter distinguat ab essentia; nam apud eum species, praecisa haecceitate, existit. Defendit Scotum ex recentioribus Petrus Fonseca, quamvis a Murcia pro nostra sententia citetur, v. Met. c. 6. q. 5. et Eustachius a St. Paulo l. c. Vice versa, quod mireris, sunt qui Suaresium ad Scotum trahant, quod asserat, Disp. Met. 5., sect. 11. N. 16., individuum addere aliquid supra communem naturam, ratione distinctum. At ultima verba nubem hanc facile disjiciunt. Plerique enim concedunt, quod per operationem mentis detur differentia individualis: an igitur Fr. Oviedo et similes propterea Scotistae erunt? Primum autem Scoti fundamenta ponam et solvam, inde adductis machinis oppugnabo.

§. 20. Primum pro Scoto argumentum ab ipso allatum, recensente Pererio l. 6. c. 10., est: Omnis unitas aliquam entitatem consequitur, E. et numerica; illa autem entitas non est id, quod in specie includitur. E. aliquid ei superadditum, nempe differentia individualis. — Resp.: Unitas entitatem sequitur in conceptu, in re idem est. Nec entitas numerica differt a specifica realiter. II. Species non per formam vel materiam vel accidentia etc. contrahitur: E. relinquitur haecceitas. — Resp.: per nihil contrahitur, quia extra mentem nulla est. III. Quae differunt, per aliqua primo diversa differunt. E. Socrates et Plato per ultimam differentiam, nempe haecceitatem. — Resp.: quae differunt, limito: nisi sint ipsa primo diversa, et se ipsis differant, per aliqua etc. sic neg. min.

§. 21. IV. Species per differentiam specificam contrahit genus. E. individuum per differentiam numericam speciem. — Resp.: neg. antecedens extra mentem. V. Fonseca l. c.: Individua sub aliqua natura univoca sunt. E. quaedam primo diversa includunt. — Resp.: ut prius. — VI. item: per differentiam individuum speciem excedit. E. est talis differentia. Resp. ut prius. VII. Bassolius: Natura specifica habet per se unitatem minorem numerali, et aliam ab ea realiter: E. — Resp.: neg. Anteced. De probatione infra. Argumentum III. praecipue torsit Suessanum, Dilucid. l. 5., Zimaram et Mercenarium, apud quem vide l. c. c. 5. Nullus tamen in hanc mentem respondit, quia aliis fundamentis nitebantur.

§. 22. Argumentor contra Scotum: I. Si genus et differentia tantum ratione distinguuntur, non datur differentia individualis. Sed verum prius: E. — Major patet; nam etiam species et differentia numerica solum ratione distinguentur. Minor probatur: 1. Quae ante operationem mentis differunt, separabilia sunt. Sed genus et differentiae non possunt separari. Quamvis enim sint loca quaedam Scoti, quibus asserat, posse fortasse Deum facere, ut universalia sint extra singularia, et similiter genus extra speciem, tamen id absurdum probo, quia nulla daretur divisio adaequata: daretur animal nec rationale, nec irrationale. Et daretur motio neque directa, neque obliqua. 2. Differentiae superiores praedicantur de inferioribus. v. g. haec rationalitas est rationalitas. E. differentia specifica includit in se differentiam generis.

E. a genere non differt. Nam genus ad differentiam suam additam habet differentiam generis sui, quae et ipsa includitur a sua. Et ita ad usque summum. Et quia aliquando sistendum est, dixit Aristoteles: Ens praedicari de differentiis. Vide quaedam apud Soncin. l. 7. q. 36 et 37.

§. 23. II. Si non sunt universalia ante mentis operationem, non datur compositio ante mentis operationem ex universali et individuante. Non est enim realis compositio, cujus non omnia membra sint realia. Sed verum prius: E. — Min. prob.: Omne quod ante mentis operationem realiter ab altero ita differt, ut neutrum sit pars alterius vel ex toto, vel ex parte, potest ab altero separari. Nam in adaequate differentibus neutrum altero ad suum esse indiget. E. potest separari per potentiam Dei absolutam, et solum pars a toto, ita ut id permaneat, est simpliciter inseparabilis. Min. prosyll. probatur: daretur enim linea realiter neque recta, neque curva, quod absurdissimum. v. Ruv. log. de universal q. 4.

§. 24. III. Si non datur distinctio formalis, ruit haecceitas. Sed verum prius: E. — Antequam probemus, de hac distinctione aliqua disserenda sunt. Videri autem possunt Stahl. Comp. Metaph. c. 23. Soncin. l. 7. q. 35. Posnaniensis 1. sent. d. 34. dubio 64. Tribuitur communiter Scoto, ut media inter realem et rationis, unde ejus sectatores dicti Formalistae. Hac putat distingui attributa in Divinis, et relationes personales ab essentia, quidditates rerum inter se et a Deo in esse cognito, praedicata superiora ab inferioribus, genus a differentia, essentiam ab existentia: explicat eam Rhada, quod sit inter duas realitates seu formalitates, in subjecto identificatas, diversas vero in ordine ad intellectum; differre a rationis distinctione, quod haec requirat ante se operationem mentis in actu. Sed mire perplexi sunt et inconstantes, ubi haec in actu exercito applicanda sunt. Nam si haecceitas a specie solum differt, quod apta est distincte movere intellectum, quam male ad principium individui affertur, quod praeciso intellectu quaeri debet? Quare necesse est majus quiddam sub eorum verbis latere. Sed id absurdum est, quodcumque sit, simulatque enim, praeciso intellectu, differunt, non sunt sibi identificata.

§. 25. Posnaniensis illas formalitates interpretatur: conceptus objectivos, et rationes intelligibiles, seu rem cum relatione ad conceptus in mente formales. Sed id nihil est; nam conceptus potius formalis fundatur in objectivo, si igitur etiam objectivus in formali, daretur circulus, ac dum utrumque, fundaretur neutrum, et evanesceret utrumque. Deinde ratio illa intelligibilitatis esset vel ad conceptum divinum sive Ideas, sed hic illa relatio non esset realis; non enim cadit in DEUM accidens. E. Nihil superesset distinctioni a parte rei: vel ad verbum mentis, ut vocant, creatum. Sed si omnis intellectus creatus tolleretur, illa relatio periret, et tamen res individuarentur, E. tunc se ipsis. Adde, quod relatio illa, si esset realis, haberet suam haecceitatem, esset enim singularis, et sic in infinitum. Praeterea est ad ens in potentia, seu conceptum formalem, qui esse potest, et si dicas, illam relationem formaliter differre a termino, quaero similiter de relatione hujus relationis in infinitum. Nam et ipsa relatione ad intellectum indigeret.

§. 26. IV. Inexplicabile est, quo modo accidentia individualia ab haecceitate oriantur; ex nostra enim sententia facile explicari potest, quia dantur dispositiones materiae ad formam, nullae vero speciei ad haecceitatem. Vid. Herveum, quodlib. 3. q. 9. contra Scotum, apud Perer. l. c., et Scaliger Exerc. 307 ad Cardan. N. 17. Atque ita, Divina ope adjuti, sententias generales absolvimus.

COROLLARIA [1]).

I. Materia habet de se actum entitativum.

II. Non omnino improbabile est, materiam et quantitatem esse realiter idem.

III. Essentiae rerum sunt [2]) sicuti numeri.

IV. Essentiae rerum non sunt aeternae nisi ut sunt in Deo.

V. Possibilis est penetratio dimensionum.

VI. Hominis solum una est anima, quae vegetativam et sensitivam virtualiter includat.

VII. Epistolas, Tyranno Phalaridi adscriptas, suppositias crediderim. Nam Siculi Dores erant, hic genus dicendi Atticum. Adde quod Atticismus illo tempore durior, ut Thucydidis, sed hae sapiunt aetatem Luciani. Certe ubi combustionem Perilli dependit, declamatorem se prodit autor.

T a n t u m.

---

[1]) Haec corollaria reperiuntur etiam in Editione Operum omnium Leibnitii, quam Ludovicus Dutens curavit Genev. 1768, VI. Vol. 4. Quippe qui, cum ipsam dissertationem deperditam opinaretur, corollaria vero inveniret in: Ludovici Ausführlicher Entwurf einer vollständigen Historie der Leibnitzischen Philosophie, Lpz. 1737, — sub titulo „septem propositionum e disputatione metaphysica" editioni suae ea inseruit Tom. II. P. 1. p. 400.

[2]) Mendose Dutens l. c. scribit: aeternae sicut numeri.

II.


DISSERTATIO

DE ARTE COMBINATORIA,

CUM APPENDICE.

1 6 6 6.

(**Gottfredi Guilielmi Leibnüzii** Lipsiensis Ars combinatoria, in qua ex Arithmeticae fundamentis Complicationum et Transpositionum doctrina novis praeceptis exstrultu , et usus ambarum per universum scientiarum orbem ostenditur, nova etiam artis Meditandi seu Logicae inventionis semina sparguntur. Praefixa est Synopsis totius Tractatus et additamenti loco Demonstratio Existentiae Dei ad Mathematicam certitudinem exacta. Lips 1666. 4to. — Leibn. Opp. ed. Dutens Tom. II. P. 1. p. 341).



SYNOPSIS.

Sedes doctrinae istius Arithmetica. Hujus origo. Complexiones autem sunt Arithmeticae purae, situs figuratae. Definitiones novorum terminorum. Quid aliis debeamus. Problema I. dato numero et exponente complexiones et in specie combinationes invenire. Problema II. dato numero complexiones simpliciter invenire. Horum usus 1) in divisionis inveniendis speciebus: v. g. mandati, Elementorum, Numeri, Registrorum Organi Musici, modorum syllogismi categorici, qui in universum sunt 512. juxta Hospinianum, utiles 88 juxta nos. Novi Modi figurarum ex Hospiniano: Barbari, Celaro, Cesaro, Camestros; et nostri figurae IVtae Galenicae: Fresismo, Ditabis, Celanto, Colanto. Sturmii modi novi ex terminis infinitis, Daropti. Demonstratio conversionum. De complicationibus figurarum in Geometria, congruis, hiantibus, texturis. Ars casus formandi in Jurisprudentia. Theologia autem quasi species est Jurisprudentiae, de jure nempe publico in republica DEI super homines:

2) in inveniendis datarum specierum generibus subalternis, de modo probandi sufficientiam datae divisionis. 3) Usus in inveniendis propositionibus et argumentis. De arte combinatoria Lullii, Athanasii Kircheri, nostra, de qua sequentia: Duae sunt copulae in propositionibus: Revera, et Non, seu † et — De formandis praedicamentis artis con2natoriae. Invenire: dato definito vel termino, definitiones, vel terminos aequipollentes: Dato subjecto praedicata in propositione UA. item PA. item N. Numerum Classium, Numerum Terminorum in Classibus: Dato capite complexiones: dato praedicato subjecta in propositione UA, PA, et N. Datis duobus terminis in propositione necessaria UA et UN argumenta seu medios terminos invenire. De Locis Topicis seu modo efficiendi et probandi propositiones contingentes. Specimen mirabile praedicamentorum artis con2natoriae ex Geometria. Porisma de Scriptura universali cuicunque legenti cujuscunque linguae perito intelligibili. Dni de Breissac specimen artis con2natoriae seu meditandi in re bellica, cujus beneficio omnia consideratione digna Imperatori in mentem veniant. De Usu rotarum concentricarum chartacearum in arte hac. Serae hac arte constructae sine clavibus aperiendae, Mahl-Schlösser, Mixturae colorum. Probl. III. Dato numero classium et rerum in singulis, complexiones classium invenire. Divisionem in divisionem ducere, de vulgari Conscientiae divisione. Numerus sectarum de summo bono e Varrone apud Augustinum. Ejus examen. In dato gradu consanguinitatis numerus 1) cognationum juxta l. 1 et 3. D. de Grad. et Aff. 2) personarum juxta l. 10. D. eod. singulari artificio inventus. Problema IV. Dato numero rerum variationes ordinis invenire. Uti hospitum in mensa 6. Drexelio, 7. Harsdorffero, 12. Henischio. Versus Protei, v. g. Bauhusii, Lausii, Ebelii, Riccioli, Harsdorfferi. Variationes literarum Alphabeti, comparatarum atomis; Tesserae grammaticae. Probl. V. Dato numero rerum variationem vicinitatis invenire. Locus honoratissimus in rotundo. Circulus Syllogisticus. Probl. VI. Dato numero rerum variandarum, quarum aliqua vel aliquae repetuntur, variationem ordinis invenire. Hexametrorum species 76. Hexametri 26. quorum sequens antecedentem litera excedit Publii Porphyrii Optatiani: quis ille. Diphtongi ae scriptura. Probl. VII. Reperire dato capite variationes. Probl. VIII. Variationes alteri dato capiti communes. Probl. IX. Capita variationes communes habentia. Probl. X. Capita variationum utilium et inutilium. Probl. XI. Variationes inutiles. XII. Utiles. Optatiani Proteus versus. J. C. Scaligeri (Virgilii Casualis). Bauhusii (Ovidii Casualis). Kleppisii (praxis computandi Variationes inutiles et utiles), Caroli a Goldstein, Reimeri. CL. Daunii 4, quvrum ultimi duo plusquam Protei. Additamentum: Demonstratio Existentiae DEI.

DEMONSTRATIO
EXISTENTIAE DEI.
PRAECOGNITA:

1. Definitio 1. Deus est Substantia incorporea infinitae virtutis.
2. Def. 2. Substantiam autem voco, quicquid movet aut movetur.
3. Def. 3. Virtus infinita est Potentia principalis movendi infinitum. Virtus enim idem est quod potentia principalis, hinc dicimus causas secundas operari in virtute primae.
4. Postulatum. Liceat quotcunque res simul sumere, et tanquam unum totum supponere. Si quis praefractus hoc neget, ostendo. Conceptus partium est, ut sint entia plura, de quibus omnibus si quid intelligi potest, quoniam semper omnes nominare vel incommodum vel impossibile est, excogitatur unum nomen, quod in ratiocinationem pro omnibus partibus adhibitum compendii sermonis causa, appellatur Totum. Cumque datis quotcunque rebus, etiam infinitis, intelligi possit, quod de omnibus verum est; quia omnes particulatim enumerare infinito demum tempore possibile est, licebit unum nomen in rationes ponere loco omnium: quod ipsum erit Totum.
5. Axioma 1. Si quid movetur, datur aliud movens.
6. Ax. 2. Omne corpus movens movetur.
7. Ax. 3. Motis omnibus partibus movetur totum.
8. Ax. 4. Cujuscunque corporis infinitae sunt partes, seu ut vulgo loquuntur, Continuum est divisibile in infinitum.
9. Observatio. Aliquod corpus movetur.

Ἔκθεσις.

1) Corpus amovetur per praecog. 9. 2) E. datur aliud movens per 5. 3) et vel incorporeum, 4) quod infinitae virtutis est [per 3. 5) quia A ab eo motum habet infinitas partes per 8.] 6) et Substantia per 2. 7) E. DEUS per 1. q. e. d. 8) vel Corpus, 9) quod dicamus B. 10) id ipsum et movetur per 6. 11) et recurret quod de corpore A demonstravimus, atque ita vel aliquando dabi-

tur incorporeum movens, 12) nempe ut in A ostendimus ab ἐκϑ. 1. ad 7. DEUS q. e. d. 13) vel in omne infinitum existent corpora continue se moventia 14) ea omnia simul, velut unum totum liceat apellare C. per 4. 15) Cumque hujus omnes partes moveantur per ἐκϑ. 13. 16) movebitur ipsum per 6. 17) ab alio per 5. 18) incorporeo, quia [omnia corpora in infinitum retro, jam comprehendimus in C. per ἐκϑ. 14. nos autem requirimus aliud a C. per ἐκϑ. 17.] 19) infinitae virtutis [per 3. quia quod ab eo movetur, nempe C. est infinitum per ἐκϑ. 13. + 14.] 20) Substantia per 2. 21) Ergo DEO per 1. Datur igitur Deus. Q. E. D.

PROOEMIUM.

1 **Metaphysica**, ut altissime ordiar, agit
tum de ente, tum de entis affectionibus: ut au-
tem corporis naturalis affectiones non sunt cor-
2 pora, ita entis affectiones non sunt entia. Est
autem entis affectio (seu modus), alia absoluta
quae dicitur **Qualitas**, alia respectiva, eaque vel
rei ad partem suam, si habet, **Quantitas**; vel rei
ad aliam rem **Relatio**, etsi accuratius loquendo,
supponendo partem quasi a toto diversam, etiam
3 quantitas rei ad partem relatio est. Manifestum
igitur neque qualitatem, neque quantitatem, ne-
que relationem entia esse: Earum vero tracta-
tionem in actu signato ad Metaphysicam perti-
4 nere. Porro omnis relatio aut est **Unio** aut
Convenientia. In unione autem res, inter quas
haec relatio est, dicuntur **partes**, sumtae cum
unione, **Totum**. Hoc contingit quoties plura
simul tanquam **Unum** supponimus. **Unum** au-
tem esse intelligitur quicquid uno actu intelle-
ctus, s. simul, cogitamus, v. g. quemadmodum
numerum aliquem quantumlibet magnum, saepe
Caeca quadam **cogitatione** simul apprehendi-
mus, cyphras nempe in charta legendo cui explicate
intuendo ne **Mathusalae** quidem aetas suffe-
5 ctura sit. Abstractum autem ab uno est **Unitas**,
ipsumque totum abstractum ex unitatibus, seu
totalitas dicitur **Numerus**. **Quantitas** igitur
est numerus partium. Hinc manifestum in re ipsa
quantitatem et numerum coincidere. Illam ta-
men interdum quasi extrinsece, relatione seu ra-
tione ad aliud, in subsidium nempe quamdiu
6 numerus partium cognitus non est, exponi. Et
haec origo est ingeniosae Analyticae speciosae,
quam excoluit inprimis **Cartesius**, postea in
praecepta collegere **Franc. Schottenius**, et
Erasmius Bartholinus, hic **elementis
Matheseos universalis**, ut vocat. Est igi-
tur **Analysis** doctrina de rationibus et pro-
portionibus, seu quantitate non exposita; **Arith-
metica** de quantitate exposita seu numeris:
falso autem scholastici credidere numerum
ex sola divisione continui oriri, nec ad in-
corporea applicari posse. Est enim nume-
rus quasi figura quaedam incorporea, orta ex
unione entium quorumcumque, v. g. DEI, An-
geli, Hominis, Motus, qui simul sunt quatuor.
Cum igitur numerus sit quiddam universalissi- 7
mum, merito ad Metaphysicam pertinet. Si Me-
taphysicam accipias pro doctrina eorum quae
omni entium generi sunt communia. **Mathesis**
enim, (ut nunc nomen illud accipitur) accurate
loquendo non est una disciplina, sed ex variis
disciplinis decerptae particulae quantitatem sub-
jecti in unaquaque tractantes, quae in unum
propter cognationem merito coaluerunt. Nam
uti Arithmetica atque Analysis agunt de quan-
titate entium; ita Geometria de quantitate cor-
porum, aut spatii quod corporibus coextensum
est. Politicam vero disciplinarum in professio-
nes divisionem, quae commoditatem docendi
potius, quam ordinem naturae secuta est, absit
ut convellamus. Caeterum totum ipsum (et ita 8
numerus vel totalitas) discerpi in partes tan-
quam minora tota potest, id fundamentum est
Complexionum, dummodo intelligas dari in
ipsis diversis minoribus totis partes communes,
v. g. Totum sit A. B. C. erunt minora tota, partes
illius, AB. BC. AC: Et ipsa minimarum par-
tium, seu pro minimis suppositarum (nempe uni-
tatum) dispositio, inter se et cum toto, quae
appellatur situs, potest variari. Ita oriuntur duo
Variationum genera, **Complexionis** et **Si-
tus**. Et tum **Complexio** tum situs ad Metaphy- 9
sicam pertinet, nempe ad doctrinam de toto et par-
tibus, si in se spectentur: Si vero intueamur **Va-
riabilitatem**, id est quantitatem variationis, ad
numeros et Arithmeticam deveniendum est. Com-
plexionis autem doctrinam magis ad Arithmeti-
cam puram, situs ad figuratam pertinere credi-
derim, sic enim unitates lineam efficere intelli-
guntur. Quanquam hic obiter notare volo, uni-
tates vel per modum lineae rectae vel circuli
aut alterius lineae linearumve in se redeuntium
aut figuram claudentium disponi posse, priori
modo in situ absoluto seu partium cum toto,
Ordine; posteriori in situ relato seu partium
ad partes, **Vicinitate**, quae quomodo differant
infra dicemus def. 4 et 5. Haec prooemii loco
sufficiant, ut qua in disciplina materiae hujus
sedes sit, fiat manifestum.

DEFINITIONES.

1. **Variatio** h. l. est mutatio relationis. Mutatio enim alia substantiae est, alia quantitatis, alia qualitatis; alia nihil in re mutat, sed solum respectum, situm, conjunctionem cum alio aliquo.
2. **Variabilitas** est ipsa quantitas omnium variationum. Termini enim potentiarum in abstracto sumti quantitatem earum denotant, ita enim in Mechanicis frequenter loquuntur, potentias machinarum duarum duplas esse invicem.
3. **Situs** est localitas partium.
4. Situs est vel absolutus vel relatus: ille partium cum toto, hic partium ad partes. In illo spectatur numerus locorum et distantia ab initio et fine, in hoc neque initium neque finis intelligitur, sed spectatur tantum distantia partis a data parte. Hinc ille exprimitur linea aut lineis figuram non claudentibus neque in se redeuntibus, et optime linea recta; hic linea aut lineis figuram claudentibus, et optime circulo. In illo prioritatis et posterioritatis ratio habetur maxima, in hoc nulla. Illum igitur optime **Ordinem** dixeris;
5. Hunc **vicinitatem**, illum dispositionem, hunc compositionem. Igitur ratione ordinis differunt situs sequentes: abcd. bcda. cdab. dabc.
At in Vicinitate nulla variatio, sed unus *b*
situs esse intelligitur, hic nempe: *a* *c*
Unde festivissimus **Taubmannus**, cum *d*
Decanus Facultatis philosophicae esset, dicitur Witebergae in publico programmate seriem candidatorum Magisterii circulari dispositione complexus, ne avidi lectores intelligerent, quis suillum locum teneret.
6. Variabilitatem ordinis intelligemus fere, quando ponemus **Variationes** κατ᾽ ἐξοχὴν v. g. **Res IV. possunt transponi modis 24.**
7. Variabilitatem complexionis dicimus **Complexiones.** v. g. **Res IV. modis diversis 15. invicem conjungi possunt.**
8. Numerum rerum variandarum dicemus simpliciter, **Numerum**, v. g. **IV. in casu proposito.**
9. **Complexio**, est unio minoris totius in majori, uti in prooemio declaravimus.
10. Ut autem certa complexio determinetur, majus totum dividendum est in partes aequales suppositas ut minimas, (id est quae nunc quidem non ulterius dividantur) ex quibus componitur et quarum variatione variatur complexio seu totum minus; quia igitur totum ipsum minus, majus minusve est, prout plures partes una vice ingrediuntur; numerum simul ac semel conjungendarum partium, seu unitatum, dicemus **Exponentem**, exemplo progressionis geometricae, v. g. sit totum ABCD. Si tota minora constare debent ex 2. partibus, v. g. AB. AC. AD. BC. BD. CD. exponens erit 2. sin ex tribus, v. g. ABC. ABD. ACD. BCD. exponens erit 3.
11. Dato exponente complexiones ita scribemus: si exponens est 2. **Com2nationem** (combinationem); si 3. **Con3nationem** (conternationem); si 4. **Con4nationem**, etc.
12. **Complexiones simpliciter** sunt omnes complexiones omnium exponentium computatae, v. g. 15. (de 4. Numero) quae componuntur ex 4. (Unione) 6. (com2natione) 4. (con3natione) 1. (con4natione).
13. **Variatio utilis (inutilis)**, est quae propter materiam subjectam locum habere non potest; v. g. 4. Elementa com2nari possunt 6. modis; sed duae com2nationes sunt inutiles, nempe quibus contrariae Ignis, aqua, aër, terra com2nantur.
14. **Classis rerum** est totum minus, constans ex rebus convenientibus in certo tertio, tanquam partibus; sic tamen ut reliquae classes contineant res contradistinctas. v. g. infra probl. 3. ubi de classibus opinionum circa summum bonum ex B. **Augustino** agemus.
15. **Caput Variationis** est positio certarum partium; **Forma variationis**, omnium, quae in pluribus variationibus obtinet. v. infra probl. 7.
16. **Variationes communes** sunt in quibus plura capita concurrunt, v. infr. probl. 8 et 9.
17. **Res homogenea** est quae est aeque dato loco ponibilis salvo capite. **Monadica** autem quae non habet homogeneam. v. probl. 7.
18. **Caput multiplicabile** dicetur, cujus partes possunt variari.
19. **Res repetita** est quae in eadem variatione saepius ponitur. v. probl. 6.
20. Signo + designamus additionem, − subtractionem, ⌒ multiplicationem, ◡ divisionem, f. facit, seu summam, = aequalitatem. In prioribus duobus et ultimo convenimus cum **Cartesio**, Algebraistis, aliisque: Alia signa habet **Isaacus Barrowius** in sua editione **Euclidis**, Cantabrig. 8vo, anno 1655.

PROBLEMATA.

Tria sunt quae spectari debent: Problemata, Theoremata, usus; in singulis problematis usum adjecimus; sicubi operae pretium videbatur, et theoremata. Problematum autem quibusdam rationem solutionis addidimus. Ex iis partem posteriorem primi, secundum et quartum aliis debemus, reliqua ipsi eruimus. Quis illa primus detexerit ignoramus. Schwenterus Delic. l. 1. Sect. 1. prop. 32. apud Hieronymum Cardanum, Johannem Buteonem et Nicolaum Tartaleam extare dicit. In Cardani tamen practica Arithmetica quae prodiit Mediolani anno 1539. nihil reperimus. Inprimis dilucide, quicquid dudum habetur, proposuit Christoph. Clavius in Com. supra Joh. de Sacro Bosco Sphaer. edit. Romae forma 4ta anno 1785 p. 33. seqq.

PROBL. I.

DATO NUMERO ET EXPONENTE COMPLEXIONES INVENIRE.

1 Solutionis duo sunt modi, unus de omnibus complexionibus, alter de com2nationibus solum: ille quidem est generalior, hic vero pauciora requirit data, nempe numerum solum et exponentem; cum ille etiam praesupponat inventas com-
2 plexiones antecedentes. Generaliorem modum nos deteximus, specialis est vulgatus. Solutio illius talis est: »addantur complexiones exponentis antecedentis et dati de numero antecedenti, productum erunt complexiones quaesitae;« v. g. esto numerus datus 4, exponens datus 3. addantur de numero antecedente 3. com2nationes 3. et con3natio 1. (3. † 1. f. 4.) productum 4. erit quaesitum. Sed cum prae- 3
requirantur complexiones numeri antecedentis, construenda est tabula I. in qua linea suprema a sinistra dextrorsum continet Numeros, a 0 usque ad 12. utrimque inclusive, satis enim esse duximus huc usque progredi, quam facile est continuare: linea extrema sinistra a summo deorsum continet Exponentes a 0. ad 12. linea infima a sinistra dextrorsum continet Complexiones simpliciter. Reliquae inter has li- 4
neae continent complexiones dato numero qui sibi in vertice directe respondet, et exponente qui e regione sinistra. Ratio solutionis, et fundamentum tabulae patebit, si demonstraverimus, Complexiones dati numeri et exponentis oriri ex summa complexionum de numero praecedenti exponentis et praecedentis et dati. Sit enim numerus datus 5, exponens datus 3. Erit numerus antecedens 4. is habet con3nationes 4, per Tabulam I. com2nationes 6. Jam numerus 5. habet omnes con3nationes quas praecedens (in toto enim et pars continetur) nempe 4. et praeterea tot quot praecedens habet com2nationes, nova enim res qua numerus 5. excedit 4. addita singulis com2nationibus hujus, facit totidem novas con3nationes nempe 6. † 4. f. 10. E. Complexiones dati numeri etc. Q. E. D.

TABULA I.

EXPONENTES.													
0	1	1	1	1	1	1	1	1	1	1	1	1	1
1	0	1	2	3	4	5	6	7 n	8 u	9 m	10 e	11 r	12 i
2	0	0	1	3	6	10	15	21	28	36	45	55	66
3	0	0	0	1	4	10	20	35	56	84	120	165	220
4	0	0	0	0	1	5	15	35	70	126	210	330	495
5	0	0	0	0	0	1	6	21	56	126	252	462	792
6	0	0	0	0	0	0	1	7	28	84	210	462	924
7	0	0	0	0	0	0	0	1	8	36	120	330	792
8	0	0	0	0	0	0	0	0	1	9	45	165	495
9	0	0	0	0	0	0	0	0	0	1	10	55	220
10	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0	1	11	66
11	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0	1	12
12	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0	1
*	0	1	3	7	15	31	63	127	255	511	1023	2047	4095
†	1	2	4	8	16	32	64	128	256	512	1024	2048	4096

Complexiones.

Complexiones simpliciter * (seu summa Complexionum dato exponente) addita unitate, quae coincidunt cum terminis progressionis geometricae duplae. †

5 Majoris lucis causa apposuimus Tabulam II. ubi lineis transversis distinximus Con3nationem de 3. et de 4. et de 5. Sic tamen ut con3nationes priores sint sequenti communes, et per consequens tota tabula sit con3nationum numeri 5. utque manifestum esset quae con3nationes numeri sequentis ex com2nationibus antecedentis addito singulis novo hospite orirentur, linea deorsum tendente combinationes a novo hospite distinximus.

6 TAB. II.

Numerus Con3nationum			Numerus Rerum
1	a b	c	3
	—	—	
2	a b	d	
3	a c	d	
4	b c	d	
	—	—	4
5	a b	e	
6	a c	e	
7	a d	e	
8	b c	e	
9	b d	e	
10	c d	e	5

Adjiciemus hic Theoremata quorum τὸ ὅτι ex ipsa tabula I. manifestum est, τὸ διότι ex tabulae fundamento: 1. si exponens est major numero, complexio est 0. 2. Si aequalis, ea est 1. 3. Si exponens est numero unitate minor, complexio et numerus sunt idem. 4. Generaliter: exponentes duo in quos numerus bisecari potest, seu qui sibi invicem complemento sunt ad numerum easdem de illo numero habent complexiones. Nam cum in minimis exponentibus 1. et 2. in quos bisecatur numerus 3, id verum sit quasi casu, per tab. I. et vero caeteri ex eorum additione oriantur per solut. probl. 1. si aequalibus (3 et 3.) addas aequalia (superius 1. et inferius 1.) producta erunt aequalia (3 + 1. f. 4 = 4.) et idem eveniet in caeteris necessitate. 5. Si numerus est impar, dantur in medio duae complexiones sibi proximae aequales; sin par, id non evenit. Nam numerus impar bisecari potest in duos exponentes proximos unitate distantes; v. g. 1 + 2. f. 3. par vero non potest. Sed proximi in quos bisecari par potest sunt iidem, quia igitur in duos exponentes impar numerus bisecari potest, hinc duas habet complexiones aequales per th. 4. quia illi unitate distant, proximas. 6. Complexiones crescunt usque ad exponentem numero ipsi dimidium aut duos dimidio proximos, inde iterum decrescunt. 7. Omnes numeri primi metiuntur suas complexiones particulares (seu dato exponente). 8. Omnes complexiones simpliciter, sunt numeri impares [1]).

Restat hujus problematis altera pars quasi 7
specialis: »dato Numero (A) com2nationes (B) »invenire. Solutio: ducatur numerus in proxime »minorem, facti dimidium erit quaesitum, »A ⌒ A − 1.,, ◡ 2. = B. Esto v. g. Numerus »6, ⌒ 5. f. 30. ◡ 2. f. 15.« Ratio solutionis: esto Tab. III. in qua enumerantur VI. rerum, abcdef, com2nationes possibiles, prima autem res a ducta per caeteras facit com2nationes V. nempe ipso numero unitate minores; secunda b per caeteras ducta tantum IV. non enim in antecedentem a duci

TAB. III.

ab	ac	ad	ae	af
.	bc	bd	be	bf
.	.	cd	ce	cf
.	.	.	de	df
.	.	.	.	ef

potest, rediret enim prior com2natio ba vel ab (haec enim in negotio combinationis nihil differunt) ergo solum in sequentes quae sunt IV; similiter tertia c in sequentes ducta facit III. quarta d. facit II. quinta e. cum ultima f. facit I. sunt igitur con2nationes 5. 4. 3. 2. 1. + f. 15. ita patet numerum com2nationum componi ex terminis progressionis arithmeticae, cujus differentia: 1., numeratis ab 1. ad numerum numero rerum proximum, inclusive; sive ex omnibus numeris numero rerum minoribus simul additis. Sed quia uti vulgo docent arithmetici, tales numeri hoc compendio adduntur, ut maximus numerus ducatur in proxime majorem, facti dimidius sit quaesitus; et vero proxime major h. l. est ipse numerus rerum, igitur perinde est ac si dicas: Numerum rerum ducendum in proxime minorem, facti dimidium fore quaesitum.

PROBL. II.

DATO NUMERO COMPLEXIONES SIMPLICITER INVENIRE.

Datus numerus quaeratur inter exponentes pro- 8
gressionis geometricae duplae, numerus seu terminus progressionis ei e regione respondens demta Unitate erit quaesitum. Rationem, seu τὸ διότι difficile est vel concipere, vel si conceperis explicare. τὸ ὅτι ex tabula I. manifestum est. Semper enim complexiones particulares simul additae addita unitate terminum progressionis geometricae duplae constituent, cujus exponens sit numerus datus. Ratio tamen, si quis

---

[1]) Omnia hactenus tractata Leibnitius jam ante ipsam dissertationem ediderat sub titulo: „Disputatio arithmetica, de complexionibus, quam „in illustri Academia Lipsiensi indultu amplissimae „facultatis philosophicae pro loco in ea obtinendo „prima vice habebit M. Gottfredus Guilielmus „Leibnüzius Lipsiensis. J. U. Baccal. d. 7. „Mart. 1666. H. L. Q. C.“ — Cui disputationi, cum pro loco obtinendo haberetur, pro illius temporis more academico, corollaria adnexa sunt ad singulas philosophiae partes spectantia, quae in Appendice citabimus.

curiosius investiget petenda erit ex discerptione
9 in practica Italica usitata, vom Zerfällen. Quae
talis esse debet, ut datus terminus progressionis geometricae discerpatur una in plures partes, quam sunt unitates exponentis sui, id est numeri rerum; quarum semper aequalis sit prima ultimae, secunda penultimae, tertia antepenultimae etc., donec vel, si in parem discerptus est numerum partium exponente seu numero rerum impari existente, in medio duae correspondeant partes per probl. 1. th. 5. (v. g. 128. de 7. discerpantur in partes 8. juxta tabulam I. 1. 7. 21. 35. 35. 21. 7. 1.) vel si in imparem exponente pari existente, in medio relinquatur unus nulli correspondens (v. g. 256. de 8. discerpantur in partes 9. juxta Tab. I. 1. 8. 28. 56. 70. 56. 28. 8. 1.) Putet igitur aliquis ex eo manifestum esse novum modum, eumque absolutum, solvendi probl. 1. seu dato exponente inveniendi numerum complexionum, si nimirum ope Algebrae inveniatur discerptio complexionum simpliciter seu termini progr. geom. duplae juxta modum datum. Verum non sunt data sufficientia, et idem numerus in alias atque alias partes eadem tamen forma discerpi potest.

USUS PROBL. I. et II.

10 Cum omnia quae sunt aut cogitari possunt, fere componantur ex partibus aut realibus aut saltem conceptualibus, necesse est quae specie differunt aut eo differre, quod alias partes habent, et hic complexionum usus, vel quod alio situ, hic Dispositionum; illic materiae, hic formae diversitate censentur. Imo Complexionum ope non solum species rerum, sed et attributa inveniuntur. Ut ita tota propemodum Logicae pars inventiva illic circa terminos simplices, hic circa complexos fundetur in complexionibus; uno verbo et doctrina divisionum et doctrina propositionum. Ut taceam quantopere partem logices Analyticam, seu judicii diligenti de modis syllogisticis scrutatione exemplo 6. illustrare
11 speremus. In divisionibus triplex usus est complexionum, 1. dato fundamento unius divisionis inveniendi species ejus; 2. datis pluribus divisionibus de eodem genere, inveniendi species ex diversis divisionibus mixtas, quod tamen servabimus problemati 3.; 3. datis speciebus inveniendi genera subalterna. Exempla per totam philosophiam diffusa sunt, imo nec Jurisprudentiae deesse ostendemus, apud Medicos vero omnis varietas medicamentorum compositorum et φαρμακοποιητικὴ ex variorum ingredientium mixtione oritur; at in eligendis mixtionibus utilibus summo opus judicio est. Primum igitur exempla dabimus specierum hac ratione inve-
niendarum: I. apud ICtos l. 2. D. Mandati, et 12
pr. J. de Mandato haec divisio proponitur: Mandatum contrahitur 5. modis: mandantis gratia, mandantis et mandatarii, tertii, mandantis et tertii, mandatarii et tertii. Sufficientiam divisionis hujus sic venabimur: Fundamentum ejus est finis $\tilde{\omega}$, seu persona cujus gratia contrahitur, ea est triplex: mandans, mandatarius et tertius. Rerum autem trium complexiones sunt 7: Iniones tres: cum solius 1. mandantis, 2. mandatarii, 3. tertii gratia contrahitur. Com2nationes totidem: 4. Mandantis et Mandatarii, 5. Mandantis et Tertii, 6. Mandatarii et Tertii gratia. Con3natio una, nempe 7. et mandantis et mandatarii et tertii simul gratia. Hic ICti Inionem illam, in qua contrahitur gratia mandatarii solum, rejiciunt velut inutilem, quia sit consilium potius quam mandatum; remanent igitur species 6. sed cur 5. reliquerint, omissa con3na-
tione, nescio. II. Elementorum numerum, seu 13
corporis simplicis mutabilis species Aristoteles libr. 2. de Gen. cum Ocello Lucane Pythagorico deducit ex numero qualitatum primarum, quas 4 esse supponit, tanquam fundamento, his tamen legibus, ut 1. quodlibet componatur ex duabus qualitatibus et neque pluribus neque paucioribus, hinc manifestum est Iniones, con3nationes et con4nationem esse abjiciendas, solas com2nationes retinendas, quae sunt 6.; 2. ut nunquam in unam com2nationem veniant qualitates contrariae, hinc iterum duae com2nationes fiunt inutiles, quia inter primas has qualitates dantur duae contrarietates, igitur remanent com2nationes 4, qui est numerus elementorum.
Apposuimus Schema, (vide paginam titulo tra- 14
ctatus proximam) quo origo Elementorum ex primis qualitatibus luculenter demonstratur. Porro uti ex his illa Aristoteles, ita ex illis 4 temperamenta Galenus, horumque varias mixtiones medici posteriores elicuere: quibus omnibus jam superiori seculo se opposuit Claud. Campensius animadvers. natural. in Arist. et Galen. adject. ad Com. ej. in Aph. Hippocr.
ed. 8. Lugduni anno 1576. III. Numerus 15
communiter ab Arithmeticis distinguitur in Numerum stricte dictum ut 3. Fractum, ut $\frac{2}{3}$, Surdum ut Rad. 3. id est numerum qui in se ductus efficit 3, qualis in rerum natura non est, sed analogia intelligitur; et denominatum, quem alii vocant figuratum, v. g. quadratum, cubicum, pronicum. Ex horum com-

mixtione efficit Hier. Cardanus Pract. Arith. c. 2. species mixtas 11. Sunt igitur in universum complexiones 15. nempe: Iniones 4. quas diximus, com2nationes 6. Numerus et Fractus, v. g. $\frac{3}{2}$, aut $1\frac{1}{2}$, Numerus et Surdus v. g. 7. ⌒ R. 3, Numerus et Denominatus v. g. 3 + cub. de A. Fractus et Surdus $\frac{1}{2}$ + R. 3, Fractus et Denominatus v. g. $\frac{1}{2}$ ⌒ cub. de A. Surdus et Denominatus, v. g. cub. de 7. Con3nationes 4. Numerus et Fractus et Surdus, Numerus et Fractus et Denominatus, Numerus et Surdus et Denominatus, Fractus et Surdus et Denominatus. Con4natio 1. Numerus et Fractus et Surdus et Denominatus. Loco vocis: Numerus, commodius substituetur vox: Integer. Jam 4. 6. 4 + 1.
16 f. 15. IV. Registrum dicitur in Organis Pneumaticis ansula quaedam cujus apertura variatur sonus, non quidem in se melodiae aut elevationis intuitu, sed ratione canalis ut modo tremebundus modo sibilans, etc. efficiatur. Talia recentiorum industria detecta sunt ultra 30. Sunto igitur in organo aliquo tantum 12. simplicia, ajo fore in universum quasi 4095., tot enim sunt 12. rerum complexiones simpliciter per tab. I., grandis organistis, dum modo plura, modo pauciora, modo haec, modo illa simul, aperit, variandi materia. V. Th. Hobbes element. de Corpore p. I. c. 5. Res quarum dantur termini in propositionem ingredientes, seu suo stylo, Nominata, quorum dantur nomina, dividit in Corpora (id est substantias, ipsi enim omnis substantia corpus) Accidentia, Phantasmata et Nomina. Et sic nomina esse vel Corporum, v. g. homo, vel Accidentium, v. g. omnia abstracta, rationalitas, motus; vel Phantasmatum, quo refert spatium, tempus, omnes qualitates sensibiles etc. vel nominum, quo refert secundas intentiones. Haec cum inter se sexies com2nentur, totidem oriuntur genera propositionum, et additis iis ubi termini homogenei com2nantur (corpusque attribuitur corpori, accidens accidenti, phantasma phantasmati, notio secunda ontioni secundae), nempe 4, exsurgunt 10. Ex iis solos terminos homogeneos utiliter combinari arbitratur Hobbes. Quod, si ita est, uti certe et communis philosophia profitetur, abstractum et concretum, accidens et substantiam, notionem primam et secundam male invicem praedicari, erit hoc utile ad artem inventivam propositionum, seu electionem com2nationum utilium ex innumerabili rerum farragine, obser-
vare; de qua infra. VI. Venio ad exemplum 17
complexionum haud paulo implicatius: determinationem numeri Modorum Syllogismi Categorici. Qua in re novas rationes iniit Joh. Hospinianus Steinanus Prof. Organi Basileensis, vir contemplationum minime vulgarium, libello paucis noto, edito in 8. Basileae, an. 1560. hoc titulo: Non esse tantum 36. bonos malosque categorici syllogismi modos, ut Aristot. cum interpretibus docuisse videtur; sed 512. quorum quidem probentur 36. reliqui omnes reji-
ciantur. Incidi postea in controversias dia- 18
lecticas ejusdem, editas post obitum autoris Basileae 8. anno 1576. Vbi quae in Erotematis dialecticis libelloque de modis singularia statuerat, velut quadam apologia, ex 23. problematibus constante, tuetur, promittit ibi et libellum de inveniendi judicandique facultatibus, et lectiones suas in universum organon cum latina versione, quas ineditas arbitror fortasse ab autore conceptas potius, quam perfectas. Etsi autem variationem ordinis adhiberi necesse est, quae spectat ad probl. 4. quia tamen potissimae partes complexionibus debentur, huc referemus. Cum libri hujus de modis titulus primum se obtulit, antequam introspeximus, ex nostris traditis calculum subduximus hoc modo: Modus est dispositio seu forma syllogismi ratione quantitatis et qualitatis simul: Quantitate autem propositio est vel universalis vel particularis vel indefinita vel singularis; nos brevitatis causa utemur literis initialibus: U. P. J. S. Qualitate vel affirmativa vel negativa, A. N. Sunt autem in syllogismo tres propositiones, igitur ratione quantitatis, syllogismus vel est aequalis, vel inaequalis. Aequalis, seu habens propositiones ejusdem quantitatis 4. modis: 1. Syllogismus talis est: U, U, U. 2. P, P, P. 3. J, J, J. 4. S, S, S. ex quibus sunt utiles: 2. 1mus et
4tus Inaequalis vel ex parte vel in totum; Ex 19
parte, quando duae quaecunque propositiones sunt ejusdem quantitatis, tertia diversae. Et in tali casu duo genera quantitatis sunt in eodem syllogismo, etsi unum bis repetitur: id toties diversimode contingit, quoties res 4. id est genera haec quantitatum: U. P. J. S. diversimode sunt com2nabilia nempe 6. modis, et in singulis 2. sunt casus, quia jam hoc bis repetitur, jam illud, altero simplici existente. Ergo 6. ⌒ 2. f. 12. Atque ita rursus in singulis, ratione ordinis, sunt variationes 3. nam v. g. hoc U, U, P. vel ponitur uti jam; vel sic: P, U, U. vel sic: U, P, U. Ergo 12. ⌒ 3. f. 36. Ex quibus

utiles 18: 2. U (S.) U (S.) S (U) 2. U (S.) S (U) U (S.) 2. S (U) U (S) U (S) 4. U (S) U (S) P vel I. 4. U J (P) J (P) vel loco U, S. 4.
20 J (P,) U, J. (P.) et S loco U. In totum inaequalis quando nulla cum altera est ejusdem magnitudinis, et ita quemlibet Syllogismum ingrediuntur genera 3, toties alia quoties 4. res possunt con3nari, nempe 4. modis. Tria autem ratione ordinis variantur 6. modis, v. g. U, P, J; U, J, P; P, U, J; P, J, U; J, U, P; J, P, U. Ergo 4. ⌒ 6. f. 24. Ex quibus utiles 12: 2. U, P (J,) J (P) 2. J (P,) U, P, (J); totidem si pro U ponas S. 4. † 4. f. 8. 2. U (S) S (U) P. totidem si pro P ponas J. 2. † 2. f. 4. Addamus jam: 4 † 36. † 24. f. 64. Hae sunt variationes quantitatis solius. Ex quibus sunt utiles: 2 † 18. † 12. f. 32. Caeteri cadunt per reg. 1. ex puris particularibus nihil sequitur, 2. conclusio nullam ex praemissis quantitate vincit; etsi fortasse interdum ab
21 utraque vincatur, uti in Barbari. Porro cum qualitatis duae solum sint diversitates A et N. propositiones vero 3. Hinc repetitione opus est, et vel modus est similis, id est ejusdem qualitatis, vel dissimilis: hujus nulla ulterius est variatio, quia nunquam ex toto, sed semper ex parte est dissimilis, nunquam enim omnes propositiones sunt dissimiles quia solum 2. sunt diversitates. Similis species sunt 2. A, A, A. N, N, N. dissimilis 2: A, A, N. vel N, N, A. dissimilis singulae variantur ratione ordinis 3. modis, v. g. A, A, N. N, A, A. A, N, A. Ergo 2 ⌒ 3. f. 6. † 2. f. 8. toties variatur qualitas. Ex quibus utiles variationes sunt 3. AAA. NAN. ANN. per reg. 1. ex puris negativis nihil sequitur. 2. Conclusio sequitur partem in qualitate deteriorem. Sed quia modus est variatio qualitatis et quantitatis simul, et ita singulae variationes quantitatis recipiunt singulas qualitatis; hinc 64. ⌒ 8. f. 512. Numerum
22 omnium modorum utilium et inutilium. Ex quibus utiles sic repereris: duc variationes utiles quantitatis in qualitatis, 32. ⌒ 3. f. 96. de producto subtrahe omnes modos qui continentur in frisesmo, id est qui ratione qualitatis quidem sunt ANN, ratione quantitatis vero major prop. est J vel P, minor autem U vel S, et conclusio J vel P. quales sunt 8. Frisesmo enim etsi modus est, per se quodammodo subsistens, tamen est in nulla figura, v. infra. jam 96 − 8. f. 88., Numerum utilium modorum: Hospiniano, cui nostra methodus ignota, aliter, sed per ambages procedendum erat. Primum igitur c. 2. 3. Aristotelicos modos 36. investigat ex complicatione U. P. J. omisso S. et conclusione ex quibus utiles sunt 8. UA, UA. in Barbara vel Darapti, UA, PA. in Darii et Datisi, PA, UA. in Disamis, UA, UN. in Camestres; UN, UA. in Celarent, Cesare, Felapton; UA, JN. in Baroco, UN, JA. in Ferio, Festino, Ferison. JN. UA. Bocardo. Quibus addit cap. 4. Singulares similes aequales SA, SA. SN, SN. 2. inaequales 3ium generum singulis inversis, et quibuslibet vel A vel Neg. 3 ⌒ 2 ⌒ 2 f. 12. † 2. f. 14. Ex quibus Hospinianus solum admittit, ***UA, PA.*** et ponit in Darii. Quia singulares ait particularibus aequipollere cum communi logicorum schola, quod tamen mox falsum esse ostendemus. c. 5. addit singulares dissimiles totidem, nempe 14. ex quibus Hosp. solum admittit ***SN, UA.*** in Bocardo; item ***UN, SA.*** in Ferio. c. 6. addita conclusione quasi denuo incipiens enumerat modos similes aequales 4 ⌒ 2. f. 8. ex quibus utiles solum ***UA, UA, UA.*** in Barbara. juxta Hospin. similes inaequales, sunt vel ex toto inaequales, de quibus infra; vel ex parte, de quibus nunc, ubi duae propositiones sunt ejusdem quantitatis, tertia quaecunque diversae; et tunc modo duae sunt universales una indefinita, quo casu sunt modi 6. (nam una vel initio vel medio vel fine ponitur 3; semperque aut omnes sunt A, aut N. 3 ⌒ 2. fac. 6.) vel contra etiam 6. per cap. 7. fac. 12. Ex solis prioribus 6. utilis est ***UA, JA, JA.*** in Darii et Datisi. item ***JA, UA, JA.*** in Disamis, item ***UA, UA, JA.*** in Darapti, et, ut Hospinianus non inepte in Barbari. Certe cum ex propositione UA sequantur duae P. A. una conversa, hinc oritur modus indirectus Baralip; alterna subalterna 1 v. g. Omne animal est substantia. Omnis homo est animal. E. Quidam homo est substantia. hinc oritur iste: Barbari. Totidem, nempe 12., sunt modi per caput 8. si duae U. et una P. junguntur, vel contra. et iidem sunt modi utiles qui in proxima mixtione, si pro J substituas P. Totidem, nempe 12. sunt modi per c. 8. si junguntur duae U., et una S. per c. 9. et quia Hospin. habet S. pro P. putat solum modum utilem esse in Darii ***UA, SA, SA.*** v. infra. It. 12. JJP vel PPJ. omnes inutiles per c. 10. Item 12. JJS. vel SSJ. omnes, ut ille putatur inutiles per c. 11. Item 12. PPS. vel SSP. omnes ut ille putatur inutiles per c. 12. Jam 6. ⌒ 12. f. 72. † 8. fac. 80, Numerum modorum similium additis variationibus conclusionis. Dissimiles modi sunt vel aequales vel inaequales. Aequales sunt ex meris vel

U vel P vel J vel S. 4 genera quae singula variantur ratione qualitates sic. NNA. ANN etc. 6 modis uti supra diximus n. 20. jam 6 ⌒ 4 f. 24. v. cap. 13. utilis est: ***UA, UN, UN.***
23 in Camestres. Dissimiles inaequales sunt, vel ex toto inaequales, ut nulla propositio alteri sit aequalis de quibus infra, vel ex parte, ut duae sunt aequales, una inaequalis, de quibus nunc. Et redeunt omnes variationes quantitatis, de quibus in similibus ex c. 7. 8. 9. 10. 11. 12. in singulis de binis contrariis diximus. modi autem hic fiunt plures quam illic, ob variationem qualitatis accedentem. Erat igitur in c. 7. UUJ vel contra JJU. Ordo quantitatis variatur 3. modis, quia v. g. J modo initio, modo medio, modo fine ponitur. Qualitatis tum complexus variatur 2. modis NNA vel AAN. tum ordo 3. modis, uti supra dictum, ponendo A, vel N, initio aut medio aut fine, Ergo 3 ⌒ 2. ⌒ 3. f. 18. de UUJ. et contra etiam 18. de J. J. U. f. 36. per c. 14. in prioribus 18. utiles sunt modi: UA, UN, JN; vel loco JN. PN. aut SN. et sunt in modo Camestros, uti supra Barbari. UN, UA, J (P. S.) N similiter in modo Celaro et Cesaro et Felapton. UA, J (P. S.) N, J (P. S.) N. in Baroco UN, J (P. S.) A, J. (P. S.) N. in Ferio Festino et Ferison qui ultimus tamen in S locum non habet. J (P. S.) N, UA, J (P. S.) N. in Bocardo. Similiter UUP. vel PPU. 36. modos habent. Utiles designavimus proxime per P. in ( ). Similiter UUS. vel SSU faciunt simul modos 36. per c. 15. Modos utiles proxime signavimus per S. JJP, vel PPJ faciunt similiter 36. per c. 16. modi omnes sunt inutiles. JJS. et SSJ. et PPS. et SSP. faciunt modos 2 ⌒ 36. ∽ 72. per c. 17. qui omnes sunt inutiles. Huc usque distulimus inaequales ex toto, ubi nulla propositio in eodem syllogismo est ejusdem quantitatis, sunt autem vel similes, vel dissimiles; inaequales ex toto similes sunt: UJP. quae forma habet modos 12, nam 3. res variant ordinem 6. mod. qualitas autem variatur 2. mod. E. 6 ⌒ 2. f. 12. per c. 18. ubi sunt utiles: ***UA, J(P.S.) A, P (J. S.) A, UA, P (J. S.) A, J (P. S.) A.*** in Darii et Datisi. ***J (P. S.) A, UA, P (J. S.) A, P (J. S.) A, U. A, J (P. S.) A.*** in Disamis, nisi quod S. non ingreditur Minorem in Figura Tertia, UPS, et UJS quae habent modos 24. per c. 10. Utiles signavimus proxime per S. JPS. quae habet modos 12. per c. 20. omnes autem sunt inutiles juxta Hosp. Dissimiles omnino inaequales sunt eodem modo uti similes: UJP quae va-
riant ordinem 6 mod. Qualitas autem variatur 24
6. mod. E. 6 ⌒ 6 f. 36. per c. 21. Modi utiles sunt: ***UA, J (PS.) N, P (J.S.) N.*** in Baroco; ***UN, J (P. S.) A, P (J.S.) N,*** in Ferio, Festino et Ferison. ***J (P. S.) N, UA, P (J.S.) N.*** in Bocardo. UJS. et UPS. 36 ⌒ 2. f. 72. per c. 22. Modos utiles signavimus proxime per S. et P. et J. in ( ). JPS. habet modos 36. per c. 23. omnes inutiles juxta hypothesin Hosp. Addemus jam omnes modos a cap. 6. incl. ad c. 23. computatos (nam anteriores in his rediere) † 80. 24. 36. 36. 36. 36. 72. 12. 24. 12. 36. 72. 36. seu 80 † 12 ⌒ 36, f. 512. In his Hospiniani speculationibus quaedam laudamus, quaedam desideramus. Laudamus inventionem novorum modorum: Barbari, Camestros, Celaro, Cesaro; laudamus quod recte observavit, modos qui vulgo nomen invenere, v. g. Darii etc. habere se ad modos a se enumeratos velut genus ad speciem, sub Darii enim hi novem continentur ex ejus hypothesi: ***UA, JA, JA. UA, SA, SA. UA, PA, PA. UA, JA, SA. UA, SA, JA. UA, JA, PA. UA, PA, JA. UA, SA, PA. UA, PA, SA.*** Sed non aeque probare possumus, quod singulares aequavit particularibus, quae res omnes ejus rationes conturbavit, effecitque ei modos utiles justo pauciores, ut mox apparebit. Hinc ipse in controversiis dialect. c. 22. p. 430. errasse se fatetur, et admittit modos utiles 38. nempe 2. praeter priores 36. 1. in Darapti cum ex meris UA concluditur SA, quoniam Christus ita concluserit Luc. XXIII. v. 37. 38. 2. In Felapton cum ex UN et UA concluditur, SN, quia ita concluserit Paulus Rom. IX. v. 13. Nos etsi scimus ita vulgo sentiri, arbitramur tamen alia omnia veriora. Nam haec: Socrates est Sophronisci filius, si resolvatur fere juxta modum Joh. Rauen, ita habebit: Quicunque est Socrates, est Sophronisci filius. Neque male dicitur: omnis Socrates est Sophronisci filius; etsi unicus sit. (Neque enim de nomine sed de illo homine loquimur) perinde ac si dicam: Titio omnes vestes quas habeo, do lego, quis dubitet etsi unicam habeam ei deberi? Imo secundum JCtos universitas quandoque in uno subsistit. I. municipium 7. D. quod cujusque univers. nom. Magnif. Carpzov. p. 11. c. VI. def. 17. Vox enim: omnis, non infert multitudinem, sed singulorum comprehensionem. Imo supposito quod Socrates non habuerit fratrem, etiam ita recte loquor: Omnis Sophronisci filius est Socrates. Quid de

utiles 18: 2. U (S.) U (S.) S (U) 2. U (S.) S
(U) U (S.) 2. S (U) U (S) U (S) 4. U (S) U
(S) P vel I. 4. U J (P) J (P) vel loco U, S. 4.
20 J (P,) U, J. (P.) et S loco U. In totum in-
aequalis quando nulla cum altera est ejus-
dem magnitudinis, et ita quemlibet Syllogismum
ingrediuntur genera 3, toties alia quoties 4. res
possunt con3nari, nempe 4. modis. Tria autem
ratione ordinis variantur 6. modis, v. g.
U, P, J; U, J, P; P, U, J; P, J, U; J, U, P;
J, P, U. Ergo 4. ⌒ 6. f. 24. Ex quibus utiles
12: 2. U, P (J,) J (P) 2. J (P,) U, P, (J);
totidem si pro U ponas S. 4. + 4. f. 8. 2. U
(S) S (U) P. totidem si pro P ponas J. 2. + 2.
f. 4. Addamus jam: 4 + 36. + 24. f. 64.
Hae sunt variationes quantitatis solius. Ex qui-
bus sunt utiles: 2 + 18. + 12. f. 32. Caeteri
cadunt per reg. 1. ex puris particularibus nihil
sequitur, 2. conclusio nullam ex praemissis
quantitate vincit; etsi fortasse interdum ab
21 utraque vincatur, uti in Barbari. Porro cum
qualitatis duae solum sint diversitates A et N.
propositiones vero 3. Hinc repetitione opus est,
et vel modus est similis, id est ejusdem qua-
litatis, vel dissimilis: hujus nulla ulterius est
variatio, quia nunquam ex toto, sed semper ex
parte est dissimilis, nunquam enim omnes pro-
positiones sunt dissimiles quia solum 2. sunt
diversitates. Similis species sunt 2. A, A, A.
N, N, N. dissimilis 2: A, A, N. vel N, N, A.
dissimilis singulae variantur ratione ordinis 3.
modis, v. g. A, A, N. N, A, A. A, N, A.
Ergo 2 ⌒ 3. f. 6. + 2. f. 8. toties variatur
qualitas. Ex quibus utiles variationes sunt 3.
AAA. NAN. ANN. per reg. 1. ex puris negati-
vis nihil sequitur. 2. Conclusio sequitur partem
in qualitate deteriorem. Sed quia modus est
variatio qualitatis et quantitatis simul, et ita
singulae variationes quantitatis recipiunt singu-
las qualitatis; hinc 64. ⌒ 8. f. 512. Numerum
22 omnium modorum utilium et inutilium. Ex
quibus utiles sic repereris: duc variationes uti-
les quantitatis in qualitatis, 32. ⌒ 3. f. 96. de
producto subtrahe omnes modos qui continen-
tur in frisesmo, id est qui ratione qualitatis qui-
dem sunt ANN, ratione quantitatis vero major
prop. est J vel P, minor autem U vel S, et
conclusio J vel P. quales sunt 8. Frisesmo enim
etsi modus est, per se quodammodo subsistens,
tamen est in nulla figura, v. infra. jam 96 – 8.
f. 88., Numerum utilium modorum: Hospi-
niano, cui nostra methodus ignota, aliter, sed
per ambages procedendum erat. Primum igitur
c. 2. 3. Aristotelicos modos 36. investigat ex
complicatione U. P. J. omisso S. et conclusione
ex quibus utiles sunt 8. UA, UA. in Barbara
vel Darapti, UA, PA. in Darii et Datisi, PA,
UA. in Disamis, UA, UN. in Camestres; UN,
UA. in Celarent, Cesare, Felapton; UA, JN.
in Baroco, UN, JA. in Ferio, Festino, Ferison.
JN. UA. Bocardo. Quibus addit cap. 4. Sin-
gulares similes aequales SA, SA. SN, SN. 2.
inaequales 3ium generum singulis inversis, et
quibuslibet vel A vel Neg. 3 ⌒ 2 ⌒ 2 f. 12. + 2.
f. 14. Ex quibus Hospinianus solum ad-
mittit, ***UA, PA***. et ponit in Darii. Quia sin-
gulares ait particularibus aequipollere cum com-
muni logicorum schola, quod tamen mox fal-
sum esse ostendemus. c. 5. addit singulares dis-
similes totidem, nempe 14. ex quibus Hosp.
solum admittit ***SN, UA***. in Bocardo; item
UN, SA. in Ferio. c. 6. addita conclusione
quasi denuo incipiens enumerat modos similes
aequales 4 ⌒ 2. f. 8. ex quibus utiles solum
UA, UA, UA. in Barbara. juxta Hospin.
similes inaequales, sunt vel ex toto inaequales,
de quibus infra; vel ex parte, de quibus nunc,
ubi duae propositiones sunt ejusdem quantita-
tis, tertia quaecunque diversae; et tunc modo
duae sunt universales una indefinita, quo casu
sunt modi 6. (nam una vel initio vel medio
vel fine ponitur 3; semperque aut omnes sunt
A, aut N. 3 ⌒ 2. fac. 6.) vel contra etiam 6.
per cap. 7. fac. 12. Ex solis prioribus 6. utilis
est ***UA, JA, JA***. in Darii et Datisi. item
JA, UA, JA. in Disamis, item ***UA, UA,
JA***. in Darapti, et, ut Hospinianus non
inepte in Barbari. Certe cum ex propositione
UA sequantur duae P. A. una conversa, hinc
oritur modus indirectus Baralip; alterna subal-
terna 1 v. g. Omne animal est substantia. Om-
nis homo est animal. E. Quidam homo est sub-
stantia. hinc oritur iste: Barbari. Totidem,
nempe 12., sunt modi per caput 8. si duae U.
et una P. junguntur, vel contra. et iidem
sunt modi utiles qui in proxima mixtione,
si pro J substituas P. Totidem, nempe 12. sunt
modi per c. 8. si junguntur duae U., et una S.
per c. 9. et quia Hospin. habet S. pro P. pu-
tat solum modum utilem esse in Darii ***UA,
SA, SA***. v. infra. It. 12. JJP vel PPJ. om-
nes inutiles per c. 10. Item 12. JJS. vel SSJ.
omnes, ut ille putatur inutiles per c. 11. Item
12. PPS. vel SSP. omnes ut ille putatur inuti-
les per c. 12. Jam 6. ⌒ 12. f. 72. + 8. fac. 80,
Numerum modorum similium additis variatio-
nibus conclusionis. Dissimiles modi sunt vel aequa-
les vel inaequales. Aequales sunt ex meris vel

U vel P vel J vel S. 4 genera quae singula va-
riantur ratione qualitates sic. NNA. ANN etc.
6 modis uti supra diximus n. 20. jam 6 ⌒ 4
f. 24. v. cap. 13. utilis est: ***UA, UN, UN***.
23 in Camestres. Dissimiles inaequales sunt, vel ex
toto inaequales, ut nulla propositio alteri sit
aequalis de quibus infra, vel ex parte, ut
duae sunt aequales, una inaequalis, de quibus
nunc. Et redeunt omnes variationes quantita-
tis, de quibus in similibus ex c. 7. 8. 9. 10.
11. 12. in singulis de binis contrariis diximus.
modi autem hic fiunt plures quam illic, ob va-
riationem qualitatis accedentem. Erat igitur
in c. 7. UUJ vel contra JJU. Ordo quantita-
tis variatur 3. modis, quia v. g. J modo initio,
modo medio, modo fine ponitur. Qualitatis tum
complexus variatur 2. modis NNA vel AAN.
tum ordo 3. modis, uti supra dictum, ponendo
A, vel N, initio aut medio aut fine, Ergo 3 ⌒
2. ⌒ 3. f. 18. de UUJ. et contra etiam 18. de
J. J. U. f. 36. per c. 14. in prioribus 18. utiles
sunt modi: UA, UN, JN; vel loco JN. PN.
aut SN. et sunt in modo Camestros, uti su-
pra Barbari. UN, UA, J (P. S.) N similiter in
modo Celaro et Cesaro et Felapton. UA, J
(P. S.) N, J (P. S.) N. in Baroco UN, J
(P. S.) A, J. (P. S.) N. in Ferio Festino et Fe-
rison qui ultimus tamen in S locum non habet.
J (P. S.) N, UA, J (P. S.) N. in Bocardo.
Similiter UUP. vel PPU. 36. modos habent.
Utiles designavimus proxime per P. in ( ). Si-
militer UUS. vel SSU faciunt simul modos 36.
per c. 15. Modos utiles proxime signavimus
per S. JJP, vel PPJ faciunt similiter 36. per
c. 16. modi omnes sunt inutiles. JJS. et SSJ.
et PPS. et SSP. faciunt modos 2 ⌒ 36. = 72.
per c. 17. qui omnes sunt inutiles. Huc usque
distulimus inaequales ex toto, ubi nulla propo-
sitio in eodem syllogismo est ejusdem quantita-
tis, sunt autem vel similes, vel dissimiles; inae-
quales ex toto similes sunt: UJP. quae forma
habet modos 12, nam 3. res variant ordinem 6.
mod. qualitas autem variatur 2. mod. E. 6 ⌒ 2.
f. 12. per c. 18. ubi sunt utiles: ***UA, J(P.S.)
A, P (J. S.) A, UA, P (J. S.) A, J
(P. S.) A***. in Darii et Datisi. ***J (P. S.) A,
UA, P (J. S.) A, P (J. S.) A, U. A, J
(P. S.) A***. in Disamis, nisi quod S. non in-
greditur Minorem in Figura Tertia, UPS, et
UJS quae habent modos 24. per c. 10. Utiles
signavimus proxime per S. JPS. quae habet
modos 12. per c. 20. omnes autem sunt inuti-
les juxta Hosp. Dissimiles omnino inaequales
sunt eodem modo uti similes: UJP quae va-
riant ordinem 6 mod. Qualitas autem variatur 24
6. mod. E. 6 ⌒ 6 f. 36. per c. 21. Modi uti-
les sunt: ***UA, J (PS.) N, P (J.S.) N***. in
Baroco; ***UN, J (P. S.) A, P (J.S.) N***,
in Ferio, Festino et Ferison. ***J (P. S.) N,
UA, P (J.S.) N***. in Bocardo. UJS. et UPS.
36 ⌒ 2. f. 72. per c. 22. Modos utiles signa-
vimus proxime per S. et P. et J. in ( ). JPS.
habet modos 36. per c. 23. omnes inutiles juxta
hypothesin Hosp. Addemus jam omnes modos
a cap. 6. incl. ad c. 23. computatos (nam an-
teriores in his rediere) + 80. 24. 36. 36. 36.
36. 72. 12. 24. 12. 36. 72. 36. seu 80 + 12
⌒ 36, f. 512. In his Hospiniani specula-
tionibus quaedam laudamus, quaedam desidera-
mus. Laudamus inventionem novorum modo-
rum: Barbari, Camestros, Celaro, Cesaro; lau-
damus quod recte observavit, modos qui vulgo
nomen invenere, v. g. Darii etc. habere se ad
modos a se enumeratos velut genus ad speciem,
sub Darii enim hi novem continentur ex ejus
hypothesi: ***UA, JA, JA. UA, SA, SA.
UA, PA, PA. UA, JA, SA. UA, SA,
JA. UA, JA, PA. UA, PA, JA. UA,
SA, PA. UA, PA, SA***. Sed non aeque
probare possumus, quod singulares aequavit
particularibus, quae res omnes ejus rationes
conturbavit, effecitque ei modos utiles justo
pauciores, ut mox apparebit. Hinc ipse in con-
troversiis dialect. c. 22. p. 430. errasse se fa-
tetur, et admittit modos utiles 38. nempe 2.
praeter priores 36. 1. in Darapti cum ex meris
UA concluditur SA, quoniam Christus ita con-
cluserit Luc. XXIII. v. 37. 38. 2. In Felapton
cum ex UN et UA concluditur, SN, quia ita
concluserit Paulus Rom. IX. v. 13. Nos etsi
scimus ita vulgo sentiri, arbitramur tamen alia
omnia veriora. Nam haec: Socrates est So-
phronisci filius, si resolvatur fere juxta mo-
dum Joh. Rauen, ita habebit: Quicunque est
Socrates, est Sophronisci filius. Neque
male dicitur: omnis Socrates est Sophro-
nisci filius; etsi unicus sit. (Neque enim de
nomine sed de illo homine loquimur) perinde
ac si dicam: Titio omnes vestes quas habeo,
do lego, quis dubitet etsi unicam habeam ei de-
beri? Imo secundum JCtos universitas quando-
que in uno subsistit. I. municipium 7. D. quod
cujusque univers. nom. Magnif. Carpzov. p. 11.
c. VI. def. 17. Vox enim: omnis, non infert
multitudinem, sed singulorum comprehensio-
nem. Imo supposito quod Socrates non ha-
buerit fratrem, etiam ita recte loquor: Omnis
Sophronisci filius est Socrates. Quid de

hac propositione dicemus: Hic homo est doctus? Ex qua recte concludemus: Petrus est hic homo, E. Petrus est doctus. Vox autem: Hic, est signum singulare, generaliter igitur pronunciare audemus: omnis propositio singularis ratione modi in syllogismo habenda est pro universali. Uti omnis indefinita pro particulari. Hinc etsi modos utiles solum 36. numerat, sunt tamen 88. de quo supra, omissa nihilominus variatione, quae oritur ex figuris. Nam modi diversarum figurarum correspondentes, id est quantitate et qualitate convenientes, sunt unus simplex v. g. Darii et Datisi. Simplices a. modos voco, non computata figurarum varietate, Figuratos contra, tales sunt modi figurarum quos vulgo recensent. Age igitur, ne quid mancum sit, et ad hoc descendamus dum servet impetus. Ad figuram requiruntur termini tres: Major, quem signabimus graece: μ; minor quem latine: M; medius quem germanice: 𝔐. et singuli bis. Ex his fiunt com2nationes 3. quae hic dicuntur propositiones, quarum ultima conclusio est, priores praemissae. Regulae com2nandi generales cuique figurae sunt: 1. nunquam com2nentur duo termini iidem, nulla enim propositio est: MM seu minor minor. 2. M et 𝔐 solum com2nentur in conclusione, ita ut semper praeponatur M. hoc modo: M𝔐. 3. in praemissarum 1ma com2nentur 𝔐. et M. in secunda M. et μ. Neque enim pro variatione figurae habeo, quando aliqui praemissas transponunt, et loco hujus: B. est C. A est B. Ergo A est C, ponunt sic: A est B. B est C. Ergo A est C. uti collocant P. Ramus, P. Gassendus, nescio quis J. C. E. libello peculiari edito, et jam olim Alcinous lib. 1. Doct. Plat. Qui semper Majorem prop. postponunt, Minorem Prop. praeponunt. Sed id non variat figuram, alioqui tot essent figurae quot variationes numerant rhetores, dum in vita communi conclusionem nunc initio, nunc medio, nunc
25 fine quam observant. Manifestum igitur figurarum varietatem oriri ex ordine medii in praemissis, dum modo in majore praeponitur, in minore postponitur, quae est Aristotelica I. modo in majore et minore postponitur, quae est Arist. II. modo utrobique praeponitur, quae est III. modo in Majore postponitur in Minore praeponitur quae est. IV. Galeni (frustra ab Hospiniano contr. Dial. Probl. 19. tributa Scoto, cum ejus meminerit Aben Rois) quam approbat Th. Hobbes, Elem. de Corp. P. I. c. 4. art. 11. Designabuntur sic: I. 𝔐μ, M𝔐, Mμ. II. μ𝔐, M𝔐, Mμ. III. 𝔐μ, 𝔐M, Mμ. IV. μ𝔐, 𝔐M, Mμ. IVtae figurae hostibus unum hoc interim oppono: Quarta figura, aeque bona est ac ipsa prima; imo si modo, non praedicationis, ut vulgo solent, sed subjectionis, ut Aristoteles, eam enunciemus, ex IV. fiet I. et contra. Nam Arist. ita solet hanc v. g. propositionem: omne α est β. enunciare: β inest omni α. IVtae igitur figurae designatio orietur talis. 𝔐 inest τῷ μ, M. inest τῷ 𝔐, E. M est μ. Vel ut conclusio etiam sic enuncietur, transponendae praemissae, et conclusio erit: Ergo μ inest τῷ M. Idem in aliis fieri figuris potest, quod reducendi artificium nemo observavit hactenus. Caeterum se- 26
cunda oritur ex prima, transposita propositione majore; 3tia, transposita minore, 4ta, transposita conclusione, sed hic alius efficitur syllogismus, quia alia conclusio. Unde modi hujus 4tae sunt designandi modis indirectis primae figurae ut vulgo vocant, dummodo praeponas majorem propositionem minori, non contra, ut vulgo contra morem omnium figurarum hanc unicam ob causam, ut vitaretur quarta Galeni, factum est, v. g. sit Sylsogismus in Baralip. Omne animal est substantia, omnis homo est animal, E. quaedam substantia est homo. Certe substantia est minor terminus, igitur praemissa in qua ponitur, est minor, et per consequens, propositio haec: O animal est substantia, non est ponenda primo secundo loco; tum prodibit ipsissima IVta figura. Propter hanc transpositionem propositionum, quos vulgo Syllogismos in Celantes ponunt, sunt in Fapesmo, loco Frisesmo di- 27
cendum Fresismo, loco Dabitis Ditabis; Baralip. manet. Hi sunt modi figurae IVtae quibus addo Celanto et Colanto, Erunt simul 6. Modi. Imae sunt 6: Barbara, Celarent, Darii, Ferio; Barbari, Celaro. Modi IIdae 6: Cesare, Camestres, Festino, Baroco; Cesaro, Camestros. Modi IIItiae etiam 6: Darapti, Felapton, Disamis, Datisi, Bocardo, Ferison. Ita ignota hactenus figurarum harmonia detegitur, singulae enim modis sunt aequales. 1. Imae autem et 2dae figurae semper Major propositio est U. 2. Imae et IIItiae semper minor A. 3. in IIda semper conclusio N. 4. in IIItia conclusio semper est P. in IVta conclusio nunquam est UA. Major nunquam PN. Et si minor N. U. A. Propter has regulas fit, ut non quilibet 88. modorum utilium in qualibet figura habeat locum. Alioqui essent Modi utiles: 4 ⌒ 96.

f. 384. Modi autem figurati in universum utiles et inutiles 512 ⌒ 4. f. 2048. Qui autem in qua figura sint utiles praesens schema docebit:

8	UA, UA, UA.	SA, SA, SA.	UA, UA, SA.	UA, SA, UA.	SA, UA, UA.
8	UN, UA, UN.	SN, SA, SN.	UN, UA, SN.	UN, SA, UN.	SN, UA, UN.
8	UA, UN, UN.	SA, SN, SN.	UA, UN, SN.	UA, SN, UN.	SA, UN, UN.
8	UA, UA, PA.	UA, UA, JA.	SA, SA, PA.	SA, SA, JA.	UA, SA, IA.
8	UN, UA, PN.	UN, UA, IN.	SN, SA, PN.	SN, SA, JN.	UN, SA, IN.
8	UA, UN, PN.	UA, UO, IN.	SA, SN, PN.	SA, SN, IN.	UA, SN, IN.
8	UA, IA, IA.	UA, PA, PA.	UA, PA, IA.	UA, IA, PA.	SA, IA, IA. *
8	UN, IA, IN.	UN, PA, PN.	UN, PA, IN.	UN, IA, PN.	SN, IA, IN.
8	UA, IN, IN.	UA, PN, PN.	UA, PN, IN.	UA, IN, PN.	SA, IN, IN.
8	IA, UA, IA.	PA, UA, PA.	IA, UA, PA.	PA, UA, IA.	IA, SA, IA.
8	IN, UA, IN.	PN, UA, PN.	IN, UA, PN.	PN, UA, IN.	IN, SA, IN.
			Restat.		
8	IA, UN, IN.	PA, UN, PN.	IA, UN, PN.	PA, UN, IN.	IA, SN, IN.

			0	4	3	2	1
SA, SA, UA.	SA, UA, SA.	UA, SA, SA.	1...	—	—	—	Barbara.
SN, SA, UN.	SN, UA, SN.	UN, SA, SN.	2...	—	—	Cesare.	Celarent.
SA, SN, UN.	SA, UN, SN.	UA, SN, SN.	3...	—	—	Camestres.	—
UA, SA, PA.	SA, UA, IA.	SA, UA, PA.	4...	Baralip.	Darapti.	—	Barbari.
UN, SA, PN.	SN, UA, IN.	SN, UA, PN.	5...	Celanto.	Felapt.	Cesaro.	Celaro.
UA, SN, PN.	SA, UN, IN.	SA, UN, PN.	6...	Fapesmo.	—	Camestros.	—
* SA, PA, PA.	SA, PA, IA.	SA, IA, PA.	7...	—	Datisi.	—	Darii.
SN, PA, PN.	SN, PA, IN.	SN, IA, PN.	8...	Fresismo.	Ferison.	Festino.	Ferio.
SA, PN, PN.	SA, PN, IN.	SA, IN, PN.	9...	—	—	Baroco.	—
PA, SA, PA.	IA, SA, PA.	PA, SA, IA.	10...	Ditabis.	Disamis.	—	—
PN, SA, PN.	IN, SA, PN.	PN, SA, IN.	11...	Colanto.	Bocardo.	—	—
	Restat.						
PA, SN, PN.	IA, SN, PN.	PA, SN, IN.	12...	Frisesmo.	—	—	—

In quo descripti sunt omnes modi utiles, ex quibus octo semper constituunt modum figuratum generalem, tales autem voco illos vulgo appellatos, in quibus U et S, item J et P. habentur pro iisdem: Ipsae lineae modorum constant ex quatuor trigis, in qualibet lineae quantitate conveniunt, differunt pro tribus illis utilibus qualitatis differentiis. Ipsae autem trigae inter se differunt quantitate, positae eo ordine quo supra variationes ejus invenimus, in quarum quatuor reducuntur omnes supra inventae, quia hic U et S. item J et P. reducuntur ad eandem. Cuilibet lineae ad marginem posuimus modus figuratos generales, in quos quilibet ejus modos simplex specialis cadit. In summo siguavimus nume-
28 ris figuram. Ex eodem autem manifestum est, modos figuratos generales esse vel monadicos, vel correspondentes, et hos vel 2 vel 3 vel 4. prout plures paucioresve uni lineae sunt appositi. Singulae porro lineae habent unum modum simplicem generalem, quem explicare possumus sumtis vocalibus, uti vulgo, ut A sit UA, (vel SA), E sit UN (vel SN), I sit P (vel I) A, O sit P (I) N. (ita omittendae sunt 4 praeterea vocales U pro IA; Y pro IN; OY, seu ου pro SA; ω, pro SN; quas ad declarandum Hospinianum posuit Joh. Regius, quem vid. Disp. Log. lib. 4. probl. 5.), et ita modus lineae 1. est AAA, 2. EAE. 3. AEE. 4. AAJ. 5. EAO. 6. AEO. 7. AII. 8. EIO. 9. AOO. 10. IAI. 11. OAO. 12. IEO. abjectis nempe consonantibus ex vocibus vulgaribus, in quibus Scholastici per consonas figuram, per vocales modos simplices, designarunt. Ultimus vero modus: IEO, quem diximus Frisesmo, et collocavimus in figura nulla, propterea est inutilis, quia major est P (hinc locum non habet in 1 et 2.) minor vero N. (hinc locum non habet in 1 et 3.). Etsi ex regulis modorum non sit inutilis. Quod vero in 4. locum non habeat exemplo ostendo: Quoddam ens est homo, nullus homo est brutum. E. quoddam brutum non est ens. Atque hic 29

obiter consilium suppeditabo utile, quod vel ipso exemplo hoc comprobatur, in quo consistit proba, ut sic dicam, seu ars examinandi modum propositum, et sicubi non formae sed materiae vi concludit, celeriter instantiam reperiendi, qualem apud Logicos hactenus legere me non memini. Breviter: Pro UA sumatur propositio quam materia non patitur converti simpliciter, v. g. sumatur haec potius: Omnis homo est animal, quam, omnis homo est animal rationale, et quo remotius genus sumitur, hoc habebis accuratius. Pro UN eligatur talis, qua negentur de se invicem species quam maxime invicem vicinae sub eodem genere proximo, v. g. homo et brutum: et quae non sit convertibilis per contrapositionem in UA, seu cujus neque subjectum neque praedicatum sit terminus infinitus. Pro P (J) A sumatur semper talis quae non sit subalterna alicujus UA, sed in qua de genere quam maxime generali dicatur species particulariter. Pro (J) PN. sumatur quae non sit subalterna alicujus UN, et cujus neuter terminus sit infinitus, et in qua negetur de genere maxime remoto species. Quod diximus de terminis infinitis vitandis,
30 ejus ratio nunc patebit: Prodiit cujusdam Joh. Christoph. Sturmii compendium Universalium seu Metaphysicae Euclideae, ed. 8. Hagae anno 1660. apud Adrian. Vlacq. Cui annexuit novos quosdam modos syllogisticos a se demonstratos, qui omnes videntur juxta communem sententiam impingere in alteram vel utramque harum duarum regularum qualitatis: ex puris negativis qualitatem nihil sequitur; et: conclusio sequitur debilioris ex praemissis. Ut tamen recte procedat argumentum vel assumit propositionem affirmativam infiniti subjecti, quae stet pro negativa finiti: aut contra. v. g. aequipollent: Quidam non lapis est homo: et quidam lapis non est homo. (Verum annoto, non procedere in universali, contra, v. g. Omnis lapis non est homo. E. Omnis non lapis est homo). Vel assumat negativam infiniti praedicati pro affirmativa finiti; vel contra, v. g. aequipollent: omnis philosophus non est non homo: et: est homo. Vel 3. assumat loco datae conversam ejus per contrapositionem. Jam UA convertitur per contrap. in UN. U et PN. in PA. ita facile illi est elicere ex puris neg. affirmantem, si negativae ejus tales sunt ut stent pro affirmativis: item ex A et N elicere affirmantem, si ista stet pro negativa. Ita patet omnes illas 8 variationes qualitatis fore utiles, et per consequens modos utiles fore 32. ⁀ 8. f. 256. juxta nostrum calculum. Similis fere ratio est syllogismi ejus de quo Logici disputant: Quicunque non credunt damnantur. Judaei non credunt. E. damnantur. Sed ejus expeditissima solutio est, minorem esse affirmantem; quia medius terminus affirmatur de minore. Medius terminus autem non est: credere, sed: non credere, id enim praeexstitit in majori prop. Non possum hic praeterire modum Daropti ex ingenioso invento Cl. Thomasii nostri. Is observavit ex Ramo Schol. Dialect. lib. 7. c. 6. pag. m. 214. Conversionem posse demonstrari per syllogismum adjiciendo propositionem identicam; v. g. UA in PA. sic: omne α est γ. omne α est α (si in 3tiae modo Darapti velis; vel omne γ est γ si in 4tae modo Baralip.). Ergo quoddam γ est α. Item PA in PA. Sic: Quoddam α est γ. Omne α est α (si in 3tiae modo Disamis velis, vel omne γ est γ, si in 4tae modo Ditabis) Ergo quoddam γ est α. item UN in UN (in cesare 2dae) sic: Nullum α est γ, Omne γ est γ. Ergo Nullum γ est α. Item PN vel in Baroco 3tiae sic: Omne α est α. Quoddam α non est γ. E. quoddam γ non est α. (vel in Colanto 4tae: Quoddam α non est γ. Omne γ est γ. Ergo quoddam γ non est α). Idem igitur ipse in Conversione per Contrapositionem tentavit. v. g. hujus PN. Quidam homo non est doctus, in hanc PA infiniti subjecti quoddam non doctum est homo. Syllogismus in Daropti erit talis: Omnis homo est homo, Quidam homo non est doctus. E. quoddam quod non est doctum est homo. Observari tamen hic duo debent. Minorem juxta Sturmianam doctrinam videri quasi pro alia positam: Quidam homo est non doctus; deinde omnium optime sic dici: propositionis hujus: Quidam homo non est doctus, conversam per contrapositionem proprie hanc esse etiam negativam: Quoddam doctum non est non non homo, et in conversione per contrapositione identicam ipsam debere esse contrapositam, id ostendit syllogismus jam non amplius in Daropti, sed Baroco: Omnis homo est non non homo (id est; omnis homo est homo) Quidam homo non est doctus. Ergo Quoddam doctum non est non non homo (id est quoddam non doctum est homo).
Caeterum Sturmianos illos modos arbitror non 33
formae sed materiae ratione concludere, quia quod termini vel finiti vel infiniti sint non ad formam propositionis seu copulam aut signum pertinet, sed ad terminos. Desinemus

tandem aliquando modorum, nam etsi minime pervulgata attulisse speramus, habet tamen et novitas taedium in per se taediosis. Ab instituto autem abiisse nemo nos dicet, qui omnia ex intima variationum doctrina erui viderit: quae sola prope per omne infinitum obsequentem sibi ducit animum; et harmoniam mundi et intimas constructiones rerum, seriemque formarum una complectitur. Cujus incredibilis utilitas perfecta demum philosophia, aut
34 prope perfecta, recte aestimabitur. Nam VIImus
est in complicandis figuris geometricis usus, qua in re placiem fregit Joh. Keplerus lib. 2. Harmonicῶν. Istis complicationibus, non solum infinitis novis theorematibus locupletari geometria potest, nova enim complicatio novam figuram compositam efficit, cujus jam contemplando proprietates, nova theoremata, novas demonstrationes fabricamus; sed et, (si quidem verum est grandia ex parvis, sive haec atomos, sive moleculas voces, componi) unica ista via est in arcana naturae penetrandi. Quando eo quisque perfectius rem cognoscere dicitur, quo magis rei partes et partium partes, earumque figuras positusque percepit. Haec figurarum ratio primum abstracte in geometria ac stereometria pervestiganda: inde ubi ad historiam naturalem existentiamque, seu id quod revera invenitur in corporibus, accesseris, patebit Physicae porta ingens; et elementorum facies, et qualitatum origo et mixtura, et mixturae origo, et mixtura mixturarum, et quic-
35 quid hactenus in natura stupebamus. Caete-
rum brevem gustum dabimus quo magis intelligamur: Figura omnis simplex aut rectilinea aut curvilinea est. Rectilineae omnes symmetrae, commune enim omnium principium: Triangulus. Ex cujus variis complicationibus congruis omnes Figurae rectilineae coeuntes (id est non hiantes) oriuntur. Verum curvilinearum neque circulus in ovalem etc. neque contra reduci potest, neque ad aliquid commune. Neutra vero triangulo et triangulatis symmetros. Porro quilibet circulus cuicunque circulo est symmetros, nam quilibet cuilibet aut concentricus est aut esse intelligitur. Ovalis vero vel elliptica ea tantum symmetros quae concentrica esse intelligitur. Ita neque omnis ovalis ovali symmetros est etc. Haec de simplicibus, jam ad complicationes.
36 Complicatio est aut congrua aut hians. Con-
grua tum cum figurae compositae lineae extremae seu circumferentiales nunquam faciunt angulum extrorsum, sed semper introrsum. Extrorsum autem fit angulus, cum portio circuli inter lineas angulum facientes descripta ex puncto concursus tanquam centro, cadit extra figuram ad cujus circumferentiam lineae angulum facientes pertinent: introrsum, cum intra. Hians est complicatio, cum aliquis angulus fit extrorsum. Stella autem est complicatio hians, cujus omnes radii (id est lineae stellae circumferentiales angulum extrorsum facientes), sunt aequales; ita ut si circulo inscribatur, ubique eum radiis tangat. Caeterum hiantes figurarum complicationes texturas voco, congruas proprie figu-
ras. Sunt tamen et quaedam Texturae 37
figuratae, quas et figuras hiantes ad oppositionem coeuntium voco. Jam sunt theoremata: 1. Si duae figurae asymmetrae sunt contiguae (complicatio enim vel immediata est contiguitas, vel mediata, inter tertium et primum, quoties tertium contiguum est secundo, et secundum vel mediate vel immediate primo) complicatio fit hians. 2. Curvilinearum inter se omnes contiguitas est hians, nisi alteri circumdetur Zona alterius symmetri dato concentrici. 3. Curvilineae cum rectilinea omnis contiguitas est hians, nisi in medio Zonae ponatur rectilinea. Zonam autem voco residuum in figura curvilinea majori, exempta concentrica minori. In contiguitate rectilinearum autem aut angulus angulo, aut angulus lineae, aut linea lineae imponitur. 4. Si angulus angulo imponitur aut lineae, contiguitas est in puncto. 5. Omnis curvilinearum inter se contiguitas hians est in puncto. 6. Omnis earum cum rectis contiguitas etiam non hians, itidem. 7. Linea lineae non nisi ejusdem generis imponi potest, v. g. recta rectae, curvilinea ejusdem generis et sectionis. 8. Si linea lineae aequali imponatur, contiguitas est congrua, si inaequali, hians.
Observandum autem est plures figuras ad unum 38
punctum suis angulis componi posse, quae est textura omnium maxime hians. Sed et hoc fieri potest, ut duae vel plures contiguae sint hiantes, accedat vero tertia vel plures, et efficiatur una figura, seu complicatio congrua. Unde nova contemplatio oritur, quae figura vel textura quibus addita faciat ex textura figuram. Quod nosse magni momenti est ad rerum hiatus explendos. Restat ut computationem ex nostris praeceptis instituamus, ad quam requiritur ut determinetur numerus figurarum ad conficiendam texturam; et determinentur figurae complicandae: utrumque enim alias infinitum est. Sed hoc facile cuilibet juxta enumeratos casus

et theoremata praestare; nobis ad alia prope-
rantibus satis est prima lineamenta duxisse tra-
ctationis de Texturis hactenus fere neglectae.
Decebat fortasse doctrinam hanc illustrare sche-
matibus, sed intelligentes non indigebunt; im-
periti, uti fieri solet, nec intelligere tanti aesti-
39 mabunt. VIIIvus Usus est in casibus apud Ju-
reconsultos formandis. Neque enim semper ex-
spectandum est praecipue legislatori, dum casus
emergat; et majoris est prudentiae leges quam
maxime initio sine vitiis ponere, quam restrictio-
nem ac correctionem fortunae committere. Ut
taceam, rem judiciariam in qualibet republica
hoc constitutam esse melius, quo minus est
in arbitrio judicis. Plato lib. 9. de Leg.
Arist. 1. Rhet. Menoch. Arbitr. Jud. lib. 1.
40 prooem. n. 1. Porro ars casuum formandorum
fundatur in doctrina nostra de complexionibus.
Jurisprudentia enim cum in aliis geometriae si-
milis est, tum in hoc quod utraque habet ele-
menta, utraque casus. Elementa sunt simplicia,
in geometria figurae triangulus, circulus, etc. in
Jurisprudentia actus, promissum, alienatio etc.
Casus: complexiones horum, qui utrobique va-
riabiles sunt infinities. Elementa Geometriae
composuit Euclides, elementa juris in ejus
Corpore continentur, utrobique tamen admiscen-
tur casus insigniores. Terminos autem in jure
simplices, quorum mixtione caeteri oriuntur, et
quasi locos communes, summaque genera colli-
gere instituit Bernhardus Lavinheta Mona-
chus ordinis Minorum com. in Lullii artem
41 magnam, quem vide. Nobis sic visum: Termini
quorum complicatione oritur in Jure diversitas
casuum, sunt: personae, res, actus, jura. Per-
sonarum genera sunt tum naturalia, ut: mas,
foemina, hermaphroditus, monstrum, surdus,
mutus, caecus, aeger, embryo, puer, juvenis, ado-
lescens, vir, senex, atque aliae differentiae, ex
physicis petendae, quae in jure effectum habent
specialem: Tum artificialia, nimirum genera
vitae, corpora seu collegia et similia. Nomina
officiorum huc non pertinent, quia complicantur
42 ex potestate et obligatione, sed ad jura. RES
sunt mobiles, immobiles, dividuae (homoge-
neae) individuae, corporales, incorporales: et
speciatim: Homo, animal cicur, ferum, rabio-
sum, noxium; Equus, aqua, fundus, mare etc.
Et omnes omnino res de quibus peculiare est
jus. Hae differentiae petendae ex physicis.
43 ACTUS (a. non actus, s. status) considerandi
qua naturales: ita dividui, individui, relinquunt
ἀποτέλεσμα vel sunt facti transeuntis; deten-
tio quae est materiale possessionis, traditio, ef-
fractio, vis, caedes, vulnus; noxa, huc temporis
et loci circumstantia, hae differentiae itidem pe-
tendae ex physicis; qua morales: ita sunt actus
spontanei, coacti, necessarii, mixti; significan-
tes, non significantes; inter significantes verba,
consilia, mandata, praecepta, pollicitationes, ac-
ceptationes, conditiones. Haec omnis verborum
varietas et interpretatio ex Grammaticis. Deni-
que actus sunt vel juris effectum habentes, vel
non habentes: et illi quidem pertinent ad cata-
logum jurium quae efficiunt, hi ex politicis ethi-
cisque uberius enumerandi. JURIUM itidem 44
enumerandae vel species vel differentiae. Et
hae quidem sunt v. g. realia, personalia; pura,
dilata, suspensa; mobilia vel personae aut rei
affixa etc. Species v. g. dominium, directum,
utile; servitus, realis, personalis; ususfructus,
usus, proprietas, jus possidendi, usucapiendi con-
ditio. Potestas, obligatio (active sumta). Pote-
stas administratoria, rectoria, coercitoria. Tum
actus judiciales sumti pro jure id agendi; tales
sunt: postulatio, seu jus exponendi desiderium
in judicio, cujus species pro ratione ordinis:
actio, exceptio, replica etc. nempe in termino;
tum in scriptis aut alias extra terminum; sup-
plicatio pro impetranda citatione pro monitorio
etc. Jurium autem catalogus ex sola Jurispru-
dentia sumitur. Nos hic festini quicquid in 45
mentem venit attulimus, saltem ut mens nostra
perspiceretur; alii termini simplices privata cu-
jusque industria suppleri possunt. Sed ita ut
eos tantum ponat terminos, qui revera sunt
simplices, id est quorum conceptus ex aliis ho-
mogeneis non componitur. Quanquam in locis
communibus quorum disponendorum artificium
potissimum huc redit, licebit terminos comple-
xos simplicibus valde vicinos etiam tanquam
peculiarem titulum collocare, v. g. compensatio-
nem, quae componitur ex obligatione Titii
Cajo, et ejusdem Caji Titio in rem divi-
duam, homogeneam seu commensurabi-
lem quae utraque dissolvitur in summam
concurrentem. Ex horum terminorum simpli- 46
cium, tum cum seipsis aliquoties repetitis, tum
cum aliis, com2natione, con3natione etc. et in
eadem complexione, variatione situs prodire ca-
sus prope infinitos quis non videt? Imo qui ac-
curatius haec scrutabitur, inveniet regulas
eruendi casus singulariores. Ac nos talia quae-
dam concepimus, sed adhuc impolitiora, quam
ut afferre audeamus. Par in Theologia termino- 47
rum ratio est, quae est quasi Jurisprudentia
quaedam specialis, sed eadem fundamentalis ra-
tione caeterarum. Est enim velut doctrina

quaedam de Jure publico quod obtinet in Repu-
blica DEI in homines; ubi Infideles quasi re-
belles sunt; Ecclesia velut subditi boni; per-
sonae Ecclesiasticae, imo et Magistra-
tus Politicus velut Magistratus subordinati;
Excommunicatio velut Bannus; Doctrina
de scriptura sacra et verbo DEI velut de
legibus et earum interpretatione; de Canone,
quae leges authenticae; de Erroribus fun-
damentalibus quasi de delictis capitalibus;
de Judicio extremo, et novissima die,
velut de processu Judiciario, et termino prae-
stituto; de Remissione Peccatorum velut
de jure aggratiandi; de damnatione aeterna
48 velut de poena capitali etc. Hactenus de usu
complexionum in speciebus divisionum inve-
niendis, sequitur IXnus usus: datis speciebus
divisionis, praedivisiones seu genera et species
subalternas inveniendi. Ac siquidem divisio cu-
jus species datae sunt, est διχοτομία, locum
problema non habet, neque enim ea est ulterius
49 reducibilis; sin πολυτομία, omnino. Esto enim
τριχοτομία inter πολυτομίας minima, seu
dati generis species 3. a. b. c. con3natio igitur
earum tantum 1. est in dato genere summo.
Iniones vero 3. Illic ipsum prodit genus sum-
mum, hic ipsae species infimae, inter con3na-
tionem autem et Inionem, sola restat com2na-
tio. Trium autem rerum com2nationes sunt 3,
hinc oriuntur 3. genera intermedia, nempe ab-
stractum, seu genus proximum τῶν a. b. item
τῶν b. c. item τῶν a. c. Ad genus autem re-
quiritur, tum ut singulis competat, tum ut cum
omnibus disjunctive sumtis sit convertibile.
50 Exemplo res fiet illustrior. Genus datum sit
respublica, species erunt 3. loco A Monar-
chia, loco B Oligarchia, Polyarchica seu
optimatum, loco C Panarchia; his enim termi-
nis utemur commodissime, ut apparebit, et voce
Panarchiae, etsi alio sensu, usus est Fr. Pa-
tritius, tomo inter sua opera peculiari ita
inscripto, quo Hierarchias coelestes explicuit.
Polyarchiae voce tanquam communi oligar-
chiae et panarchiae usus est Boxhornius lib.
2. c. 5. Inst. Polit. Igitur 1. Genus subalternum
τῶν A. B. seu Monarchiae et regiminis Opti-
matum, erit Oligarchia. Imperant enim vel non
omnes, Oligarchia, sed vel unus, Monar-
chia; vel plures, Oligarchia, Polyarchia;
51 vel omnes, Panarchia. 2. Genus subalter-
num τῶν B. C. erit Polyarchia, imperat enim
vel unus, Monarchia, vel plures, Polyarchia,
(in qua iterum vel non omnes, Polyarchia
Olygarchica, vel omnes, Panarchia). 3. Ge-
nus subalternum τῶν A. C. est Respublica ex-
trema. Nam species reipublicae alia interme- 52
dia est optimatum (hinc et nomen duplex: oli-
garchia polyarchica) alia Extrema; Extremae
autem sunt, in quibus imperat unus, item in
quibus omnes. Ita in minima τῶν πολυτο-
μιῶν, τριχοτομία, usum complexionum mani-
festum fecimus, quantae, amabo, in divisione
virtutum in 11. species, similibusque aliis erunt
varietates! Ubi non solum singulae com2natio-
nes, sed et con3nationes etc. usque ad con10na-
tiones, eruntque computato genere summo et
speciebus infimis in universum complicationes
seu genera speciesque possibiles 2047. Nam 53
profecto tam est in abstrahendo foecundus ani-
mus noster, ut datis quotcunque rebus genus
earum, id est conceptum singulis communem,
et extra ipsas nulli, invenire possit. Imo etsi
non inveniat, sciet Deus, invenient angeli, igi-
tur praeexistet omnium ejusmodi abstractionum
fundamentum. Haec tanta varietas generum 54
subalternorum facit, ut in praedivisionibus, seu
tabellis construendis, invenienda etiam datae
alicujus in species infimas divisionis, sufficien-
tia, diversas vias ineant autores, et omnes ni-
hilominus ad easdem infimas species perveniant.
Deprehendet hoc, qui consulet scholasticos nu-
merum praedicamentorum, virtutum cardina-
lium, virtutum ab Aristotele enumeratarum,
affectuum, etc. investigantes. X. A divisionibus 55
ad propositiones tempus est ut veniamus, alte-
ram partem Logicae inventionis. Propositio
componitur ex subjecto et praedicato, omnes
igitur propositiones sunt com2nationes. Logi-
cae igitur inventivae propositionum est hoc pro-
blema solvere: 1. dato subjecto praedi-
cata, 2. dato praedicato subjecta inve-
nire utraque tum affirmative, tum ne-
gative. Vidit hoc Raym. Lullius Kabbalae 56
Tr. 1. c. 1. fig. 1. p. 46. et ubi priora repetit
pag. 239. Artis magnae. Is, ut ostendat, quot
propositiones ex novem illis suis terminis univer
salissimis: Bonitas, magnitudo, duratio,
etc. quas singulas de singulis praedicari posse dicit,
oriantur, describet circulum, ei inscribit ἐννεά-
γωνον figuram regularem, cuilibet angulo ascri-
bit terminum, et a quolibet angulo ad quemli-
bet ducit lineam rectam. Tales lineae sunt 36.
tot nempe quot com2nationes 11. rerum. Cum-
que variari situs in qualibet com2natione pos-
sit bis, seu propositio quaelibet converti simpli-
citer, prodibit 36. ⌒ 2. f. 72. qui est numerus
propositionum Lullianarum. Imo talibus com-
plexionibus omne artificium Lullii absolvitur,

v. ejusdem operum Argentorati in 8. anno 1598.
editorum pag. 49. 53. 68. 135. quae repetuntur p. 240. 244. 245. idem tabulam construxit
ex 84. columnis constantem, quarum singulae
continent 20. complexiones, quibus enumerat
con4nationes suarum regularum literis alphabeticis denominatarum: ea tabula occupat pag. 260.
261. 262. 263. 264. 265. 266. Con3nationum vero tabulam habes apud Henr. Corn.
Agrippam com. in artem brevem Lullii quae
occupat 9. paginas, a pag. 863. usque 871. inclusive. Eadem ex Lullio pleraque exequitur, sed
brevius, Joh. Heinr. Alstedius in Architectura artis Lullianae, inserta thesauro ejus artis
57 memorativae pag. 47. et seqq. Sunt autem termini simplices hi: I. Attributa absoluta:
Bonitas, magnitudo, duratio, potestas, sapientia, voluntas, virtus, veritas, gloria. II. Relata: Differentia, concordantia, contrarietas,
principium, medium, finis, majoritas, aequalitas,
minoritas. III. Quaestiones: Utrum, quid,
de quo, quare, quantum, quale, quando, ubi,
quomodo (cum quo). IV. Subjecta: Deus,
angelus, coelum, homo, imaginatio, sensitiva,
vegetativa, elementativa, instrumentativa. V.
Virtutes: Iustitia, prudentia, fortitudo, temperantia, fides, spes, charitas, patientia, pietas.
VI. Vitia, Avaritia, gula, luxuria, superbia,
acedia, invidia, ira, mendacium, inconstantia.
Etsi Jan. Caecilius Frey via ad Scient. et art.
58 part. XI. c. 1. classem 3tiam et 6tam omittat. Cum
igitur in singulis classibus sint 9. res, et 9 rerum
sint complexiones simpliciter, 511. totidem in singulis classibus complexiones erunt, porro ducendo
classem in classem per prob. 3. 511. 511. 511.
511. 511. ⌒ 511. f. 17804320388674561.
Zensicub. de 511. Ut omittam omnes illas variationes, quibus idem terminus repetitur, item
quibus una classis repetitur, seu ex una classe
59 termini ponuntur plures. Et hae solum sunt
complexiones, quid dicam de variationibus situs, si in complexiones ducantur. Atque hic
explicabo obiter problema hoc: »variationes
»situs seu dispositiones, ducere in
»complexiones. Seu datis certis rebus omnes variationes tam complexionis seu materiae, quam situs seu formae reperire. Sumantur omnes complexiones particulares dati numeri (v. g. de numero 4: Inionis 4. com2nationes 6. con3nationes 4. con4natio 1.) quaeratur variatio dispositionis singulorum exponentium, per probl. 4. infra. (v. g. 1. dat 1. 2.
»dat 2. 3. dat 6. 4. dat 24.) ea multiplicetur
»per complexionem suam particularem, seu de
»dato exponente, (v. g. 1. ⌒ 4. f. 4. 2. ⌒ 6.
»f. 12. 4. ⌒ 6. f. 24. 1. ⌒ 24. f. 24.) Aggregatum omnium factorum erit factus ex ductu
»dispositionum in complexiones, id est quaesitum (v. g. 4. 12. 24. 24. +. f. 64.). Verum
»in terminis Lullianis multa desidero.« Nam 60
tota ejus methodus dirigitur ad artem potius ex
tempore disserendi, quam plenam de re data
scientiam consequendi, si non ex ipsius Lullii,
certe Lullistarum intentione. Numerum terminorum determinavit pro arbitrio, hinc in singulis classibus sunt novem. Cur praedicatis absolutis, quae abstractissima esse debent, commiscuit, voluntatem, veritatem, sapientiam, virtutem, gloriam, cur pulchritudinem omisit, seu
figuram, cur numerum? Praedicatis relatis debebat accensere multo plura, v. g. Causam, totum, partem, requisitum, etc. Praeterea majoritas, aequalitas, minoritas est nihil aliud quam
concordantia et differentia magnitudinis. Quaestionum tota classis ad praedicata pertinet,
utrum sit, est existentiae, quae durationem ad
se trahit; Quid, essentiae; Quare, causae; De
quo, objecti; Quantum, magnitudinis; Quale,
qualitatis, quae est genus praedicatorum absolutorum; Quando, temporis; Ubi, loci: Quomodo,
formae; Cum quo, adjuncti: omnes terminorum
sunt, qui aut relati sunt inter praedicata, aut
referendi. Et cur Quamdiu omisit, an ne durationi coincideret? cur igitur alia aeque coincidentia admiscet: Denique Quomodo, et Cum
quo, male confunduntur. Classes vero ultimae 61
vitiorum et virtutum sunt prorsus ad scientiam
hanc tam generalem ἀπροσδιόνυσοι. Ipsa quoque earum recensio quam partim manca, partim
superflua! Virtutum recensuit priores 4. cardinales, mox 3. theologicas, cur igitur addita patientia quae in fortitudine dicitur contineri; cur
pietatem, id est, amorem DEI, quae in charitate? scilicet ut novenarii hiatus expleretur.
Ipsa quoque vitia cur non virtutibus opposita
recensuit? An ut intelligeremus in virtute vitia
opposita, et in vitio virtutem? at ita vitia 27.
prodibunt. Subjectorum census placet maxime.
Sunt enim hi inprimis entium gradus: DEUS,
angelus, coelum (ex doctrina peripatetica ens
incorruptibile) homo, brutum perfectius, (seu
habens imaginationem); imperfectius, (seu sensum solum qualia de ζωοφύτοις narrant)
planta. Forma communis corporum, (qualis
oritur ex commixtione elementorum, quo pertinent omnia inanima). Artificialia, (quae nominat: instrumenta). Haec sunt quorum complexu Lullius utitur, de quo judicium, maturum

utique, gravis viri Petri Gassendi Logicae
suae Epicureae T. 1. operum capite peculiari.
Quare artem Lullii dudum com2natoriam appellavit Jordan. Brunus Nolanus Scrutin.
praefat. p. m. 684. Atque hinc esse judico
quod immortalis Kircherus suam illam diu
promissam artem magnam sciendi, seu novam
portam scientiarum, qua de omnibus rebus infinitis rationibus disputari, cunctorumque summaria cognitio haberi, possit, (quo eodem sere
modo suam syntaxin artis mirabilis inscripsit
Petr. Gregor. Tholosanus) com2natoriae
titulo ostentaverit. Unum hoc opto, ut ingenio
vir vastissimo, altius quam vel Lullius vel
Tholosanus penetret in intima rerum, ac
quae nos praeconcepimus, quorum lineamenta
duximus, quae inter desiderata ponimus, expleat: quod de fatali ejus in illustrandis scientiis felicitate desperandum non est. Ac nos
profecto haec non tam Arithmeticae augendae,
et si et hoc fecimus, quam Logicae inventivae
recludendis fontibus destinavimus, fungentes
praeconis munere, et quod in catalogo desideratorum suis augmentis scientiarum Verulamius fecit, satis habituri, si suspicionem tantae
artis hominibus faciamus, quam cum incredibili
63 fructu generis humani alius producat. Quare
age tandem artis complicatoriae (sic enim malumus, neque enim omnis complexus com2natio
est) uti nobis constituenda videatur, lineamenta
prima ducemus. Profundissimus principiorum
in omnibus rebus scrutator Th. Hobbes merito posuit omne opus mentis nostrae esse computationem, sed hac vel summam addendo
vel subtrahendo differentiam colligi Elem.
de Corp. p. 1. c. 1. art. 2. Quemadmodum
igitur duo sunt Algebraistarum et analyticorum
prima signa + et −. Ita duae quasi copulae
est et non-est: illic componit mens, hic dividit. In tali igitur sensu τὸ Est non est proprie
copula, sed pars praedicati, duae autem sunt
copulae, una nominata, non, altera innominata, sed includitur in τῷ est, quoties ipsi non
additum: non. Quod ipsum fecit, ut τὸ Est habitum sit pro copula. Possemus adhibere in
subsidium vocem: revera, v. g. Homo re-
64 vera est animal. Homo non est lapis. Sed
haec obiter. Porro ut constet et quibus omnia
conficiantur, ad constituenda hujus artis praedicamenta, et velut materiam, analysis adhibenda
est. Analysis haec est: datus quicunque terminus resolvatur in partes formales, seu ponatur
ejus definitio; partes autem hae iterum in partes, seu terminorum definitionis definitio, usque
ad partes simplices, seu terminos indefinibiles.
Nam οὐ δεῖ παντὸς ὅρον ζητεῖν; et ultimi
illi termini non jam amplius definitione, sed
analogia intelliguntur. 2. Inventi omnes ter- 65
mini primi ponantur in una classe, et designentur notis quibusdam; commodissimum erit, numerari. 3. Inter terminos primos ponantur non 66
solum res, sed et modi, sive respectus. 4. Cum 67
omnes termini orti varient distantia a primis,
prout ex pluribus terminis primis componuntur, seu prout est exponens complexionis, hinc
tot classes faciendae, quot exponentes sunt. Et
in eandem classem conjiciendi termini, qui ex
eodem numero primorum componuntur. 5. Ter- 68
mini orti per com2nationem scribi aliter non
poterunt, quam scribendo terminos primos, ex
quibus componuntur, et quia termini primi signati sunt numeris, scribantur duo numeri duos
terminos signantes. 6. At termini orti per con- 69
3nationem aut alias majoris etiam exponentis complexiones, seu termini qui sunt in
classe 3tia et sequentibus, singuli toties varie
scribi possunt, quot habet complexiones simpliciter exponens ipsorum spectatus non jam amplius ut exponens, sed ut numerus rerum. Habet hoc suum fundamentum in Usu IX. v. g.
sunto termini primi his numeris signati 3. 6.
7. 9. Sitque terminus ortus in classe tertia, seu
per con3nationem compositus, nempe ex 3bus
simplicibus 3. 6. 9. Et sint in classe 2da combinationes hae: (1) 3. 6. (2) 3. 7. (3) 3. 9.
(4) 6. 7. (5) 6. 9. (6) 7. 9. Ajo terminum
illum datum classis 3tiae scribi posse vel sic:
3. 6. 9. exprimendo omnes simplices; vel exprimendo unum simplicem, et loco caeterorum
duorum simplicium scribendo com2nationem,
v. g. sic: $\frac{1}{2}$. 9. vel: $\frac{3}{2}$. 6. vel sic: $\frac{5}{2}$ 3. Hae
quasi-fractiones quid significent mox dicetur.
Quo autem classis a prima remotior, hoc variatio major. Semper enim termini classis antecedentis sunt quasi genera subalterna ad terminos
quosdam variationis sequentis. 7. Quoties ter- 70
minus ortus citatur extra suam classem, scribatur per modum fractionis, ut numerus superior
seu numerator, sit numerus loci in classe; inferior, seu nominator, numerus classis. 8. Commodius est in terminis ortis exponendis non
omnes terminos primos, sed intermedios scribere, ob multitudinem, et ex iis eos qui maxime cogitanti de re occurrunt. Verum omnes
primos scribere est fundamentalius. 9. His ita 71
constitutis possunt omnia subjecta et praedicata
inveniri, tam affirmativa quam negativa, tam
universalia, quam particularia. Dati enim sub-

jecti praedicata sunt omnes termini primi ejus:
Item omnes orti primis propiores, quorum om-
nes termini primi sunt in dato. Si igitur ter-
minus datus qui subjectum esse debet scriptus
est terminis primis, facile est eos primos qui de
ipso praedicantur invenire, ortos vero etiam in-
venire dabitur, si in complexionibus disponendis
ordo servetur. Sin terminus datus scriptus est or-
tis, aut partim ortis, partim simplicibus, quicquid
praedicabitur de orto ejus, de dato praedicabi-
tur. Et haec quidem omnia praedicata sunt la-
tioris de angustiori, praedicatio vero aequalis
de aequali est, quando definitio de termino, id
est vel omnes termini primi ejus simul, vel orti,
aut orti et simplices in quibus omnes illi primi
continentur, praedicantur de dato. Eae sunt
tot, quot modis nuperrime diximus, unum ter-
72 minum scribi posse. Ex his jam facile erit nu-
meris investigare omnia praedicata quae de
omni dato subjecto praedicari possunt, seu om-
nes U. A. propositiones de dato subjecto, nimi-
rum singularum classium a prima usque ad clas-
sem dati inclusive, numeri ipsas denominantes, seu
exponentes ponantur ordine, v. g. 1. (de classe 1ma)
2. (de 2da) 3. 4. etc. Unicuique tanquam non jam
amplius exponenti sed numero assignetur sua
complexio simpliciter, v. g. 1. 3. 7. 15. quae-
rantur complexiones particulares numeri classis
ultimae seu de qua est terminus datus, v. g. de
4. cujus complexio simpliciter 15, 1niones 4,
com2nationes 6, con3nationes 4. con4natio 1.
singulae complexiones simpliciter classium mul-
tiplicentur per complexionem particularem clas-
sis ultimae quae habeat exponentem eundem
cum numero suae classis, v. g. 1 ⌒ 4 f. 4. 3 ⌒
6. f. 18. 4 ⌒ 7. f. 28. 15 ⌒ 1. f. 15. aggre-
gatum omnium factorum erit numerus omnium
praedicatorum de dato subjecto ita ut propositio
sit U. A. v. g. 4. 18. 28. 15. + f. 65. Prae-
73 dicata per propositionem PA seu numerus pro-
positionum particularium affirmativarum ita in-
vestigabitur: inveniantur praedicata UA. dati
termini, uti nuper dictum est; et subjecta UA
uti mox dicetur. Addatur numerus uterque,
quia ex U. A. propositione oritur P. A. tum per
conversionem simpliciter, tum per subalterna-
tionem. Productum erit quaesitum. Subjecta
74 in propositione U. A. dati termini, sunt tum
omnes termini orti in quibus terminus datus to-
tus continetur, quales sunt solum in classibus
sequentibus, et hinc oritur subjectum angustius,
tum omnes termini orti qui eosdem cum dato
habent terminos simplices, uno verbo ejusdem
termini definitiones, seu variationes cum scri-
bendi, invicem, sunt sibi subjecta aequalia. Nu- 75
merum subjectorum sic computabimus: inve-
niatur numerus omnium classium. Eae
autem sunt tot, quot termini sunt primi in
prima classe, v. g. sunt termini in prima
classa tantum 5, erunt classes in univer-
sum 5. nempe in 1ma 1niones, in 2da com2na-
tiones, in 3tia con3nationes, in 4ta con4natio-
nes, in 5ta con5nationes. ita erit inventus
etiam numerus omnium classium se-
quentium, subtrahendo numerum classis ter-
mini dati, v. g. 2. de numero classium in uni-
versum, 5., remanebit 3. Numerum autem clas-
sium seu terminorum primorum supponamus
pro numero rerum, numerum classis pro expo-
nente, erit numerus terminorum in classe idem
cum complexionibus particularibus dato numero
et exponente. v. g. de 5. rebus 1niones sunt 5,
com23nationes 10, con4nationes 5, con5natio 1.
tot igitur erunt in singulis classibus exponenti
correspondentibus termini, supposito quod ter-
mini primi sint 5. Praeterea terminus datus
cujus subjecta quaeruntur respondebit capiti
complexionum; Subjecta angustiora ipsis com-
plexionibus quarum datum est caput. Igitur
dati termini subjecta angustiora inveniemus si
problema hoc solvere poterimus: »Dato capite 76
»complexiones invenire; partim simpliciter,
»(ita inveniemus subjecta angustiora omnia)
»partim particulares, seu dato expo-
»nente (ita inveniemus ea tantum quae sunt
»in data classe). Problema hoc statim imprae-
»sentiarum solvemus, ubi manifestus ejus usus
»est, ne ubi seorsim posuerimus, novis exem-
»plis indigeamus. Solutio igitur haec est: Sub-
»trahatur de numero rerum, v. g. 5. a. b. c. d. e.
»exponens capitis dati, v. g. a. b. 2. — 5. f. 3.
»aut a, 1. — 5. f. 4. Sive supponamus datum
»caput 1nionem, sive com2nationem esse; com-
»plexio enim ut sit necesse est. Proposito item
»exponente subtrahatur de eo itidem exponens
»capitis dati. Igitur: si datus sit quicunque ex-
»ponens in cujus complexionibus quoties datum
»caput reperiatur invenire sit propositum: quae-
»ratur complexio exponentis tanto minoris dato,
»quantus est exponens capitis dati, in numero
»rerum, qui sit itidem tanto minor dato, quan-
»tus est exponens capitis dati per tab. I. probl. 1.
»inventum erit quod quaerebatur. At si com-
»plexiones simpliciter capitis dati in omnibus
»complexionibus dati numeri quocunque expo-
»nente, quaerere propositum sit; complexio nu-
»meri rerum, numero dato tanto minoris, quan-
»tus est exponens capitis dati, erit quaesitum:«

77 E. g. in 5. rerum a. b. c. d. e. 1nionibus datum
caput a. reperitur 1. vice, (quae est nullio, seu
0llio de 4.) datum caput a. b. 0llavice (quae
est super 0llio, ut ita dicam de 3.) in com2na-
tionibus earundem illud reperitur vicibus 4.
(quae sunt 1niones de 4.) hoc 1. (quae est 0l-
lio de 3.) in con3nationibus illud 6. (com2natio
de 4.) hoc 3. (1nio de 3.) in con4nationibus illud
4.) (con3natio de 4.) hoc 3. (com2natio de 3) in
con5nationibus utrobique 1. vice. (illic con4natio,
hic con3natio de 3.). Hae complexiones sunt
dato exponente, ex quarum aggregatione oriun-
tur complexiones simpliciter, sed et sic: in 5.
rerum complexionibus simpliciter (quae sunt 31.)
a reperitur vicibus 15. (complexio simpliciter
de 4.) a b 7 (complexio simpliciter de 3.) vici-
78 bus. Hae complexiones sunt numerus subjecto-
rum angustiorum dati termini. Subjecta aequa-
lia, quando definitiones definitionibus subjiciun-
tur, eadem methodo inveniuntur qua supra
praedicata aequalia. Termini enim aequales,
sunt servata quantitate et qualitate convertibi-
les, igitur ex praedicatis fiunt subjecta et con-
tra, praedicata autem tot sunt, quot dati ter-
mini, (cujus subjecta quaeruntur.) termini primi
habent complexiones simpliciter, v. g. + a. 1.
a b. 2. Additis jam subjectis aequalibus ad
angustiora 1 + 15. f. 16. 2 + 7. f. 9. prodibit
numerus subjectorum omnium dati termini. Quem
79 erat propositum invenire. Subjecta hactenus uni-
versalia, restant particularia, ea tot sunt quot
praedicata particularia. Praedicata et subjecta
negativa sic inveniuntur: computentur ex datis
certis terminis primis tanquam numero rerum,
omnes termini tam primi quam orti, tanquam
complexiones simpliciter, v. g. si termini primi
sint 5 erunt 31. De producto detrahantur om-
nia praedicata affirmativa universalia, et sub-
jecta angustiora affirmativa universalia: Resi-
duum erunt omnia praedicata negativa. De sub-
jectis contra. Particularia negativa ex univer-
salibus computentur, uti supra PA. ex UA.
computavimus. Omisimus vero propositiones
identicas UA: quarum sunt tot quot complexio-
nes simpliciter terminorum primorum; seu quot
sunt omnino termini et primi et orti, quia qui-
libet terminus vel primus vel ortus de se dici-
tur. Caeterum inter complexiones illas omisi-
mus, in quibus idem terminus repetitur, quae
repetitio in nonnullis producit variationem in
infinitum, ut in numeris, et figuris geometriae.
80 Methodus porro argumenta inveniendi haec est:
Esto datus quicunque terminus tanquam subje-
ctum, A et alius quicunque tanquam praedica-
tum B. Quaeratur medium. Medium erit prae-
dicatum subjecti et subjectum praedicati, id est
terminus quicunque continens A, et contentus
a B. Continere autem terminus terminum dici-
tur, si omnes ejus termini primi sunt in illo.
Fundamentalis autem demonstratio est si uter-
que terminus resolvatur in primos, manifestum
erit alterum alterius aut partem esse, aut par-
tium earundem. Mediorum autem numerum
sic inveniemus. Subjectum et praedicatum vel
sunt in eadem classe, vel diversa. Si in eadem,
necesse est utrumque terminum esse ortum: et
variationem scriptionis saltem seu definitionis
ejusdem termini, poterunt igitur duae definitio-
nes ejusdem termini non nisi per tertiam de se
invicem probari. Igitur de numero definitionum
ejusdem termini orti, quem investigavimus su-
pra n. 69. subtrahatur 2. residuum erit nume-
rus mediorum possibilium inter terminos aequa-
les. Sin non sunt in eadem classe, erit praedi- 81
catum in classe minoris exponentis, subjectum
in classe majoris. Jam supponatur praedicatum
velut caput complexionis, exponens classis sub-
jecti supponatur pro numero rerum. Invenian-
tur omnes complexiones dati capitis particulares
per singulas classes a classe praedicati ad clas-
sem subjecti inclusive; in singulis classibus
complexiones dati capitis particulares ducantur
in complexiones simpliciter, exponentis ipsius
classis pro numero rerum suppositi. Aggrega-
tum omnium factorum subtracto 2. erit quaesi-
tum. Praedicatum autem de subjecto negari fa- 82
cile inveniemus, si utroque termino in primos
resoluto manifestum est neutrum altero conti-
neri. Probari tamen negativa sic poterit: inve-
niantur omnia praedicata subjecti, cum de om-
nibus negetur praedicatum, totidem erunt media
probandi negativam. Inveniantur omnia sub-
jecta praedicati, cum omnia negentur de subjecto,
etiam erunt totidem media probandi negativam.
Utrisque igitur computatis numerum mediorum
probandi negativam habebimus. Admovendum 83
denique est, totam hanc artem complicatoriam
directam esse ad theoremata, seu propositiones
quae sunt aeternae veritatis, seu non arbi-
trio DEI, sed sua natura constant. Omnes
vero propositiones singulares quasi histo-
ricae, v. g. Augustus fuit Romanorum
Imperator, aut observationes, id est propo-
sitiones universales, sed quarum veritas non in
essentia, sed existentia fundata est; quaeque
verae sunt quasi casu, id est DEI arbitrio, v. g.
omnes homines adulti in Europa habent cogni-
tionem DEI: Talium non datur demonstratio

sed inductio. Nisi quod interdum observatio per observationem interventu theorematis de-
84 monstrari potest. Ad tales observationes pertinent omnes propositiones particulares, quae non sunt conversae vel subalternae universalis. Hinc igitur manifestum est, quo sensu dicatur singularium non esse demonstrationem, et cur profundissimus Aristoteles locos argumentorum posuerit in topicis, ubi et propositiones sunt contingentes, et argumenta probabilia, demonstrationum autem unus locus est: definitio. Verum cum de re dicenda sunt ea quae non ex ipsius visceribus desumuntur, v. g. Christum natum esse Bethleemi, nemo huc definitionibus deveniet: sed historiae materiam, loci reminiscentiam suppeditabunt. Haec jam locorum topicorum origo, et in singulis maximarum, quibus omnibus qui sint fontes, ostenderemus itidem nisi timeremus ne in progressu sermonis
85 cupiditate declarandi omnia abriperemur. Uno saltem verbo indigitabimus omnia ex doctrina metaphysica relationum entis ad ens repetenda esse, sic ut ex generibus quidem relationum loci, ex theorematis autem singulorum maximae efformentur. Hoc vidisse arbitror, praeter morem compendiographorum solidissimum Joh. Henr. Bisterfeld in Phosphoro Catholico, seu epitome artis meditandi ed. Lugd. Bat. anno 1657. quae tota fundatur in immeatione et περιχορήσει, ut vocat, universali omnium in omnibus, similitudine item et dissimilitudine omnium cum omnibus, quarum principia: Relationes. Eum libellum qui legerit, usum artis
86 complicatoriae magis magisque perspiciet. Ingeniosus ille, quem saepe nominavimus, Joh. Hospinianus, libellum promisit de inveniendi et judicandi facultatibus, in quo emendationem doctrinae topicae paraverat, locosque recensuerat 180. maximas 2796. v. controvers. dial. p. 442. Hunc ego insigni rei logicae damno nunquam editum arbitror. Abibimus hinc, cum primum γεῦμα quoddam praxeos
87 artis com2natoriae dederimus. Commodissima Mathesis extemporaneo conatui visa est: hinc non a primis simpliciter terminis orsi sumus, sed a primis in mathesi; neque omnes posuimus, sed quos ad producendos complicatione sua terminos ortos propositos sufficere judicabamus. Potuissemus eadem methodo omnes definitiones ex elementis Euclidis exponere, si tempus superfuisset. Quoniam autem non a primis simpliciter terminis orti sumus, hinc necessarium erat signa adhibere, quibus casus vocabulorum aliaque ad sermonem complendum necessaria intelligentur. Nam siquidem a primis simpliciter terminis incepissemus, pro ipsis casuum variationibus, quorum ex relationibus et metaphysica originem exposuit Jul. Caesar Scaliger lib. de Caus. L. L. terminos posuissemus. Adhibuimus autem articulos graecos. Numerum pluralem signavimus adscripto in ( ) 15. si quidem indefinitus; 2. 3. etc. si determinatus. Esto igitur Classis I. in qua termini 88
primi: 1. punctum. 2. spatium. 3. intersitum. 4. adsitum seu contiguum. 5. dissitum, seu distans. 6. terminus, seu quae distant. 7. insitum. 8. inclusum (v. g. centrum est insitum circulo, inclusum peripheriae.) 9. pars. 10. totum. 11. idem. 12. diversum. 13. unum. 14. numerus. 15. plura. v. g. 1. 2. 3. 4. 5. etc. 16. distantia. 17. possibile. 18. omne. 19. datum. 20. fig. 21. regio. 22. dimensio. 23. longum. 24. latum. 25. profundum. 26. commune. 27. progressio, seu continuatum. Classis II. 1. Quantitas est 14. τῶν 9. (15.) 2. Includens est 6. 10. III. 1. Intervallum est 2. 3. 10. 2. Aequale, A τῆς 11. $\frac{1}{2}$. 3. Continuum est A ad B si τοῦ A ἡ 9. est 4. et 7. τῷ B. IV. 1. Majus est A habens τὴν 9. $\frac{2}{3}$ τῷ B. 2. Minus B. $\frac{2}{3}$ τῇ 9. τοῦ A. 3. Linea, $\frac{1}{3}$ τῶν 1 (2). 4. Parallelum, $\frac{2}{3}$ ἐν τῇ 16. 5. Figura, 24. 8. ab 18. 21. V. 1. Crescens quod 20. $\frac{3}{4}$. 2. Decrescens 20. $\frac{2}{4}$. 3. Implexum est $\frac{3}{3}$ in τῇ 11. 22. 4. Secans, $\frac{3}{2}$ in τῇ 12. 22. VI. 1. Convergens, $\frac{2}{5}$ ἐν τῇ 16. 2. Divergens, $\frac{1}{5}$ ἐν τῇ 16. VII. 1. Superficies. $\frac{1}{3}$ τῶν $\frac{3}{4}$. 2. Infinitum, $\frac{1}{4}$. quam 18. 19. 17. 3. Peripheria, $\frac{3}{4}$ 13. $\frac{2}{2}$. 4. A dicitur Mensura, seu metitur B. si 10. ex A (15) $\frac{2}{3}$. est $\frac{2}{3}$ τῷ B. VIII. 1. Maximum est $\frac{1}{4}$ non $\frac{2}{4}$. 2. Minimum, $\frac{2}{4}$ non $\frac{1}{4}$. 3. Recta, $\frac{3}{4}$. $\frac{2}{3}$. τῇ 16. τῶν 6 (2). 4. quae non talis, Curva, 5. Arcus, 9. τῆς $\frac{3}{7}$. IX. 1. Ambitus, est $\frac{1}{7}$. $\frac{2}{2}$. X. 1. Commensurabilia sunt, quorum $\frac{4}{7}$. 26. est et 1. et 2. XI. 1. Angulus est quem faciunt $\frac{3}{4}$ (2). 4. $\frac{2}{6}$. XII. 1. Planum est $\frac{1}{7}$. $\frac{2}{3}$. τῇ 16. τῶν 6. XIII. 1. Gibbus $\frac{1}{7}$. $\frac{1}{4}$. τῇ 16. τῶν 6. XIV. 1. Rectilineum est $\frac{5}{4}$ cujus $\frac{2}{2}$ est τῶν $\frac{3}{8}$ (15). 2. quae dicuntur Latera. 3. si $\frac{3}{8}$ (3) Triangulum. 4. Si $\frac{3}{8}$ (4) Quadrangulum etc. XV. 1. Lunula est $\frac{1}{3}$ ταῖν $\frac{5}{8}$ (2) non $\frac{2}{3}$ 4 (2). [subintelligo autem tam lunulam gibbosam qua arcus arcui concavitatem obvertit, quam falcatam qua interior alterius concavitati suam convexitatem]. XVI. 1. Angulus rectus est $\frac{1}{11}$. $\frac{2}{3}$. in τῷ 18. 21. 2. Segmentum est 3 τὸν $\frac{2}{2}$ et $\frac{3}{8}$. 7. τῇ $\frac{5}{4}$. XVII. 1. Aequilaterum est $\frac{5}{4}$ cujus

$\frac{2}{2}$ est 8. τῶν $\frac{3}{8}$ (15). 2. Triangulum aequicrurum est $\frac{5}{4}$ cujus $\frac{2}{2}$ est τῶν $\frac{3}{8}$ (3) $\frac{2}{3}$ (2). 3. Scalenum est $\frac{5}{4}$ cujus $\frac{2}{2}$ est τῶν $\frac{3}{8}$ (3) non $\frac{2}{3}$ (3). XVIII. 1. Angulus contactus est quem faciunt $\frac{3}{4}$ (2). 4. $\frac{2}{6}$ non $\frac{4}{5}$. 27. modo 17. XIX. 1. Inscriptum est $\frac{5}{4}$. 7. cujus $\frac{1}{11}$ (15) sunt 4 τῷ $\frac{2}{2}$. 2. Circumscripta vero est ea figura cui inscripta est. XX. 1. Angulus obtusus, est $\frac{1}{4}$ quam $\frac{1}{16}$. 2. Acutus $\frac{2}{4}$ quam $\frac{1}{16}$. XXI. 1. Diameter est $\frac{3}{8}$. $\frac{1}{8}$. 7. τῇ $\frac{5}{4}$. XXII. 1. Circulus est $\frac{1}{12}$. 8. ab 18. 21. habens τὴν 16. $\frac{2}{3}$ τοῦ 19. alicujus 1. (quod dicitur 2. Centrum Circuli) ab 18. 6. 2. Triangulum rectangulum est $\frac{5}{4}$ cujus $\frac{1}{11}$ (3) sunt omnes sed 13. est $\frac{2}{3}$ in τῷ 18. 21. XXIII. 1. Centrum Figurae est 1. 26. τοῖς $\frac{1}{21}$ (15). XXIV. 1. Semifigura data v. g. semicirculus, etc. est 3. τὸν $\frac{1}{22}$ et (dimidium τοῦ) $\frac{2}{2}$. Hinc facile erit definitiones conficere, si observetur, quod n. 70. diximus in iis notis, quae per fractiones scriptae sunt: nominatorem designare numerum classis; numeratorem numerum termini in classe, v. g. centrum est 1. (punctum) 26. (commune) τοῖς $\frac{1}{21}$ (diametris,) 15 pluribus. Diameter est $\frac{3}{8}$ (recta) $\frac{1}{8}$ (maxima) 7. (insita) τῇ $\frac{5}{4}$. (figurae).
89 Ex his quae de arte complicatoria scientiarum, seu Logica inventiva disseruimus, cujus quasi praedicamenta ejusmodi terminorum tabula absolverentur, fluit velut Porisma: seu usus XI. Scriptura universalis, id est cuicunque legenti, cujuscunque linguae perito intelligibilis, qualem hodie complures viri eruditi tentarunt, quorum diligentissimus Caspar Schottus hos recenset lib. 7. Techn. Curios. primo Hispanum quendam, cujus meminerit Kenelm. Digbaeus tr. de Nat. Corp. c. 28. n. 8. quique fuerit Romae anno 1653. ejus methodus haec ex ipsa natura rerum satis ingeniose petita: distribuebat res in varias classes, in qualibet classe erat certus numerus rerum. Ita meris numeris scribebat, citando numerum classis et rei in classe; adhibitis tamen notis quibusdam flexionum grammaticarum et orthographicarum. Idem fieret per classes a nobis praescriptas fundamentalius, quia in iis fundamentalior digestio est. Deinde Athanasium Kircherum, qui polygraphiam suam novam et universalem dudum promisit; denique Joh. Joachimum Becherum Archiatrum Moguntinum, opusculo primum Francofurti Latine edito, deinde Germanice anno 1661. is requirit ut construatur Lexicon Latinum, tanquam fundamentum, et in eo disponantur voces ordine pure alphabetico, et numerentur; fiant deinde Lexica ubi voces in singulis linguis dispositae non alphabetice, sed quo ordine Latinae dispositae sunt ipsis respondentes. Scribantur igitur quae ab omnibus intelligi debent, numeris, et qui legere vult, is evolvat in lexico suo vernaculo vocem dato numero signatam, et ita interpretabitur. Ita satis erit legentem vernaculam intelligere et ejus lexicon evolvere, scribentem necesse est (nisi habeat unum adhuc lexicon suae linguae alphabeticum ad numeros se referens) et vernaculam et Latinam tenere, et utriusque lexicon evolvere. Verum et Hispani illius et Becheri artificium et obvium et impracticabile est. Ob synonyma, ob vocum ambiguitatem, ob evolvendi perpetuum taedium (quia numeros nemo unquam memoriae mandabit) ob ἑτερογένειαν phrasium in lluguis. Verum constitutis tabulis vel 90
praedicamentis artis nostrae complicatoriae, majora emergent. Nam termini primi ex quorum complexu omnes alii constituuntur, signentur notis, hae notae erunt quasi alphabetum. Commodum autem erit notas quam maxime fieri naturales, v. g. pro uno punctum, pro numeris puncta; pro relationibus entis ad ens lineas, pro variatione angulorum aut terminorum in lineis genera relationum. Ea si recte constituta fuerint et ingeniose, scriptura haec universalis aeque erit facilis quam communis, et quae possit sine omni lexico legi, simulque imbibetur omnium rerum fundamentalis cognitio. Fiet igitur omnis talis scriptura quasi figuris geometricis; et velut picturis, uti olim Aegyptii hodie Sinenses, verum eorum picturae non reducuntur ad certum alphabetum seu literas, quo sit ut incredibili memoriae afflictione opus sit, quod hic contra est. Hic igitur est Usus XI. complexionum, in constituenda nempe polygraphia universali. XIImo loco constituemus jucundas 91
quasdam partim contemplationes, partim praxes ex Schwenteri deliciis Mathematicis et supplementis G. P. Harsdorfferi, quem librum publice interest continuari, haustas. P. 1. sect. 1. prop. 32. reperitur numerus complexionum simpliciter, quem faciunt res 23. v. g. literae Alphabeti, nempe 8388607. P. 2. sect. 4. prop. 7. docet dato textu melodias invenire, de quo nos infra, probl. 6. Harsdorfferus parte ead. sect. 10. prop. 25. refert ingeniosum repertum Dni de Breissac, qua nihil potest 92
arti scientiarum complicatoriae accommodatius reperiri. Is quaecunque in re bellica attendere bonus imperator debet, ita complexus est: facit classes novem, in Ima quaestiones et circum-

stantias, in IIda status, in III. personas, in
IV. actus, in V. fines, in VI. instrumenta exemtae
actionis, seu quibus uti in nostra potestate est,
facere autem ea, non est. VII. instrumenta
quae et facimus et adhibemus. VIII. instrumenta
quorum usus consumtio est. IX. actus finales
seu proximos executioni. v. g.

1. An.	Cum quo.	Ubi.	Quando.	Quomodo.	Quantum.
2. Bellum.	Pax.	Induciae.	Colloquium.	Foedus.	Transactio.
3. Patriotae.	Subditi.	Foederati.	Clientes.	Neutrales.	Hostes.
4. Manere.	Cedere.	Pugnare.	Proficisci.	Expeditio.	Hyberna.
5. Decus.	Lucrum.	Obedientia.	Honestas.	Necessitas.	Commoditas.
6. Sol.	Aqua.	Ventus.	Itinera.	Angustiae.	Occasio.
7. Currus.	Scalae.	Pontes.	Ligones.	Palae.	Naves.
8. Pecunia.	Commeatus.	Pulvis Torm.	Globi Torm.	Equi.	Medicamenta.
9. Excubiae.	Ordo.	Impressio.	Securitas.	Agressio.	Consilia.

93 Fiant novem rotae ex papyro, omnes concen-
tricae, et se invicem circumdantes, ita ut quae-
libet reliquis immotis rotari possit. Ita pro-
mota leviter quaecunque rota nova quaestio,
nova complexio prodibit. Verum cum hic inter
res ejusdem classis non detur complexio, atque
ita accurate loquendo non sit complexio termi-
norum cum terminis, sed classium cum classi-
bus, pertinebit computatio variationis ad probl. 3.
Quoniam tamen complexio etiam, quae hujus
loci est, potest repraesentari rotis, ut mox di-
cemus, fecit cognatio, ut praeoccuparemus. Sic
igitur inveniemus: multiplicetur 6. in se no-
vies: 6. 6. 6. 6. 6. 6. 6. 6. ⌒ 6. seu quaeratur
progressio geometrica sextupla cujus expo-
nens 9, aut: Cubi cubus de 6. f. 10077696.
tantum superest, ut sint solum 216. quaestio-
94 nes, quod putat Harsdorfferus. Caeterum
quoties in complexionibus singuli termini in
singulos ducuntur, ibi necesse est tot fieri rotas,
quot unitates continet numerus rerum: deinde
necesse est singulis rotis inscribi omnes res.
Ita variis rotarum conversionibus complexiones
innumerabiles gignentur. Eruntque omnes com-
plexiones quasi jam scriptae seorsim, quibus
revera scribendis vix grandes libri sufficient.
95 Sic ipsemet doctissimus Harsdorff. P. 3. sect.
14. prop. 5. machinam 5. rotarum concentri-
carum construxit, quam vocat, **Fünffachen
Denckring der teutschen Sprache.** Ubi in rota
intima sunt 48. **Vorsylben**, in penintima 60.
Anfangs- und Reimbuchstaben, in media 12.
Mittel-Buchstaben, vocales nempe vel diph-
thongi; in penextima 120. **End-Buchstaben**,
in extima 24. **Nachsylben.** In has omnes vo-
ces germanicas resolvi contendit. Cum hic si-
militer classes sint in classes ducendae, multi-
plicemus: 48. 60. 12. 120. 24. factus ex prio-
ribus per sequentem, f. 97209600. Qui est
numerus vocum germanicarum hinc orientium,
utilium seu significantium, et inutilium. Con- 96
struxit et rotas Raym. Lullius; et in the-
sauro artis memorativae Ioh. Henr. Alste-
dius, cujus rotis, in quibus res et quaestiones,
adjecta est norma mobilis, in qua loci topici,
secundum quos de rebus disseratur, quaestiones
probentur; et fraternitas Roseae Crucis in fama
sua promittit grandem librum titulo Rotae
Mundi in quo omne scibile contineatur. Orbi-
tam quandam pietatis, ut vocat, adjecit suo Ve-
ridico Christiano Joh. Davidius Soc. J. Ex
eodem principio complicationum est Rhabdolo-
gia Neperi, et pensiles illae Serae, **die Vor-
leg-Schlösser,** quae sine clave, mirabili arte
aperiuntur, vocant **Mahl-Schlösser,** nempe su-
perficies serae armillis tecta est, quasi annulis
gyrabilibus, singulis annulis literae alphabeti
inscriptae sunt. Porro serae certum no-
men impositum est, v. g. Ursula, Catha-
rina, ad quod nisi casu qui nomen ignorat,
annulorum gyrator pervenire non potest. At
qui novit nomen, ita gyrat annulos invicem, ut
tandem nomen prodeat, seu literae alphabeti
datum nomen conficientes sint ex diversis an-
nulis in eadem linea, justa serie. Tum demum
ubi in tali statu annuli erunt, poterit facillime
sera aperiri. Vide de his Seris armillaribus
Weckerum in Secretis, Illustrissimum Gusta-
vum Selenum in Cryptographia fol. 489.
Schwenterum in deliciis Sect. 15. prop. 25.
Desinemus Usus problematis 1. et 2. enume-
rare, cum coronidis loco de coloribus dissserueri-
mus. Harsdorfferus P. 3. Sect. 3. prop. 16. 97
ponit colores primos hos 5. Albus, flavus, ru-
beus, caeruleus, niger. Eos complicat, ita ta-
men ut extremi: albus et niger, nunquam simul
coeant. Oritur igitur ex AF subalbus, AR
carneus, AC cinereus; FR aureus, FC viridis,
FN fuscus; RC purpureus, RN subrubeus; CN
subcaeruleus. Sunt igitur 9. quot nempe sunt

com2nationes 5. rerum, demta Una, extremo-
rum. Quid vero si tertii ordinis colores addan-
tur, seu con3nationes primorum, et com2natio-
nes secundorum, et ita porro, quanta multitudo
exsurget! Hoc tamen admoneo ipsos tanquam
primos suppositos non esse primos; sed omnes
ex albi et nigri, seu lucis et umbrae mixtione
98 oriri. Ac recordor legere me, etsi non suc-
currit autor, nobilem acupictorem nescio quem
80. colores contexuisse, vicinosque semper vi-
cinis junxisse, ex filis tamen non nisi nigerri-
mis ac non nisi albissimis; porro varias alter-
nationes alborum nigrorumque filorum; et im-
mediationes modo plurium alborum, modo plu-
rium nigrorum, varietatem colorum proge-
nuisse; fila vero singula per se inermi oculo
invisibilia paene fuisse. Si ita est, fuisset hoc
solum experimentum satis ad colorum naturam
ab ipsis incunabulis repetendam.

PROBL. III.

DATO NUMERO CLASSIUM ET RERUM IN CLASSIBUS, COMPLEXIONES CLASSIUM INVENIRE.

1 »Complexiones autem classium sunt,
»quarum exponens cum numero classium idem
»est; et qualibet complexione ex qualibet
»classe res una. Ducatur numerus rerum
»unius classis in numerum rerum alterius; et,
»si plures sunt, numerus tertiae in factum ex his:
»seu semper numerus sequentis in factum ex
»antecedentibus: factus ex omnibus continue,
»erit quaesitum.«
2 Usus hujus problematis fuit tam in usu 6.
probl. 1. et 2. ubi modos syllogisticos investiga-
bamus, tum in usu 12. ubi et exempla pro-
stant. Hic aliis utemur. Diximus supra com-
plexionum doctrinam versari in divisionum ge-
neribus subalternis inveniendis, inveniendis item
speciebus unius divisionis; et denique plurium
in se invicem ductarum. Idque postremum huic
3 loco servavimus. Divisionem autem in di-
visionem ducere est unius divisionis mem-
bra alterius membris subdividere, quod inter-
dum procedit vice versa, interdum non. Inter-
dum omnia membra unius divisionis omnibus
alterius subdividi possunt; interdum quaedam
tantum, aut quibusdam tantum. Si vice versa,
ita signabimus $A\begin{cases}a\\b\end{cases}\begin{cases}c\\d\\e\end{cases}$ si quaedam tantum,
ita: $A\begin{cases}a\begin{cases}c\\d\\e\end{cases}\\b\end{cases}$ si quaedam quibusdam tantum,
ita: $A\begin{cases}a\begin{cases}c\\d\end{cases}\\b\,..\,e\end{cases}$ Ad nostram vero computationem
primus saltem modus pertinet. In quo exem-
plum suppetit ex Politicis egregium. A Esto
Respublica, a recta, b aberrans, quae est divi-
sio moralis; c Monarchia, d Aristocratia, e De-
mocratia, quae est divisio numerica: Ducta di-
visione numerica in moralem, orientur species
mixtae 2 ⌒ 3. f. 6. ac. ad. ae. bc. bd. be.
Hinc origo formulae hujus: divisionem in divi- 4
sionem ducere, manifesta est, ducendus enim
numerus specierum unius in numerum specie-
rum alterius. Numerum autem in numerum
ducere est numerum numero multiplicare, et
toties ponere datum, quot alter habet unitates.
Origo est ex geometria, ubi si linea aliam ex-
tremitate contingens ab initio ad finem ipsius
movetur, sic ut eam radat, spatium omne,
quod occupabit linea mota, constituet figuram
quadrangularem, si ad angulos rectos alteram
contigit, ἑτερόμηκες aut quadratum: sin aliter
rhombum aut rhomboeides; si alteri aequalis,
quadratum aut rhombum: sin aliter, ἑτηρόμε-
κες aut rhomboeides. Hinc et spatium ipsum
quadrangulare facto ex multiplicatione lineae
per lineam aequale est. Caeterum ejusmodi di- 5
visionibus complicabilibus pleni sunt libri tabu-
larum; oriunturque nonnunquam confusiones
ex commixtione diversarum divisionum in unum,
quod dividentibus conscientiam in rectam erro-
neam probabilem scrupulosam dubiam, factum
videtur. Nam ratione veritatis in rectam et
erroneam dispescitur; ratione firmitatis in ap-
prehendendo in certam, probabilem, dubiam;
quid autem aliud dubia, quam scrupulosa! Hu- 6
jus problematis etiam propria investigatio Var-
ronis apud B. Augustinum lib. 19. de Civ.
Dei. cap. 1. numeri sectarum circa summum
bonum possibilium. Primum igitur calculum
ejus sequemur, deinde ad exactius judicium re-
vocabimus. Divisiones sunt VI. 1ma quadri- 7
membris, 2da et 6ta trimembris; reliquae bi-
membres. I. Summum Bonum esse potest
vel Voluptas, vel Indoloria, vel utra-
que, vel prima naturae. 4. II. horum quod-
libet vel propter virtutem expetitur, vel
virtus propter ipsum, vel et ipsum et vir-
tus propter se 4 ⌒ 3. f. 12. III. S. B. ali-
quis vel in se quaerit, vel in societate 12 ⌒
2. f. 24. IV. Opinio autem de S. B. constat

vel apprehensione certa, vel probabili academica, 24 ⌒ 2. f. 48. V. Vitae item genus cynicum vel cultum. 48. ⌒ 2. f. 96. VI. Otiosum, negotiosum vel temperatum. 96 ⌒ 3. f. 288. haec apud B. Augustinum, Varro cap. 1. At c. 2. accuratiorem retro censum instituit. Divisionem ait 3. 5. et 6. facere admodum prosequendi, 4. ad modum apprehendendi S. B. corruunt igitur divisiones ultimae, et varietates 276. remanent 12. Porro capite 3. voluptatem, indoloriam et utramque ait contineri in primis naturae. Remanent igitur 3. (corruunt 9.) Prima naturae propter se, virtus propter se,
9 utraque propter se. Postremam autem sententiam et quasi cribratione facta in fundo remanentem amplectitur Varro. Ego in his noto, Varronem non tam possibiles sententias colligere voluisse, quam celebratas, hinc axioma ejus: qui circa summum bonum differant, secta differre; et contra. Interim dum divisionem instituit, non potuit, quin quasdam ἀδεσπότους admisceret. Alioqui cur divisiones attulit, quas postea summi boni varietatem non facere agnoscit; an ut numero imperitis admirationem incuteret? Praeterea si genera vitae admiscere voluit, cur non plura? nonne alii scientias sectantur, alii minime; alii professionem faciunt ex sapientia, creduntque hac imprimis summum Bonum obtineri? Etiam hoc ad S. B. magni momenti est in qua quis republica vivat: alii vitam rusticam urbanae praetulere: suntque genera variationum infinita fere, in quibus singulis aliqui fuere, qui hac sola via crederent ad
10 S. B. iri posse. Porro quando prima divisio ducitur in 1mum membrum secundae facit 4. species: 1. voluptas, 2. indoloria, 3. utraque, 4. prima naturae, propter virtutem, cum tamen in omnibus sit unum summum Bonum, Virtus; qui prima naturae, is et caetera; qui voluptatem, is et indoloriam ad virtutem referet. Adde quod erat in potestate Varronis, non solum 2dam et 6tam, sed et 3. et 4. et 5. trimembrem facere, addendo 3tiam speciem, semper mixtam ex duabus. v. g. in se vel in societate, vel utraque; apprehensione certa, proba-
11 bili, dubia; cynicum, cultum, temperatum. Fuit et sententia, quae negaret dari S. B. constans, sed faciendum quod cuique veniret in mentem, ad quod ferretur motu puro animi et irrefracto. Huc fere Academia nova, et hodiernus Anabaptistarum spiritus inclinabat. Ubi vero illi qui negant in hac vita culmen hoc ascendi posse? quod Solon propter incertitudinem pronunciandi dixit, Christiani philosophi ipsa rei natura moti. Valentinus vero Weigelius nimis enthusiastice, beatitudinem hominis esse Deificationem. Apud illos quoque, quibus col- 12
locatur beatitudo in aeterna vita; alii asserunt, alii negant visionem substantiae Dei beatificam. Hoc reformatos recordor facere, et exstat de hoc argumento dissertatio inter Gisb. Voetii selectas; illud nostros, ac pro hac sententia scripsit Matth. Hoë ab Hoënegg peculiarem libellum contra Dnum Budowiz a Budowa. In hac quoque vita omnes illos omisit Varro, 13
qui bonum aliquod externum, eorum quae fortunae esse dicunt, summum esse supponunt, quales fuisse, ipsa Aristotelis recensio indicio est. Corporis bona sane pertinent ad prima naturae, sed fieri potest ut aliquis hoc potissimum genus voluptatis sequatur, alius aliud. Et bonum animi jam aut habitus aut actio est, illud Stoicis, hoc Aristoteli visum. Stoicis hodie se applicuit accuratus sane vir, Eckardus Leichnerus Medicus Erphordiensis tr. de apodictica scholarum reformatione et alibi. Quin 14
et voluptatem animi pro S. B. habendam censet Laurentius Valla in lib. de Vero Bono, et ejus apologia ad Eugenium IV. Pontificem Maximum, ac P. Gassendus in Ethica Epicuri, idque et Aristoteli excidisse VII. Nicomach. 12. et 13. observavit Cl. Thomasius Tab. Phil. Pract. xxx. lin. 58. Ad voluptatem animi gloriam, id est triumphum animi internum, sua laude sibi placentis, reducit Th. Hobbes initio librorum de cive. Fuere qui contemplationem actioni praeferrent, alii contra, alii utramque aequali loco posuere. Breviter quotquot bonorum imae sunt species, quotquot ex illis complexiones, tot sunt summi boni possibiles sectae numerandae. Ex hoc 15
ipso problemate origo est numeri personarum in singulis gradibus arboris consanguinitatis, cum nos, ne nimium a studiorum nostrorum summa divertisse videamur, eruemus. Computationem autem canonica neglecta civilem sequemur. Duplex personarum in singulis gradi- 16
bus enumeratio est, una generalis, altera specialis. In illa sunt tot personae quot diversi flexus cognationis eadem tamen distantia. Flexus autem cognationis, voco ipsa velut itinera in arbore consanguinitatis, lineas angulosque dum modo sursum deorsumve modo in latus itur. In hac non solum flexus cognationis varietatem facit, sed et sexus tum intermediarum, tum personae cujus distantia quaeritur a data. In illa enumeratione Patruus, Amita; id est, Patris frater sororve: Avunculus, Matertera; id est Matris frater sororque, habentur pro eadem persona, et convenientissime intelliguntur in voce Patrui, quia masculinus dignior foemininum comprehendit. Sed in enumeratione speciali habentur pro 4. diversis personis. Igitur illic cognationes, hic personae numerantur: (Sic tamen ut plures fratres, vel plures sorores quia ne sexu quidem variant pro una utrobique persona habeantur) illa generalis computatio est Caji in l. 1. et 3. (quanquam specialis nonnunquam mixta est) haec specialis Pauli in grandi illa l. 10. D. de Grad. et Affinibus. Etsi autem prior fundata est in prob. 1. et 2. quia tamen posterioris fundamentum est, quae huc pertinet, praemittemus.
17 Cognatio est formae linea vel linearum a cognata persona ad datam ductarum; ratione rectitudinis et inflexionis, et harum alternationis. Persona h. l. est persona datae cognationis, et dati gradus, sexusque tum sui, tum intermediarum, inter cognatam scilicet et datam. Datum autem voco personam, eum eamve, de cujus cognatione quaeritur ut appellant ICti veteres; Ioh. Andreae Petrucium nomine sui Bidelli fertur nominasse: Fr. Hottomannus lib. de gradib. cognationum, ὑποϑετικὸν, Latine Propositum. Terminus est 18
persona vel cognatio, quae est de conceptu complexae, v. g. frater est patris filius. Igitur Patris et Filius, sunt termini ex quibus conceptus fratris componitur. Termini autem sunt vel primi, tales accurate loquendo sunt hi solum: Pater et filius, nos tamen commodioris computationis causa, omnes personas lineae rectae vel supra vel infra supponemus pro primis; vel orti: accurate loquendo omnes qui plus uno gradu remoti sunt a dato; laxius tamen, omnes transversales tantum. Omnes autem transversales componuntur ex duobus terminis lineae rectae; hinc et facillimum prodit artificium data quaecunque cognata numerum gradus complexae, v. g. in simplicissima transversalium persona, Fratre seu patris filio, quia pater est in 1. filius etiam in gradu, 1. +
1. f. 2. in quo est frater. Caeterum schemate 19
opus est. Esto igitur hoc:

Gr. Cognationes					DATUS					Personae	Gr.
1. Patris 2										4 Filius	. 1
			Patris.		FRATER		Filius.				
2. Avi 3					1. 1.					12 Nepos	. 2
				Patruus		Patruelis					
3. Proavi 4				2. 1.		1. 2.				32 Pronepos	. 3
			Patruus Magnus		Consobrinus		Patruelis parvus				
4. Abavi 5			3. 1.		2. 2.		1. 3.			80 Abnepos	. 4
		Propatruus		Subpatruus Magnus		Subconsobrinus		Propatruelis			
5. Atavi 6		4. 1.		3. 2.		2. 3.		1. 4.		192 Atnepos	. 5
	Abpatruus		Subpropatruus		Prosubpatruus Magnus vel *		Prosubconsobrinus		Abpatruelis		
6 Tritavi 7	5. 1.		4. 2.		3. 3.		2. 4.		1. 5.	448 Trinepos	. 6

* Consobrin. secundus.

20 Sunt in hoc schemate infinita propemodum di-
gna observatione. Nos pauca stringemus. Per-
sonae eo loco intelligantur, ubi puncta sunt.
Numeri puncta includentes, designant terminos,
seu gradus lineae rectae (antecedens ascenden-
tis, sequens descendentis) ex quibus datus gra-
dus transversalis componitur. In eadem linea
transversa directa sunt ejusdem gradus cogna-
tiones: oblique a summo, ad imum dextrorsum
ordinem generationis; at sinistrorsum comple-
ctuntur cognationes homogeneas gradu differen-
tes. Linea perpendicularis unica a vertice ad
basin, triangulum dividens, continet cognationes
quarum terminus et ascendens et descendens
sunt ejusdem gradus; tales voco aequilibres,
et dantur solum in gradibus pari numero signa-
21 tis, in uno non nisi unus. Nam si libra esse
fingatur, cujus trutina sit linea gradus primi;
brachia vero sint: dextrum quidem, linea per-
pendicularis a summa persona descendentium;
sinistrum vero, perpendicularis a summa ascen-
dentium ducta ad terminum vel ascendentem
vel descendentem datam cognationem compo-
nentem; tum brachiis aequalibus, si utrinque
3. 3. aut 2. 2. etc. cognatio erit aequilibris et
ponenda in medio trianguli; in inaequalibus, co-
gnatio talis ponenda in eo latere quod lineae re-
ctae vel ascendenti vel descendenti ex qua bra-
22 chium longius sumtum est, est vicinum. Hic
jam complexionum vis apertissime relucet. Com-
ponuntur enim omnes personae transversae ex
2 terminis, una cognatione recta ascendenti,
altera descendenti: semper autem sic, ut ascen-
dens in casu obliquo, descendens in casu recto
conjungantur, v. g. frater, id est patris filius.
At si contra, redibit persona data, nam qui
23 patrem filii sui nominat se nominat. Quia
unus pater plures filios habere potest, non con-
tra. Ex his jam datur proposito quocun-
que gradu cognationum tum numerum,
tum species reperire: numerus transver-
salium semper erit unitate minor gradu, (nume-
rus omnium semper unitate major, quia addi
debent duae cognationes lineae rectae, una sur-
sum, altera deorsum) cujus ratio ex inventione
specierum patebit. »Nam com2nationes par-
»tium, **oder Zerfällungen in zwei Theile,** dati
»numeri cujuscunque sunt tot quot unitates ha-
»bet numeri dati paris dimidium, imparis
»demta unitate dimidium. v. g. 6. habet has:
»5, 1. 4, 2. 3, 3. ejusque rei ratio manifesta
»est, quia semper numerus antecedens proximus
»dato cum remotissimo, paene proximus cum
»paene remotissimo complicatur, etc.« Sed cum
hic non solum complexionis, sed et situs ha-
benda ratio sit, v. g. alia cognatio est 5, 1.
nempe Abpatrui, quam 1. 5. nempe abpatrue-
lis, hinc cum 2. res situm varient 2 vicibus.
Ergo duplicentur discerptiones, redibit numerus
datus si par fuerat; sed cum in ejus discerptio-
nibus detur una homogenea, v. g. 3. 3. in qua
nihil dispositio mutat, hinc subtrahatur de nu-
mero dato, seu duplo discerptionum, iterum:
1. si vero numerus datus fuerat impar, redibit
numerus unitate minor. Ex hoc manifestum
est generaliter: (1). Subtrahatur de numero 24
gradus unitas, productum erit numerus cogna-
tionum transversalium. (2.) duo numeri qui
sibi sunt complemento ad datum, seu quorum
unus tantum distat ab 1. quantum alter a dato.
complicati dabunt speciem cognationis, si
quidem praecedens intelligatur significare ascen-
dentem, sequens descendentem sui gradus. Hac 25
occasione obiter explicandum est, quae sint dati
numeri discerptiones, **Zerfällungen,** possibiles.
Nam omnes quidem discerptiones sunt comple-
xiones, sed complexionum eae tantum discerp-
tiones sunt, quae simul toti sunt aequales. In-
stigari similiter possunt tum com2nationes, tum
con3nationes, tum discerptiones simpliciter, tum
dato exponente. Quot factores, vel divisores exa-
ctos numerus aliquis datus habeat, scio solutum
vulgo. Et hinc est quod Plato numerum civium
voluit esse 5040. quia hic numerus plurimas re-
cipit divisiones civium pro officiorum generibus,
nempe 60. lib. 5. de Legib. fol. 845. Et hoc
quidem in multiplicatione et divisione, sed qui
additione datum numerum producendi varieta-
tes, et subtractione discerpendi collegerit, quod
utumque eodem recidit, mihi notus non est.
Viam autem colligendi com2nationes discerptio-
num ostendimus proxime. At ubi plures par-
tes admittuntur, ingens panditur abyssus discer-
ptionum. In qua videmur nobis aliquod fun-
damentum computandi agnoscere, nam semper
discerptiones in 3. partes oriuntur ex discer-
ptionibus in 2. praeposita una: exsequi vero
hujus loci fortasse, temporis autem non est.
Caeterum antequam in arbore nostra a compu- 26
tatione generali ad specialem veniamus, unum
hoc admonendum est. Definitiones cognationum
a nobis assignatas in populari usu non esse.
Nam v. g. Patruum nemo definit avi filium, sed
potius patris fratrem. Quicunque igitur has de-
finitiones ad popularem efformare morem velit,
si quidem persona transversalis ascendit, in ter-
mino descendenti loco filii substituat, fratrem;
nepotis patruum etc. loco descendentem ponat

uno gradu minorem. Sin descendit, contra.
27 Nunc igitur cum ostendimus cognationes in quo-
libet gradu, gradus numero unitate majores
esse: age et personas cognationum numeremus.
Quae est Specialis Enumeratio. diximus
autem in eadem cognatione diversitatem facere
tum sexum cognatae, tum intermediarum inter
cognatam et datam personarum. Sexus autem
duplex est. Igitur semper continue numerus
personarum est duplicandus v. g. non solum et
pater et mater sexu variant, 2. sed iterum pa-
ter habet patrem vel matrem. Et mater quo-
que. Hinc 4. Avus quoque a patre habet, pa-
trem vel matrem, et avia a patre, et avus a
matre aviaque similiter: hinc 8. etc. »Igitur
»regulam colligo: 2. ducatur toties in se, quo-
»tus est gradus cujus personae quaeruntur, vel
»quod idem est, quaeratur numerus progressio-
»nis geometricae duplae, cujus exponens sit nu-
»merus gradus. Is ducatur in numerum cogna-
»tionum dati gradus: Productum erit numerus
»personarum dati gradus. Et hac methodo eundem
»numerum personarum erui, quem Paulus ICtus
in d. l. 10. excepto gradu 5. Gr. I. 2 ⌒ 2. f. 4. con-
sentit Paulus d. l. 10. §. 12. Gr. II. 2 ⌒ 2. f.
4 ⌒ 3. f. 12. §. 13. Gr. III. 2. 2. 2. ⌒ f. 8.
⌒ 4. f. 32. §. 14. Gr. IV. 2. 2. 2. 2. ⌒ f.
16. ⌒ 5. f. 80. §. 15. Gr. V. 2. 2. 2. 2. 2. ⌒
f. 32. ⌒ 6. f. 192. dissentit Paulus §. 16. et
ponit: 184. cujus tamen calculo errorem inesse
necesse est. Gr. VI. 2. 2. 2. 2. 2. 2. ⌒ f. 64.
⌒ 7. f. 448. consentit Paulus §. 17. Gr. VII.
2. 2. 2. 2. 2. 2. 2. ⌒ f. 128. ⌒ 8. f. 1024.
§. fin. 18.

PROBL. IV.

DATO NUMERO RERUM VARIATIONES ORDINIS INVENIRE.

»Solutio: Ponantur omnes numeri ab uni- 1
»tate usque ad Numerum rerum, inclusive, in
»serie naturali: factus ex omnibus continue, erit
»quaesitum. ut: esto tabula IV. quam ad 24.
usque continuavimus.« Latus dextrum habet
exponentes, seu numeros rerum, qui hic coinci-
dunt; in

Tab. IV.

1	1
2	2
6	3
24	4
120	5
720	6
5040	7
40320	8
362880	9
3628800	10
39916800	11
479001600	12
6227020800	13
87178291200	14
1307874368000	15
20922789888000	16
355687428096000	17
6402373705728000	18
121645100408832000	19
2432902008176640000	20
51090942171709440000	21
1124000727777607680000	22
25852016738884976640000	23
620448401733239439360000	24

medio sunt ipsae variationes. Ad sinistrum
posita est differentia variationum duarum
proximarum, inter quas est posita. Quemad-
modum exponens in latere dextro est ratio va-
riationis datae ad antecedentem. Ratio solutio-
nis erit manifesta, si demonstraverimus Expo-
nentis dati variationem, esse, factum
ex ductu ipsius in variationem ex-
ponentis antecedentis, quod est fun-
damentum Tabulae IV. In hunc finem esto

Tab. V.

A	b	c d
.	.	d c
		—
.	c	b d
.	.	d b
		—
.	d	b c
.	.	c b
	—	—
B	a	c d
.	.	d c
		—
.	c	a d
.	.	d a
		—
.	d	a c
.	.	c a
	—	—
C	b	a d
.	.	d a
		—
.	a	b d
.	.	d b
		—
.	d	b a
.	.	a b
	—	—
D	b	c a
.	.	a c
		—
.	c	b a
.	.	a b
		—
.	a	b c
.	.	c b
		—

aliud Schema V. In eo 4. rerum A B C D. 24. variationes ordinis, oculariter expressimus. Puncta significant rem praecedentis lineae directe supra positam. Methodum disponendi secuti sumus, ut primum quam minimum variaretur, donec paulatim omnia. Caeterum quasi limitibus distinximus variationes exponentis antecedentis ab iis quas superaddit sequens. Breviter igitur: Quotiescunque varientur res datae, v. g. tres 6. mahl; addita una praeterea poni poterit servatis variationibus prioris numeri jam initio, jam 2do, jam 3tio, jam ultimo seu 4to loco; seu toties poterit prioribus varie adjungi, quot habet unitates: Et quotiescunque prioribus adjungetur priores variationes omnes ponet. Vel sic: quaelibet res aliquem locum tenebit semel, cum interim reliquae habent variationem antecedentem inter se, conf. problem. 7. Patet igitur variationes priores in exponentem sequentem ducendas esse. Theoremata hic observo sequentia: (1.) omnes numeri variationum sunt pares; (2.) omnes vero quorum exponens est supra 5 in cyphram desinunt, imo in tot cyphras, quoties exponens 5narium continet (3.) Omnes summae variationum (id est aggregata variationum ab 1. aliquousque) sunt impares; et desinunt in 3 ab exponente 4 in infinitum (4.) quaecunque variatio antecedens, ut et exponens ejus, omnes sequentes variationes metitur. (5.) Numeri variationum conducunt ad conversionem progressionis arithmeticae in harmonicam. Esto enim progressio arithmetica 1. 2. 3. 4. 5. convertenda in harmonicam; Maximi numeri, h. l. 5. quaeratur variatio: 120. ea dividatur per singulos, prodibunt: 120. 60. 40. 30. 24. termini harmonicae progressionis. Per quos si dividatur idem numerus: 120. numeri progressionis illius arithmeticae redibunt. (6.) Si data quaecunque variatio duplicetur, a producto subtrahatur factus ex ductu proxime antecedentis in suum exponentem; residuum erit summa utriusque variationis. v. g. 24. ⌒ 2. f. 48. — 6 ⌒ 3, 18. f. 30. = 6 ∔ 24. f. 30. (7.) variatio data ducatur in se, factus dividatur per antecedentem, prodibit differentia inter datam et sequentem v. g. 6 ⌒ 6. f. 36. ⌣ 2. f. 18. = 24 — 6. f. 18. Inprimis autem duo haec postrema theoremata non facile obvia crediderim. Usus etsi multiplex est, nobis tamen danda opera, ne caeteris problematibus omnia praeripiamus. Cumque 4
serias in primis applicationes complexionum doctrinae miscuerimus, (saepe enim necesse erat ordinis varietates in complexiones duci) erunt hic pleraque magis jucunda, quam utilia. Igitur quaerunt quoties datae quotcunque perso- 5
nae uni mensae alio atque alio ordine accumbere possint. Drexelius in in Phaëthonte orbis, seu de vitiis linguae p. 3. c. 1. ubi de lingua otiosa, ita fabulam narrat: Paterfamilias nescio quis 6 ad coenam hospites invitaverat, hos cum accumbendi tempus esset, προεδρίαν sibi mutuo deferentes, ita increpat: quid? an stantes cibum capiemus! imo ne sic quidem, quia et stantium necessarius ordo est. Nisi desinitis, tum vero ego vos, ne conqueri possitis, toties ad coenam vocabo, quoties variari ordo vester potest. Hic antequam loqueretur, ad calculos profecto non sederat, ita enim comperisset ad 720. variationes (tot enim sunt de 6. exponente, uti Drexelius illic 12. paginis, et in qualibet pagina 3 columnis, et in qualibet columna 20 variationibus oculariter monstravit) totidem coenis opus esse; quae etsi continuarentur, 720. dies id est 10. supra bien-
6 nium absument. Harsdorfferus delic. Math. p. 2. sect. 1. prop. 32. hospites ponit 7. ita variationes, coenae, dies erunt 5040. id est anni 14. septimanae. At Georg. Henischius Medicus Augustanus Arithmeticae perfectae lib. 7. pag. 399. hospites vel convictores ponit 12. variationes, coenae, dies prodeunt 479001600. ita absumentur anni 1312333. et dies 5. imo si quis in hoc exponente tentare vellet, quod Drexelius in dimidio ejus effecit, nempe variationes oculariter experiri, annos insumeret 110. demto quadrante, et si singulis diebus 12. horis laboraret et hora qualibet 1000. variationes effingeret. Pretium operae si Diis placet! Alii, ut eruditatem nudae contemplationis 7
quasi condirent, versus elaborarunt, qui salvo et sensu et metro, et verbis variis modis ordinari possunt. Tales primus Jul. Caes. Scali-

ger lib. 2. Poëtices Proteos appellat. Horum alii minus artis habent, plus variationis, ii nempe quorum omnis est a monosyllabis variatio; alii contra, in quibus temperatura est monosyllaborum caeterorumque. Et quoniam in his plurimae esse solent inutiles variationes, de quibus problemate 11. et 12. erit contemplandi locus,
8 de illis solis nunc dicemus. Bernhardus Bauhusius Societatis Jesu, Epigrammatum insignis artifex, tali Hexametro Salvatoris nostri velut titulos μονοσυλλάβους complexus est:

Rex, Dux, Sol, Lex, Lux, Fons, Spes, Pax,
Mons, Petra CHRISTUS.

Hunc Eryc. Puteanus Thaumat. Pietat. Y. pag. 107. aliique ajunt variari posse vicibus 362880. scilicet monosyllabas tantum respicientes, quae 9; ego numerum prop. decies majorem esse arbitror, nempe hunc: 3628800. Nam accedens decima vox CHRISTUS etiam ubique potest poni, dummodo Petra maneat immota, et post petram vel vox Christus vel 2. monosyllaba ponantur. Erunt igitur variationes inutiles, quibus post petram ponitur 1 monosyllaba proxime antecedente petram Christo, id contingit quoties caeterae 8. monosyllabae sunt variabiles nempe 40320. modis. Cum ultima possit esse quaecunque ex illis 9. 40320 ⌒ 9. f. 362880 — 3628800. f. 3265920. Qui est numerus utilium versus
9 hujus Bauhusiani variationum. Thomas Lansius vero amplius progressus praefatione consultationum tale quid molitus est:

Lex, Rex, Grex, Res, Spes, Jus, Thus, Sal,
Sol (bona) Lux, Laus.
Mars, Mors, Sors, Lis, Vis, Styx, Pus, Nox,
Fex (mala) Crux, Fraus.

10 Hic singuli versus, quia 11. monosyllabis constant, variari possunt vicibus 39916800. Horum exemplo Joh. Philippus Ebelius Giessensis Scholae Ulmensis quondam Rector, primum hexametrum, deinde elegiacum distichon commentus est. Ille exstat praefat. n. 8. hoc, quia et retrocurrit, in ipso opere pag. 2. Versuum Palindromorum, quos in unum fasciculum collectos, Ulmae anno 1623. in 12mo edidit. Hexameter ita habet:

DIs, VIs, LIs, LaVs, fraVs, stIrps, frons,
Mars, regnat In orbe.

Ubi eadem opera annus quo et compositus est, et verissimus erat, a Christo nato 1620mus, exprimitur. Cujus cum monosyllabae sint 8. 40320 variationes necesse est nasci. At Disti-
11 chon ad Salvatorem tale est:

Dux mihi tu, mihi tu Lux, tu Lex, Jesule,
tu Rex:
Jesule tu Pax, tu Fax mihi, tu mihi Vox.

Variationes ita computabimus: tituli Salvatoris μονοσύλλαβοι, sunt 7. hi inter se variantur 5040 vicibus. Cumque singulis adjecta sit vox Tu, quae cum titulo suo variatur 2. vicibus, quia jam ante, jam post poni potest, idque contingat vicibus septem, ducatur 2narius septies in se. 2. 2. 2. 2. 2. 2. ⌒ 2. f. 128. seu Bissurdesolidum de 2. factus ducatur in 5040 ⌒ 128. f. 645120. Productum erit Quaesitum. Hos inter nomen suum voluit et Joh. Bapt. Ricciolus legi, ut alieniori in opere Poëtica facultas professoris quondam sui tanto clarius reluceret. Symbola ejus Almagest. nov. P. 1. 12
lib. 6. c. 6. Scholio 1. fol. 413. talis:

Hoc metri tibi me en nunc hic, Thety, Pro-
tea sacro:
Sum Stryx, Glis, Grus, Sphynx, Mus, Lynx,
Sus, Bos, Caper et Hydrus.

Cujus 9. monosyllabae variantur 262880. vicibus. Si loco postremarum vocum: et Hydrus, substituisset monosyllabas, v. g. Lar, Grex, ascendisset ad Lansianas varietates. Hic admonere cogor, ne me quoque contagio criminis corripiat, primam in Thety correptam non legi. Et succurrit opportune Virgilianus ille, Georg. lib. 1. v. 31.

Teque sibi generum Thetys emat omnibus
undis.

Nam alia Thetys, Oceani Regina, Nerei conjux; alia Thetis, nympha marina vilis, Peleo mortali nupta, Achillis parens, nec digna cui se Proteus sacret. Ea sane corripitur:

Vecta est frenato caerula pisce Thetis.

Caeterum Ricciolus Scaligerum imitari voluit, utriusque enim de Proteo Proteus est. Hujus autem iste:

Perfide sperasti divos te fallere Proteu.

De cujus variationibus infra probl. fin. Ne vero Germani inferiores viderentur, elaborandum sibi Harsdorfferus esse duxit, cujus delic. Math. P. 3. sect. 1. prop. 14. distichon exstat:

Ehr, Kunst, Geld, Guth, Lob, Weib
und Kind
Man hat, sucht, fehlt, hofft, und ver-
schwind.

Cujus 11. monosyllaba habent variationes 39916800. Tantum de versibus. Quanquam autem et Anagrammata huc pertinent, quae nihil sunt aliud, quam variationes utiles literarum datae orationis; nolumus tamen vulgi scrinia compilare. Unum e literaria re vel dissensu 14

computantium quaeri dignum est: quoties situs literarum in alphabeto sit variabilis. Clav. Com. in Sphaer. Joh. de Sacro Bosco cap. 1. pag. 36. 23. literarum linguae latinae dicit variationes esse 25852016738884976640000. cui nostra assentitur computatio. 24. literarum Germanicae linguae variationes Laurembergius assignavit 620448397827051993. Erycius Puteanus dicto libello, 62044801733239439360000. At Henricus ab Etten: 620448593438860613360000 omnes justo pauciores. Numerus verus, ut in tabula IV. manifestum, est hic: 62044840173323943936 0000. Omnes in eo conveniunt, quod numeri initiales sint: 620448. Puteaneae computationis error non mentis sed calami vel typorum esse videtur, nihil aliud enim, quam loco
15 7mo numerus 4. est omissus. (Aliud autem sunt variationes, aliud numerus vocum ex datis literis componibilium. Quae enim vox 23. literarum est? Imo quantacunque sit, inveniantur omnes complexiones 23. rerum, in singulas ducantur variationes suae juxta probl. 2. num. 59. productum erit numerus omnium vocum nullam literam repetitam habentium. At habentes reperire docebit problema 6.) Porro tantus hic numerus est, ut, etsi totus globus terraquens solidus circumquaque esset, et cuilibet spatiolo homo insisteret, et quotannis, imo singulis horis morerentur omnes surrogatis novis; summa omnium ab initio mundi ad finem usque multum abfutura sit: ut ait Harsdorff. d. l. He-
16 giam Olynthium Graecum dudum censuisse. His contemplationibus cum nuper amicus quidam objiceret, ita sequi, ut liber esse possit in quo omnia scripta scribendaque inveniantur: Tum ego: et fateor, inquam, sed legenti grandi omnino fulcro opus est, ac vereor ne orbem terrarum opprimat. Pulpitum tamen commodius non inveneris cornibus animalis illius, quo Muhamed in coelum vectus arcana rerum exploravit, quorum magnitudinem et distantiam Alcorani oracula dudum tradiderunt.
17 Vocum omnium ex paucis literis orientium exemplo ad declarandam originem rerum ex atomis usus est ex doctrina Democriti ipse Aristot. 1. de Gen. et Corr. text. 5. et illustrius lib. 1. Metaph. c. 4. ubi ait ex Democrito; Atomos differre σχήματι id est figura, uti literas A et N; θέσει id est situ, uti literas N et Z. si enim a latere aspicias altera in alteram commutabitur, τάξει id est ordine v. g. Syllabae AN, et NA. Lucret. quoque lib. 2. ita canit:

Quin etiam refert nostris in versibus ipsis
Cum quibus (complexiones) et quali sint ordine (variatio situs) quaeque locata
Namque eadem coelum, mare, terras, flumina, Solem
Significant: eadem fruges, arbusta, animantes:
Si non omnia sint, at multo maxima pars est
Consimilis; verum positura discrepitant haec.
Sic ipsis in rebus item jam materiai
Intervalla, viae, connexus, pondera, plagae,
Concursus, motus, ordo, positura, figura
Cum permutantur, mutari res quoque debent.

Et Lactant. Divin. Inst. lib. 3. c. 19. pag. m. 163. Vario, inquit (Epicurus) ordine ac positione conveniunt atomi sicut literae, quae cum sint paucae, varie tamen collocatae innumerabilia verba conficiunt. Add. Pet. Gassend. Com. in lib. 10. Laërtii ed. Lugduni anno 1649. fol. 227. et Joh. Chrysost. Magnen. Democrit. redivivo Disp. 2. de Atomis c. 4. prop. 32.
p. 269. Denique ad hanc literarum transposi- 18
tionem pertinet ludicrum illud docendi genus, cujus meminit Hieronymus ad Paulinam, tesserarum usu literas syllabasque puerulis imprimens. Id Harsdorfferus ita ordinat Delic. Math. P. 2. sect. 13. prop. 3. sunt 6. cubi, quilibet cubus sex laterum est, eruntque inscribenda 36. haec. nempe: I. a. e. i. o. u. y. II. b. c. d. f. g. h. III. k. l. m. n. p. q. IV. r. s. ß. t. w. x. V. v. j. s. r. ä. ö. VI. ff. ſſ. tz. ſch. ch. z. Alphabetum autem lusus unius tesserae, syllabas duarum docebit: inde paulatim voces orientur.

PROBL. V.

DATO NUMERO RERUM VARIATIONEM SITUS MERE RELATI SEU VICINITATIS INVENIRE.

»Quaeratur Variatio situs absoluti, seu or- 1
»dinis, de numero rerum unitate minori quam »est datus, juxta probl. 4. quod invenietur in
»Tab. IV. erit quaesitum. Ratio solutionis ma- 2
»nifesta est ex schemata V. quo rationem solu»tionis problematis praecedentis dabamus.« v. g. in variationibus vicinitatis, variationes hae: Abcd. Bcda. Cdab. Dabc. habentur pro una, velut in circulo scripta. Et ita similiter de caeteris, omnes igitur illae 24. variationes dividendae sunt per numerum rerum, qui hoc loco est 4. prodibit variatio ordinis de numero rerum antecedenti,
nempe 6. Finge tibi hypocaustum rotundum in 3
omnes 4. plagas januas habens, et in medio positam mensam; (quo casu quis sit locus honoratissimus disputat Schwenter, et pro janua orientem spectante decidit, e cujus regione collocandus sit honoratissimus hospes. Delic. Math. sect. VII. prop. 28.) atque ita hospitum situm variari cogita prioritatis posteriorita-
4 tisque consideratione remota. Hic obiter aliquid de circulo in demonstratione perfecta dicemus. Ejus cum omnes propositiones sint convertibiles, prodibunt syllogismi sex, circuli tres. Ut esto demonstratio: I. O. rationale est docile. O. Homo est rationalis. E. O. homo est docilis. II. O. homo est docilis. O. rationale est homo. E. O. rationale est docile. 2. III. O. homo est rationalis. O. docile est homo. E. O. docile est rationale. IV. O. docile est rationale. O. homo est docilis. E. O. homo est rationalis. 3. V. O. homo est docilis. O. rationale est Homo. E. O. rationale est docile. VI. O. rationale est docile. O. homo est rationalis. E. O. homo est docilis.

PROBL. VI.

DATO NUMERO RERUM VARIANDARUM, QUARUM ALIQUA VEL ALIQUAE REPETUNTUR VARIATIONEM ORDINIS INVENIRE.

1 »Numerentur res simplices et ex iisdem re»petitis semper una tantum; Et ducantur in »variationem numeri numero variationum dato »unitate minoris; productum erit quaesitum, »v. g. sint sex: a. b. c. c. d. e. sunt simplices »4. + 1. (duo illa c. habentur pro 1.) f. 5 ⌒ 120. (120 autem sunt variatio numeri 5 ante-
cedentis datum 6) f. 600. Ratio manifesta est, 2
si quis intueatur schema V. corruent enim omnes variationes quibus data res pro se ipsa po-
nitur. Usum nunc monstrabimus. Esto propo- 3
situm: dato textu omnes melodias possibiles invenire. Id Harsdorfferus quoque Delic. Math. sect. 4. prop. 7. tentavit. Sed ille in textu 5. syllabarum melodias possibiles non nisi 120 esse putat, solas variationes ordinis intuitus. At nobis necessarium videtur etiam
complexiones adhibere, ut nunc apparebit. Sed 4
altius ordiemur: Textus est vel simplex, vel compositus. Compositum voco in lineas, Reimzeilen, distinctum. Et compositi textus variationem discemus melodiis simplicium in se continue ductis per probl. 3. Textus simplex vel excedit 6 syllabas, vel non excedit. Ea differentia propterea necessaria est, quia 6 sunt voces: Ut, Re, Mi, Fa, Sol, La. (ut omittam 7mam: Si, quam addidit Eryc. Puteanus in Musathena). Si non excedit, aut sex syllaba-
rum, aut minor est. Nos in exemplum de Textu 5
hexasyllabico ratiocinabimur, poterit harum rerum intelligens idem in quocunque praestare. Caeterum in omnibus plusquam hexasyllabicis necesse est vocum repetitionem esse. Porro in textu hexasyllabico capita variationum sunt haec:

I. ut, re, mi, fa, sol, la. Variatio ordinis est . . . 720
II. ut, ut, re, mi fa sol. Variatio ordinis est 720 - 120. f. 600. Non solum autem ut, sed et quaelibet 6. vocum potest repeti 2. mod. E. 6 ⌒ 600. f. 3600. Et reliquarum 5 vocum semper 5. mod. aliae 4. possunt poni post ut ut; nempe: re mi fa sol. re mi fa la. re mi sol la. re fa sol la. mi fa sol la. seu 5 res habent 5 con4nationes: 5 ⌒ 3600. f. 18000
III. ut ut re re mi fa. 480 ⌒ 15. f. 7200. ⌒ 6. f. 43200
IV. ut ut re re mi mi. 360 ⌒ 20. f. 7200
V. ut ut ut re mi fa. 360 ⌒ 6. f. 2160 ⌒ 20. f. 43200
VI. ut ut ut re re mi. 360 ⌒ 6. ⌒ 5 ⌒ 4. f. 43200
VII. ut ut ut re re re. 240 ⌒ 15. f. 3600
VIII. ut ut ut ut re mi. 360 ⌒ 6. ⌒ 10. f. 21600
IX. ut ut ut ut re re. 240 ⌒ 6. ⌒ 5. f. 7200

Summa 187920

6 Quid vero si septimam vocem Puteani Si, si pausas, si inaequalitatem celeritatis in notis, si alios characteres musicos adhibeamus computationi; si ad textus plurium syllabarum quam 6. si ad compositos progrediamur, quantum erit mare melodiarum, quarum pleraeque aliquo casu
utiles esse possint? Admonet nos vicinitas re- 7
rum posse cujuslibet generis carminum possibiles species seu flexus, et quasi melodias inveniri, quae nescio an cuiquam hactenus vel ten-

tare in mentem venerit. Age in hexametro co-
8 nemur. Cum hexametro sex sint pedes, in cae-
teris quidem dactylus spondaeusque promiscue
habitare possunt, at penultimus non nisi da-
ctylo, ultimus spondaeo aut trochaeo gaudet.
Quod igitur 4 priores attinet, erunt vel meri
dactyli, 1. vel meri spondaei, 1. vel tres dactyli
unus spondaeus, vel contra: 2. vel 2. dactyli
2. spondaei, 1. et ubique variatio situs 12. 2 ┼
1. f. 3 ⌒ 12. f. 36. ┼ 1 ┼ 1. f. 38. In sin-
gulis autem his generibus ultimus versus vel
spondaeus vel trochaeus est 2 ⌒ 38. f. 76. Tot
sunt genera hexametri si tantum metrum spe-
9 ctes. Ut taceam varietates quae ex vocibus ve-
niunt, v.g. quod vel ex monosyllabis vel dissy-
labis etc. vel his inter se mixtis constat; quod
vox modo cum pede finitur, modo facit caesu-
ram eamque varii generis: quod crebrae inter-
10 cedunt elisiones aut aliquae aut nullae. Caete-
rum et multitudine literarum hexametri diffe-
runt, quam in rem exstat carmen Publilii Porphyrii Optatiani (quem male cum Porphyrio Graeco, philosopho, Christianorum hoste, Caesar Baronius confudit) ad Constantinum Magnum 26. versibus heroicis constans, quorum primus est 25. literarum, caeteri continue una litera crescunt, usque ad 26tum qui habet 50. ita omnes organi Musici speciem exprimunt. Meminere Hieron. ad Paulinam, Firmicus in myth. Rab. Maurus, Beda de re metrica. Edidit Velserus ex Bibliotheca sua Augustae cum figuris An. 1591. Adde de eo Eric. Puteanum in Thaum. Pietatis lit. N. qui ait hoc carmine revocari ab exilio meruisse; Gerh. Joh. Vossium syntag. de Poët. Latinis v. Optatianus, item de Historicis Graecis, l. Casp. Barthium Commentariolo de Latina Lingua, et Aug. Buchnerum Notis in Hymnum Venantii Fortunati, (qui vulgo Lactantio ascribitur) de Resurrect. ad v. 29. pag. 27. Qui observat Hexametros fistulis, versum per medium ductum: Augusto victore, etc. regulae organi, jambos anacreonticos dimetros omnes 18. literarum, epitoniis respondere. Versus ipsos quia ubique obvii non sunt expressimus.

AUGUSTO VICTORE JUVAT RATA REDDERE VOTA.

25 Os i diviso Metiri Limite Clio
26 Una Lege Sui Una Manatia Fonte
27 Aonio Versus Heroi Jure Manente
28 Ausuro Donet Metri Felicia Texta
29 Augeri Longo Patiens Exordia Fine
30 Exiguo Cursu Parvo Crescentia Motu
31 Ultima Postremo Donec Vestigia Toto
32 Ascensus Jugi Cumulato Limite Cludat
33 Uno Bis Spatio Versus Elementa Prioris
34 Dinumerans Cogens Aequali Lege Retenta
35 Parva Nimis Longis Et Visu Dissona Multum
36 Tempore Sub Parili Metri Rationibus Isdem
37 Dimidium Numero Musis Tamen Aequiparantem
38 Haec Erit In Varios Species Aptissima Cantus
39 Perque Modos Gradibus Surget Fecunda Sonoris
40 Aere Cavo Et Tereti Calamis Crescentibus Aucta
41 Quis Bene Suppositis Quadratis Ordine Plectris
42 Artificis Manus Innumeros Clauditque Aperitque
43 Spiramenta Probans Placitis Bene Consona Rythmis
44 Sub Quibus Unda Latens Properantibus Incita Ventis
45 Quas Vicibus Crebris Juvenum Labor Haud Sibi Discors
46 Hinc Atque Hinc Animaeque Agitant Augetque Reluctans
47 Compositum Ad Numeros Propriumque Ad Carmina Praestat
48 Quodque Queat Minimum Admotum Intremefacta Frequenter
49 Plectra Adaperta Sequi Aut Placitos Bene Claudere Cantus
50 Jamque Metro Et Rythmis Praestringere Quicquid Ubique Est.

Ex quibus multa circa scripturam Veterum observari possunt imprimis Diphthongum AE duabus literis exprimi solitam; qui tamen mos non est cur rationem vincat, unius enim soni una litera esse debet. Sed de hoc Optatiano vel propterea fusius diximus, ut infra dicenda praeoccuparemus; ubi versus Proteos ab eo compositos allegabimus.

25 Post martios labores,
26 Et Caesarum parantes
27 Virtutibus, per orbem
28 Tot laureas virentes,
29 Et Principis trophaea;
30 Felicibus triumphis
31 Exsultat omnis aetas,
32 Urbesque flore grato,
33 Et frondibus decoris
34 Totis virent plateis.
35 Hinc ordo veste clara
36 In purpuris honorum
37 Fausto precantur ore,
38 Feruntque dona laeti.
39 Jam Roma culmen orbis
40 Dat munera et coronas
41 Auro ferens coruscas
42 Victorias triumphis,
43 Votaque jam theatris
44 Redduntur et Choreis.
45 Me sors iniqua laetis
46 Solemnibus remotum
47 Vix haec sonare sivit
48 Tot vota fronte Phoebi
49 Versuque comta sola,
50 Augusta rite seclis.

PROBL. VII.
DATO CAPITE VARIATIONES REPERIRE.

Hoc in complexionibus solvimus supra. De situs variationibus 1
nunc: Sunt autem diversi casus. Caput enim variationis hujus aut
constat una re, aut pluribus: si una, ea vel monadica est, vel dan-
tur inter res (variandas) alia aut aliae ipsi homogeneae. Sin plu-
ribus constat, tum vel intra caput dantur invicem homogeneae vel
non, item extrinsecae quaedam intrinsecis homogeneae sunt vel
non. »Primum igitur capite variationis fixo manente numerentur 2
»res extrinsecae; et quaeratur variatio earum inter se (et si sint
»discontiguae seu caput inter eas ponatur) praeciso capite, per
»prob. 4. productum vocetur A. Si caput multiplicabile non est,
»seu neque pluribus rebus constat, et una ejus res non habet ho-
»mogeneam, productum A erit quaesitum. Sin caput est 3
»multiplicabile, et constat 1. re habente homogeneam, productum
»A multiplicetur numero homogenearum aeque in illo capite poni-
»bilium, et factus erit quaesitum. Si vero caput constat plu- 4
»ribus rebus quaeratur variatio earum inter se, (etsi sint discon-
»tiguae seu res extrinsecae interponantur) per probl. 4. ea duca-
»tur in productum A, quodque ita producitur dicemus B. Jam si
»res capitis nullam habet homogeneam extra caput, productum
»B erit quaesitum. Si res capitis habet homogeneam tantum
»extra caput, non vero intra, productum B. multiplicetur numero
»rerum homogenearum, et si saepius sunt homogeneae, factus ex
»numero homogenearum priorum multiplicetur numero homoge-
»nearum posteriorum continue, et factus erit
6 »quaesitum. Sin res capitis habet homogeneam
»intra caput et extra, numerentur primo res
»homogeneae intrinsecae et extrinsecae simul,
»et supponantur pro numero complicando;
»deinde res datae homogeneae tantum intra ca-
»put supponantur pro exponente. Dato igitur
»numero et exponente, quaeratur complexio per
»probl. 1. et si saepius contingat homogeneitas,
»ducantur complexiones in se invicem continue.
»Complexio vel factus ex complexionibus duca-
»tur in productum B. Et factus erit quaesi-
7 »tum.« Hoc problema casuum multitudo ope-
rosissimum efficit, ejusque nobis solutio multo
et labore et tempore constitit. Sed aliter se-
quentia problemata ex artis principiis nemo sol-
vet. In illis igitur usus hujus apparebit.

PROBL. VIII.
VARIATIONES ALTERI DATO CAPITI COMMUNES REPERIRE.

8 »Utrumque caput ponatur in eandem variatio-
»nem quasi esset unum caput compositum (etsi
»interdum res capitis compositi sint disconti-
»guae) et indagentur variationes unius capitis
»compositi per probl. 10. productum erit
»quaesitum.«

PROBL. IX.
CAPITA VARIATIONES COMMUNES HABENTIA REPERIRE.

»Si plura capita in variatione ordinis in eun- 9
»dem locum incidunt vel ex toto vel ex parte,
»non habent variationes communes. 2. Si ea-
»dem res monadica in plura capita incidit, ea
»non habent variationes communes. Caetera
»omnia habent variationes communes.

PROBL. X.
CAPITA VARIATIONUM UTILIUM AUT INUTILIUM REPERIRE.

Capita in universum reperire expe- 10
ditum est. Nam quaelibet res per se, aut in quocunque loco per se, aut cum quacunque alia aliisve, quocunque item loco cum alia aliisve, breviter omnis complexio aut variatio proposita minor et earundem rerum, seu quae tota in altera continetur, est caput. Methodus autem in disponendis capitibus utilis, ut a minoribus ad majora progrediamur, quando v. g. propositum

nobis est omnes variationes oculariter proponere, quod Drexelius loco citato Puteanus et Kleppisius et Reinerus citandis factitarunt. 11 Caeterum ut Capita utilia vel inutilia reperiantur, adhibenda disciplina est ad quam res variandae, aut totum ex iis compositum pertinet. Regulae ejus inutilia quidem elident, utilia vero relinquent. Ibi videndum quae cum quibus et quo loco conjungi non possint, item quae simpliciter quo loco poni non possint v. g. primo, tertio, etc. Imprimis autem primo et ultimo. Deinde videndum quae res potissimum causa sit anomaliae (v. g. in versibus hexametris proteis syllabae breves). Ea ducenda est per omnes caeteras, omnia item loca, si quando autem de pluribus idem judicium est, satis erit in uno tentasse.

PROBL. XI.
VARIATIONES INUTILES REPERIRE.

12 »Duae sunt viae (1.) per probl. 12. hoc »modo: inventa summa variationum utilium et »inutilium per probl. 4. subtrahatur summa »utilium per probl. 12. viam secundum; Residuum erit quaesitum (2.) absolute hoc modo: »Inveniantur capita variationum inutilium per »probl. 10. quaerantur singulorum capitum va»riationes per probl. 7. si qua capita commu»nes habent variationes per probl. 9. numerus »earum inveniatur per probl. 8. et in uno so»lum capitum variationes communes habentium »relinquatur, de caeterorum variationibus sub»trahatur; aut si hunc laborem subtrahendi »subterfugere velis, initio statim capita quam »maxime composita pone, conf. probl. 8. Ag»gregatum omnium variationum de omnibus »complexionibus, subtractis subtrahendis, erit »quaesitum.«

PROBL. XII.
VARIATIONES UTILES REPERIRE.

13 Solutio est ut in proxime antecedenti, si haec saltem mutes, in via 1. loco problem. 12. pone 11. etc. et subtrahatur summa inutilium per probl. 11. viam secundam. In via 2. inveniantur capita variationum utilium; caetera ut in probl. proximo.

Usus Problem. 7. 8. 9. 10. 11. 12.

14 Si cui haec problemata aut obvia aut inutilia videntur, cum ad praxin superiorum descenderit aliud dicet. Rarissime enim vel natura rerum vel decus patitur omnes variationes possibiles, utiles esse. Cujus specimen in argumento minus fortasse fructuoso, in exemplum tamen maxime illustri daturi sumus. Diximus 15 supra Proteos versus esse pure proteos, id est in quibus pleraeque variationes possibiles utiles sunt, ii nimirum qui toti propemodum monosyllabis constant; vel mixtos, in quibus plurimae incidunt inutiles, quales sunt qui polysyllaba, eaque brevia continet. In hoc genere 16 inter veteres, qui mihi notus sit tentavit tale quiddam idem ille de quo probl. 6. Publilius Porphyrius Optatianus. Et Erycius Puteanus Thaumat. Piet. lit. N. pag. 92. ex aliis ejus de Constantino versibus hos refert:

Quem divus genuit Constantius Induperator
Aurea Romanis propagans secula nato.

Ex illis primus est Torpalius, vocibus continue syllaba crescentibus constans alter est Proteus sexiformis, si ita loqui fas est.

Aurea Romanis propagans secula nato
Aurea propagans Romanis secula nato
Secula Romanis propagans aurea nato
Secula propagans Romanis aurea nato
Propagans Romanis aurea secula nato
Romanis propagans aurea secula nato.

Verum plures habet primus ille Virgilianus: 17

Tityre tu patulae recubans sub tegmine fagi

quem usus propemodum in jocum vertit. Ejus variationes sunt hae: pro tu sub 2. pro patulae recubans 2. et Tityre jam initio, ut nunc; jam tegmine initio: jam Tityre tegmine, fine; jam tegmine Tityre, fine. 4. ⌒ 2 ⌒ 2. f. 16. Verum in Porphyrianaeis non singuli Protei, sed omnes, neque unus versus, sed carmen totum talibus plenum admirandum est. Ejusmodi versus compositurо danda opera, ut voces consonis aut incipiant, aut finiant. Alter qui et nomen Protei indidit, est Jul. Caes. Scaliger, vir si ingenii ferocia absit, plane 18 incomparibilis, Poët. lib. 2. c. 30. pag. 185. is hunc composuit, formarum, ut ipse dicit, innumerabilium, ut nos 64:

Perfide sperasti divos te fallere Proteu.

Plures non esse facile inveniet, qui vestigia hujus nostrae computationis leget. Pro Perfide fallere 2. ⌒ pro Proteus divos 2. ⌒ 2. f. 4. Sperasti divos te, habet variationes, 6. ⌒ 4. f. 24. Divos perfide Te sperasti, habet var. 2. Divos Te sperasti perfide, habet, 6. ∔ 2 ∔ 2 f. 10 ⌒ 4. f. 40. ∔ 24. f. 64. observavimus ex Virgilio, aeque, imo plus variabilem, Aen. lib. 1. v. 282. Queis (pro: His) ego nec metas rerum nec

tempora pono. Nam perfide una vox est; 19 queis ego in duas discerpi potest. Venio ad ingeniosum illum Bernhardi Bauhusii Jesuitae Lovaniensis, qui inter Epigrammata ejus exstat; utque superior, v. probl. 4. de Christo, ita hic de Maria est:

Tot tibi sunt dotes virgo, quot sidera coelo.

Dignum hunc peculiari opera esse duxit vir doctissimus Erycius Puteanus libello, quem Thaumata Pietatis inscripsit, edito Antverpiae anno 1617. forma 4ta. ejusque variationes utiles omnes enumerat a pag. 3 usque ad 50. inclusive, quas autor, etsi longius porrigantur, intra cancellos numeri 1022. continuit, tum quod totidem vulgo stellas numerant Astronomi, ipsius autem institutum est ostendere dotes non esse pauciores quam stellae sunt; tum quod nimia propemodum cura omnes illos evitavit, qui dicere videntur, tot sidera coelo, quot Mariae dotes esse, nam Mariae dotes esse multo plures. Eas igitur variationes si assumsisset. (v. g. Quot tibi sunt dotes virgo, tot sidera coelo) totidem, nempe 1022. alios versus ponendo tot pro quot. et contra, emersuros fuisse manifestum est. Hoc vero etiam in praefatione Puteanus annotat pag. 12. interdum non sidera tantum, sed et dotes coelo adhaerere, ut coelestes esse intelligamus, v. g.

Tot tibi sunt coelo dotes, quot sidera virgo.

Praeterea ad variationem multum facit, quod ultimae in Virgo, et Tibi ambigui quasi census et corripi et produci patiuntur, quod artificium quoque infra in Daumiano illo singu-
20 lari observabimus. Meminit porro Thaumatum suorum et Protei Bauhusiani aliquoties Puteanus in apparatus epistolarum cent. I. ep. 49. et 57. ad Gisbertum Bauhusium Bernardi Patrem; add. et ep. 51. 52. 53. 56. ibid. Editionem autem harum epistolarum habeo in 12. Amstelodami anno 1647. nam in editione epistolarum in 4to quia jam anno
21 1612. prodiit, frustra quaeres. Caeterum Joh. Bapt. Ricciol. Almag. nov. P. 1. lib. 6. c. 6. schol. 1. f. 413. peccato μνημονικῷ Versus Bauhusiani Puteanum autorem praedicavit his verbis: quoniam vero vetus erat opinio a Ptolemaeo usque propagata, stellas omnes esse 1022. Erycius Puteanus pietatis et ingenii sui monumentum posteris reliquit, illo artificiosissimo carmine, Tot tibi, etc qui tamen non autor sed commentator, commendatorque est. Denique simi- 22 lem prorsus versum in Ovidio, levissima mutatione observavimus hunc, Metam. XII. fab. 7. v. 594:

Det mihi se, faxo triplici quid cuspide
possim

Sentiat etc. Is talis fiet:

Det mihi se faxo trina quid cuspide possim.

Nam etiam ultima in mihi et faxo anceps est. 23 Exstat in eodem genere Georg. Kleppisii nostratis Poëtae laureati versus hic:

Dant tria jam Dresdae, ceu sol dat, lumina
lucem.

cujus variationes peculiari libro enumeravit 1617: occasionem dedere tres soles qui anno 1617. in coelo fulsere, quo tempore Dresdae convenerant tres soles terrestres ex Austriaca domo: Matthias Imperator, Ferdinandus Rex Bohemiae, et Maximilianus Archidux, supremus ordinis Téutonici Magister. Libellum illis dedicatum titulo Protei poëtici eodem anno edidit, quem variationum numerus signat. Om- 24 nino vero plures sunt variationes quam 1617. quod ipse tacite confitetur autor dum in fine inter errata ita se praemunit: fieri potuisse, ut in tanta multitudine aliquem bis posuerit, supplendis igitur lacunis novos aliquot ponit quos certus sit nondum habuisse. Nos ut aliquam praxin proximorum problematum exhibeamus, variationes omnes utiles computabimus. Id sic fiet, si invenienus omnes inutiles. Capita variationum expressimus notis quantitatis, sic tamen ut pro pluribus transpositis unum assumserimus, v. g. — —. —. —. ◡ ◡. etiam continet hoc: —. — —. —. ◡ ◡ etc. Punctis designamus et includimus unam vocem.

Summa Omnium variationum utilium et inutilium 362880 25

Catalogus Variationum inutilium.

1. ◡ ◡. v. g. tria dant jam Dresdae ceu sol dat lumina lucem.	40320
2. — —. ◡ ◡. Dresdae tria dant jam ceu sol etc.	10080
3. —. —. ◡ ◡. dant jam tria.	14400
4. — —. —. —. ◡ ◡. Dresdae dant jam tria.	28800
5. — —. — —. ◡ ◡. Dresdae lucem tria.	1440
6. —. —. —. —. ◡ ◡. dant jam ceu sol tria.	2880
7. — —. — —. —. —. ◡ ◡. Dresdae lucem ceu sol tria.	28800

	8. – –.–.–.–.–.⏑ ⏑. Dresdae dant jam ceu sol tria.	7200
	9. – –.– –.–.–.–.–.⏑ ⏑. Dresdae lucem dant jam ceu sol tria	7200
	10. in fine ⏑ ⏑. v.g. tria.	40320
26	Summa Variationum ob vocem Tria inutilium, quae exacte constituit dimidium summae Variationum possibilium.	181440
	11. ab initio: –.– ⏑ ⏑. dant lumina.	18000
	12. –.– –.– ⏑ ⏑. dant Dresdae lumina.	9600
	13. –.–.–.– ⏑ ⏑. dant jam ceu lumina.	4320
	14. –.–.–.–.–.– ⏑ ⏑. dant jam ceu sol dat lumina.	240
	15. –.– –.– –.– ⏑ ⏑. dant Dresdae lucem lumina.	2160
	16. –.–.–.– –.– ⏑ ⏑. dant jam ceu lucem lumina.	5760
	17. –.–.–.–.–.– –.– ⏑ ⏑. dant ceu jam sol dat lucem lumina.	0
	18. –.–.–.– –.– –.– ⏑ ⏑. dant ceu jam Dresdae lucem lumina	1200
	19. –.–.–.–.–.– –.– –.– ⏑ ⏑. dant ceu jam sol dat lucem Dresdae lumina	0
	20. fine – ⏑ ⏑. v. g. lumina	11620
27	Summa Variationum ob solam vocem lumina inutilium	52900
	21. ubicunque: – ⏑ ⏑.⏑ ⏑. lumina tria.	40320
	22. – ⏑ ⏑.– –.⏑ ⏑. lumina Dresdae tria.	14445
	23. – ⏑ ⏑.–.–.⏑ ⏑. lumina ceu jam tria.	4800
	24. – ⏑ ⏑.–.–.–.–.⏑ ⏑. lumina ceu jam sol dat tria.	1440
	25. – ⏑ ⏑.– –.– –.⏑ ⏑. lumina Dresdae lucem tria.	480
	26. – ⏑ ⏑.–.–.– –.⏑ ⏑. lumina ceu jam Dresdae tria.	4800
	27. – ⏑ ⏑.–.–.– –.–.–.⏑ ⏑. lumina ceu jam Dresdae lucem tria.	4080
	28. – ⏑ ⏑.–.–.–.–.–.–.⏑ ⏑. lumina ceu jam dat sol lucem tria.	532
	29. – ⏑ ⏑.–.–.–.–.– – ⏑ ⏑. lumina ceu jam dat sol lucem Dresdae tria.	2978
28	Summa Variationum inut. ob complicationem Lumina et Tria, illo praeposito.	59870
	30. –.⏑ ⏑.–.– ⏑ ⏑. dant tria jam lumina.	2400
	31. –.⏑ ⏑.–.– –.– ⏑ ⏑. dant tria jam Dresdae lumina.	3840
	32. –.⏑ ⏑.–.–.–.– ⏑ ⏑. ceu sol.	1440
	33. –.⏑ ⏑.–.–.–.– –.– ⏑ ⏑. dant tria jam ceu sol lucem lumina	5760
	34. –.⏑ ⏑.–.–.–.– –.– –.– ⏑ ⏑. dant tria jam ceu sol lucem Dresdae lumina	9360
	Summa Variationum inut. ob complic. Tria et Lumina illo praeposito	22800
		59870
		52900
		181440
	Summa summarum Var. inut.	317010
	subtrahatur de summa universali	362880
	Remanet:	
29	Summa utilium variationum versus Kleppisii admissis spondaicis.	45870

Spondaicos reliquimus ne laborem computandi augeremus, quot tamen inter omnes variationes utiles et inutiles existant spondaici, sic invenio.

1. si in fine ponitur –.– –. v. g. dant lucem	100800
2. – –.– –. v. g. Dresdae lucem	10080
3. –.–.–. v. g. dant ceu sol	43200
Summa omnium spondaicorum util. et inut.	154080

30 Exstat praeterea versus nobilissimi herois Caroli a Goldstein:

Ars non est tales bene structos scribere versus,

in arte sibi neganda artificiosus, qui 1644. variationes continere dicitur. Aemulatione horum, Kleppisii inprimis, prodiit Henr. Reimerus Lüneburgensis, Scholae patriae ad D. Johannis Collega Proteo instructus tali:

Da pIe ChrIste VrbI bona paX sIt teMpore nostro.

qui idem annum 1619. quo omnes ejus variationes uno libello in 12. Hamburgi edito, in-
31 clusi prodierunt, continet. Laboriosissimus quoque Dannius, vir in omni genere poematum exercitatus, nec hoc quidem intentatum voluit a se relinqui. Nihil de ejus copia dicam qua idem termillies aliter carmine dixit (hic enim non alia verba, sed eorundem verborum alius ordo esse debet) quod in hac sententia: fiat justitia aut pereat mundus. Vertumno poëtico Cygneae anno 1646. 8. edito praestitit. Hoc saltem adverto, quod et autori annotatum, in millenario 1. num. 219. et 220. versus Proteos esse. Hi sunt igitur:

v. 219. Aut absint vis, fraus, ac jus ades, aut cadat aether.

v. 220. Vis, fraus, lis absint, aequum gerat, aut ruat orbis.

32 Nacti vero nuper sumus, ipso communicante, alium ejus versum invento sane publice legi digno, quem merito plus quam Protea dicas, neque enim in idem tantum, sed alia plurima carminis genera convertitur. Verba enim haec: O alme (sc. Deus) mactus Petrus (sponsus) sit lucro duplo: varie transposita dant Alcaicos 8. Phaleucios 8. Sapphicos 14. Archilochios 42. in quibus omnibus intercedit elisio. At vero sine elisione facit pentametros 32. Iambicos senarios tantum 20. Scazontes tantum 22. Scazontes et Iambos simul 44. (et ita Iambos omnes 64. Scazontes omnes 66.) si syllabam addas fit Hexameter, v. g.

Fac duplo Petrus lucro sit mactus, o alme!

variabilis versibus 480. Caeterum artificii ma- 33
gna pars in eo consistit, quod plurimae syllabae, ut prima in duplo, Petrus, lucro, sunt ancipites. Elisio autem efficit ut eadem verba, diversa genera carminis syllabis se excedentia, efficiant. Alium jam ante anno 1655. dederat, sed variationum partiorem, nempe Alcaicum hunc:

Faustum alma sponsis da Trias o torum!

convertibilem in Phaleucios 4. Sapphicos 5. Pentametros 8. Archilochios 8. Iambicos senarios 14. Scazontes 16.

Sed jam tempus equum spumantia solvere 34
colla.

Si quis tamen prolixitatem nostram damnat, is vereor, ne cum ad praxin ventum erit, idem versa fortuna de brevitate conqueratur.

APPENDIX,

CONTINENS COROLLARIA DISPUTATIONIS ARITHMETICAE [1]).

(Lips. 1666. — Leibn. Opp. ed. Dutens Tom. III. p. 9 u. 10).

I. LOGICA. 1. Duae sunt propositiones primae, una, principium omnium theorematum seu propositionum necessarium: Quod est (tale) id est, seu non est (tale) vel contra; altera omnium observationum seu propositionum contingentium: Aliquid existit. 2. Dantur demonstrationes perfectae in omnibus disciplinis. 3. Si disciplinas in se spectemus, omnes sunt theoreticae; si usum, omnes practicae. Eae tamen, ex quibus usus magis immediate fluit, merito practicae κατ' ἐξοχὴν dicuntur. 4. Methodus etsi in omni disciplina omnis adhiberi potest; ut vel vestigia inquisitionis nostrae, vel producentis naturae in tradendo sequamur; tamen in practicis fit ut coincidat et naturae et cognitionis ordo, quia in iis ipsa rei natura a cogitatione et productione nostra oritur. Nam finis et nos

[1]) Cf. quae supra notavimus p. 11.

movet ad media producenda, et ducit ad cognoscenda; quod in iis quae cognoscere tantum, non etiam efficere possumus secus est. Praeterea etsi omnis methodus licita est, non tamen omnis expedit. 5. Syllogismus non est finis Logicae, sed contemplatio simplex; propositio vero est medium ad hanc, syllogismus ad propositionem.

II. METAPHYSICA. 1. Infinitum aliud alio majus est. Cardan. Arithmet. Pract. c. 66. n. 165. et 260. Dissentire dicitur Sethus Wardus in Arithmetica infinitorum. 2. Deus est substantia, Creatura accidens. 3. Necesse est dari disciplinam de creatura in genere, sed ea fere hodie in Metaphysica comprehenditur. 4. Vix est probabile terminum causae univocum conceptum dicere, ad efficientem, materialem, formalem, finalem. Nam vox influxus itidem quid nisi vox est?

III. PHYSICA. 1. Quum observandum sit alia mundi corpora moveri circa proprium axem, idem de terra absurdum non est quemadmodum nec contrarium. 2. Quum corporum summa differentia sit densum et rarum, manifestum est quatuor primas qualitates, ita illustrari posse: Humidum est rarum, Siccum est densum, Calidum est rarefactivum, Siccum condensativum. Omne autem rarum facile alienis terminis continetur, difficulter suis; densum contra: Et omne rarefaciens copiam facit in raro homogeneis ad se invicem properandi, et heterogeneis se separandi: quibus in denso via interclusa est. Unde definitionum Aristotelicarum ratio redditur. Neque ignis, qui rarus esse videtur, quum tamen siccus esse debeat, obstat. Nam respondeo: Aliud dicendum de igne per se, aliud de igne alii corpori inhaerente, nam ejus naturam sequitur. Ita patet, flammam, quae nihil aliud est quam aër ignitus, fluidam esse debere, quemadmodum et aër ipse; contra ignem in ferro ignito consistentem, quemadmodum et ferrum ipsum. 3. Vim Magnetis ab Adamante sisti fictum est.

IV. PRACTICA: 1. Justitia (particularis) est virtus servans mediocritatem circa affectus hominis erga hominem, juvandi et nocendi, seu favorem et odium regula mediocritatis est: licere eo usque alterum (me) juvare, quo usque (alteri) tertio non nocetur. Hoc observare necesse est, ut tueamur Aristotelem contra cavillum Grotii, qui de J. B. et P. Prolegom. ** 4. fac. a. ita dicit: »Non recte autem universaliter positum hoc fundamentum (quod »virtus posita sit in mediocritate) vel ex justitia »apparet, cui oppositum nimium et parum cum »in affectibus et sequentibus eas actionibus invenire non posset (Aristoteles), in rebus »ipsis circa quas justitia versatur utrumque »quaesivit, quod ipsum primum est desilire de »genere in genus alterum quod in aliis merito »culpat.« Vult nempe Grotius incongrue in speciebus divisionis alicujus aliquam interseri, quae ex alio prorsus dividendi fundamento derivetur; (quod vocat minus Philosophice, μεταβαίνειν εἰς ἄλλο γένος) et certe aliud prorsus est mediocritas affectuum: aliud, rerum. Virtutes quoque non rerum sed animorum habitus sunt. Quare ostendimus justitiam et ipsam in affectuum moderatione esse positam. 2. Non inepte dicit Trasymachus apud Platonem de Republ. lib. 1. fol. 379. Justum esse potentiori utile. Nam Deus proprie et simpliciter est caeteris potentior, (homo enim homine absolute potentior non est, quum fieri possit, ut quantumcunque robustus ab infirmo occidatur). Caeterum Dei utilitas non in lucro, sed honore consistit. Igitur Gloriam Dei mensuram omnis juris esse manifestum est. Et qui Theologos moralistas et casuum conscientiae scriptores consulet, videbit eo plerumque discursus suos in hac fundare. Constituto igitur certo principio, doctrina de justo scientifice conscribi poterit. Quod hactenus factum non est.

III.

CONFESSIO NATURAE CONTRA ATHEISTAS.

1 6 6 8.

(Spizelii Epistola ad Ant. Reiserum de eradicando atheismo. Aug. Vindel. 1669. — Leibn. Opp. ed. Dutens Tom. I. p. 5.)

PARS I.

QUOD RATIO PHAENOMENORUM CORPORALIUM REDDI NON POSSIT, SINE INCORPOREO PRINCIPIO, ID EST DEO.

Divini ingenii vir Franciscus Baconus de Verulamio recte dixit, philosophiam obiter libatam a DEO abducere, penitus haustam reducere ad eundem. Experimur hoc seculo nostro, feraci pariter scientiae et impietatis. Cum enim excultis egregie mathematicis artibus, et rerum interioribus per Chemiam et Anatomiam tentatis appareret, plerorumque rationes ex corporum figura motuque velut mechanice reddi posse, quos veteres vel ad solum Creatorem vel ad nescio quas incorporales formas retulerant; tum vero ingeniosi quidam primum tentare coeperunt, possent ne phaenomena naturalia, seu ea, quae in corporibus apparent, salvari et explicari, Deo non supposito, nec ad ratiocinandum assumto: mox ubi paulum res successit (antequam scilicet ad fundamenta et principia venissent) velut gratulantes securitati suae permature prodiderunt, se neque Deum, neque immortalitatem animae naturali ratione reperire, sed fidem ejus rei vel praeceptis civilibus vel historiarum relationi deberi, ita censuit subtilissimus Hobbes, inventis suis meritus hoc loco sileri, nisi auctoritati ejus in deterius valiturae nominatim obviam eundum esset. Atque utinam non alii, longius progressi, jamque de Scripturae sacrae auctoritate, de veritate historiarum, de historiarum relatione dubitantes Atheismum mundo non obscure invexissent.

Hoc vero mihi admodum indignum visum est animum nostrum sua ipsius luce, id est, Philosophia praestringi. Coepi igitur ipsemet inquisitioni rerum incumbere, tanto vehementius, quanto ferebam impatientius, me maximo vitae bono, certitudine scilicet aeternitatis post mortem, et spe divinae beneficentiae in bonos ac innocentes aliquando appariturae, dejici per subtilitates novatorum.

Sepositis igitur praejudiciis et dilata Scripturae et historiae fide anatomen corporum mente aggredior, tentaturus an eorum quae in corporibus sensu apparent, rationem reddere possibile sit, sine suppositione causae incorporalis.

Ac principio hodiernis philosophis Democriti et Epicuri resuscitatoribus, quos Robertus de Boyle corpusculares non inepte appellat, ut Galilaeo, Bacono, Gassendo, Cartesio, Hobbesio, Digbaeo facile condescendendo assensus sum, in reddendis corporalium Phaenomenorum rationibus neque ad Deum, neque aliam quamcunque rem, formamque aut qualitatem incorporalem sine necessitate confugiendum esse.

(Nec deus intersit, nisi dignus vindice nodus---inciderit). Sed omnia quoad ejus fieri possit, ex natura corporis, primisque ejus qualitatibus, magnitudine, figura et motu deducenda esse.

Sed quid si demonstrem, ne harum quidem primarum qualitatum originem in natura corporis reperiri posse? Tum vero patebuntur, ut spero, naturalistae nostri, corpora sibi non sufficere nec sine principio incorporeo subsistere posse. Demonstrabo vero nec obscure nec flexuose.

Si scilicet qualitates istae ex definitione corporis deduci non possunt, manifestum est eas in corporibus sibi relictis existere non posse. Omnis enim affectionis ratio vel ex re ipsa, vel ex aliquo extrinseco deducenda est. Definitio autem corporis est spatio inexistere. Et omnes homines illud dicunt corpus, quod in spatio aliquo reperiunt, et contra quod corpus est, in spatio aliquo reperiunt. Constat haec definitio duobus terminis, spatio et existentia.

Ex spatii termino oritur in corpore magnitudo et figura. Corpus enim eandem statim magnitudinem et figuram habet cum spatio quod implet. Sed restat dubium cur tantum potius et tale spatium impleat, quam aliud, et ita cur exempli causa

sit potius tripedale quam bipedale, et cur quadratum potius quam rotundum. Cujus rei ratio ex corporum natura reddi non potest, eadem enim materia ad quamcumque figuram sive quadratam sive rotundam indeterminata est. Duo igitur tantum responderi possunt, vel corpus propositum quadratum fuisse ab aeterno, vel ab alterius corporis impactu quadratum factum esse, siquidem ad causam incorpoream confugere nolis. Si dicis: ab aeterno fuisse quadratum eo ipso rationem non assignas, quidni enim potuerat ab aeterno esse sphaericum? aeternitas quippe nullius rei causa intelligi potest. Sin dicis alterius corporis motu quadratum factum esse, restat dubium cur figuram talem vel talem ante motum illum habuerit; et si iterum rationem refers in motum alterius, et sic in infinitum, tum per omne infinitum responsiones tuas novis quaestionibus prosequendo, apparebit nunquam materiam deesse quaerendi rationem rationis, et ita rationem plenam redditam nunquam esse. Apparebit igitur ex natura corporum rationem certae in iis figurae et magnitudinis reddi non posse. Diximus definitionem corporis duas habere partes: spatium et inexistentiam; sed ex voce spatii oriri magnitudinem aliquam et figuram, sed non determinatam; ad terminum vero inexistentiae in illo spatio pertinet motus, dum enim corpus incipit existere in alio spatio quam prius, ex ipso movetur. Sed re accuratius perpensa apparebit ex natura quidem corporis oriri mobilitatem, sed non ipsum motum. Eo ipso enim dum corpus propositum est in spatio hoc: etiam esse potest in alio aequali et simili prioris, id est potest moveri. Nam posse esse in alio spatio quam prius, est posse mutare spatium, posse mutare spatium est posse moveri. Motus enim est mutatio spatii. Actualis autem motus ab inexistentia in spatio non oritur, sed potius corpore relicto sibi contrarium ejus, nempe permansio in eodem, seu quies. Ratio igitur motus in corporibus sibi relictis reperiri non potest. Frustraneum igitur est illorum effugium, qui rationem motus sic reddunt: Omne corpus vel motum esse ab aeterno vel moveri ab alio corpore contiguo et moto. Nam si dicunt corpus propositum motum esse ab aeterno, non apparet cur non potius quieverit ab aeterno, tempus enim, etiam infinitum, causa motus intelligi non potest. Sin dicunt corpus propositum moveri ab alio contiguo et moto; idque iterum ab alio, sine fine; nihilo magis rationem reddiderunt, cur moveatur primum et secundum et tertium vel quotumcunque, quamdiu non reddidere rationem cur moveatur sequens, a quo omnia antecedentia moventur. Ratio enim conclusionis tam di plane reddita non est, quamdiu reddita non est ratio rationis. Praesertim cum hoc loco idem dubium sine fine restet.

Satis igitur, opinor, demonstratum est: determinatam figuram et magnitudinem, motum vero omnino illum in corporibus sibi relictis esse non posse. Jacebo hoc loco, quia altioris indaginis res est, ne causam quidem consistentiae corporum hactenus ab ullo ex ipsa corporum natura redditam esse.

A consistentia autem corporum est 1°. quod corpus grande parvo impellenti non cedit, 2°. quod corpora aut partes corporum sibi invicem cohaerent, ex quo oriuntur qualitates istae tactiles quas vulgo secundas vocant, nempe soliditas, fluiditas; durities, mollities; glabrities, aspritudo; tenacitas, fragilitas; friabilitas, ductilitas, malleabilitas, fusibilitas: 3°. quod corpus durum corpori non cedenti impingens reflectitur. Breviter a consistentia tria sunt, resistentia, cohaerentia, reflexio. Quarum rationem qui ex materiae figura magnitudine et motu mihi reddiderit, eum ego magnum philosophum libens fatebor. Unica prope via apparet, nempe corpus ideo corpori impellenti resistere, et ipsum repercutere, quia ipsius partes in superficie insensibiliter in occursum ejus moveantur. Sed supponamus corpus impingens non ea linea, qua partes corporis impellendi occursura sunt, sed alia, obliqua fortasse incidere; eo ipso statim omnis reactio, resistentia, reflexio cessabit contra experientiam. Sed cohaerentiae ratio a reactione et omnino motu, plane reddi non potest. Nam si chartae partem impello, pars quam impello, cedit, ideo aliqua reactio et motus resistentiae fingi non potest. Sed non cedit sola, sed reliquas partes sibi adhaerentes simul aufert. Sane verum est, et rationem habet, quod olim Democritus, Leucippus, Epicurus, et Lucretius, hodie sectatores eorum Petrus Gassendus et Joh. Chrysost. Magnenus prodiderunt: Omnem in corporibus cohaerentiae causam esse naturaliter figuras quasdam implicatorias, nempe, hamos, uncas, annulos, eminentias breviter, omnes duorum corporum curvitates vel stationes sibi invicem insertas. Sed haec ipsa instrumenta implicatoria solida, et tenacia esse necesse est, ut suum faciant officium et corporum partes contineant. Sed unde ipsis tenacitas? an hamos hamorum supponemus in infinitum? Sed quae dubitandi ratio in primis erit, ea et in secundis et tertiis erit sine fine, ad has difficultates acutissimis istis philosophis nihil aliud superfuit quod responderent quam ut supponerent in ultima corporum resolutione insecabilia quaedam corpuscula, ipsi atomos vocant, quae variis suis figuris varie combinatis varias corporum sensibilium

qualitates efficiant. Sed in istis ultimis corpusculis nulla apparet ratio cohaerentiae et insecabilitatis.

Reddidere aliquam veteres, sed ita ineptam, ut ejus recentiores pudeat. Scilicet partes atomorum ideo cohaerere, quia nullum intercedat vacuum; ex qua sequitur, omnia corpora quae se semel contigerunt, inseparabiliter ad atomorum exemplum cohaerere debere, quia in omni contactu corporis ad corpus nullum intercedit vacuum. Qua perpetua cohaerentia nihil est absurdius, nihil ab experientia magis alienum. Recte igitur in reddenda atomorum ratione confugiemus ad Deum denique, qui ultimis istis rerum fundamentis firmitatem praestet. Et miror neque Gassendum neque alium inter acutissimos hujus seculi philosophos, praeclaram hanc demonstrandae Divinae existentiae occasionem animadvertisse. Apparet enim in extrema corporum resolutione Dei auxilio carere naturam non posse.

Cum autem demonstraverimus corpora determinatam figuram et quantitatem, motum vero illum habere non posse, nisi supposito Ente incorporali, facile apparet illud Ens incorporale pro omnibus esse unicum, ob harmoniam omnium inter se, praesertim cum corpora motum habeant, non singula a suo ente incorporali, sed a se invicem. Cur autem Ens illud incorporale hanc potius quam illam magnitudinem, figuram, motum eligat; ratio reddi non potest, nisi sit intelligens, et ob rerum pulchritudinem, sapiens, ob earum obedientiam ad nutum, potens. Tale igitur Ens incorporale erit Mens totius mundi Rectrix, id est Deus.

PARS II.

MENTIS HUMANAE IMMORTALITAS CONTINUO SORITE DEMONSTRATA.

Mens humana est ens cujus aliqua actio est cogitatio.

Ens cujus aliqua actio est cogitatio, ejus aliqua actio est res immediate sensibilis sine imaginatione partium.

Cogitatio enim est res (1°.) immediate sensibilis, mens quippe se cogitantem sentiens sibi immediata est. (2°.) Cogitatio est res sensibilis sine imaginatione partium. Hoc experienti clarum est. Cogitatio enim est hoc ipsum nescio quod, quod sentimus, quando sentimus nos cogitare. Quando autem verbi gratia sentimus nos cogitasse de Titio, non solum sentimus nos Titii imaginem, quae sane partes habet, habuisse in animo, quia hoc non sufficit ad cogitationem.

Habemus enim imagines in animo etiam quando de iis non cogitamus; sed sentimus praeterea, nos illam Titii imaginem advertisse, in qua advertentiae ipsius imaginatione nullas partes deprehendimus.

Cujus aliqua actio est res immediate sensibilis sine imaginatione partium, ejus aliqua actio est res sine partibus.

Nam quale quid immediate sentitur, tale est. Erroris enim causa est medium, quia si objectum sensus esset causa erroris, semper falso sentiretur; sin subjectum, semper falso sentiret.

Cujus aliqua actio est res sine partibus, ejus aliqua actio non est motus.

Omnis enim motus habet partes per demonstrata Aristotelis et omnium confessionem.

Cujus aliqua actio non est motus, illud non est corpus.

Omnis enim corporis actio est motus. Omnis enim rei actio est essentiae variatio.

Corporis essentia est: esse in spatio, existentiae in spatio variatio est motus.

Omnis igitur corporis actio est motus.

Quicquid non est corpus, non est in spatio.

Corporis enim definitio est esse in spatio.

Quicquid non est in spatio, non est mobile.

Motus enim est mutatio spatii.

Quicquid non est mobile est indissolubile.

Dissolutio enim est motus secundum partem.

Omne indissolubile est incorruptibile.

Corruptio enim est dissolutio intima.

Omne incorruptibile est immortale.

Mors enim est corruptio viventis, seu dissolutio ejus machinae per quam quid apparet se movere.

Igitur

Mens humana est immortalis.

Quod erat demonstrandum.

IV.
EPISTOLA
AD
JACOBUM THOMASIUM.

1 6 6 9.

(Marii Nizolii de veris principiis et vera ratione philosophandi contra Pseudophilosophos Libri IV, inscripti illustrissimo Baroni a Boineburg ab editore G. G. L. L. Francof. 1670. 4. — Leibn. Opp. ed. Dutens Tom. IV. P. 1. p. 7—19.)

I. Tuum illud historiae philosophicae γεῦμα dici non potest, quam omnibus salivam moverit, apparet enim, quantum inter nudas nominum recensiones et profundas illas de sententiarum connexionibus rationes intersit. Et certe quotquot rerum intelligentes de specimine tuo loqui audio (scis me nihil auribus dare) ii unanimiter asseruerant, a nemine uno integrum historiae philosophicae corpus potius exspectari posse. Plerique alii antiquitatis magis quam artis periti, vitas potius quam sententias nobis dederunt. Tu non Philosophorum, sed philosophiae historiam dabis. Narrant in Anglia sub praelo esse Josephi Glanvilli Historiam crescentium inde ab Aristotele scientiarum. Sed illum arbitror fere mathematices, et mechanices, et physices illius curiosioris tantum periodos sequuturum, ita tibi, opinor, praeripuit nihil. Utinam vero ad recentiorem hanc aetatem stylum filumque producas, et admoneas inconsultam juventutem nostram, neque nihil novatoribus tribuenda esse: Bageminus non solus est, cui censor debeare; sunt Patricii, Telesii, Campanellae, Bodini, Nizolii, Fracastorii, Cardani, Galilei, Verulamii, Gassendi, Hobbii, Cartesii, Bassones, Digbaei, Sennerti, Sperlingii, Derodones, Densingii, et multa alia nomina, in quae philosophiae pallium distrahitur. De his admonere orbem, tibi ludus, publico fructus erit.

II. Judicio tuo de Bagemino quis non assentiatur? Nulla in hypothesibus ejus concinnitas, nulla rationum connexio, sententiae vero prorsus monstrosae, certe nisi aliqua in physica speciali observatio utilia habet, rectius silebit. Caeterum mihi videntur sententiae illius de Deo, prima rerum materia parentes esse Scaliger, Sennertus, et Sperlingius (nam et ejus discipulum se profitetur) qui statuunt formas educi, non e potentia materiae passiva, sed e potentia efficientis activa. Quare consequens est, ut Deum potius sua potentia activa, quam ex nihili potentia objectiva, et quasi passiva, creaturas producere credant. Deus igitur, ex eorum sententia, res ex se producet, et ideo prima rerum materia, quodammodo rerum materia erit: sed de eo tu rectius arbitraberis.

III. De Cartesio et Claubergio prorsus tecum sentio, discipulum Magistro clariorem esse. Illud tamen rursus dicere ausim, nullum fere Cartesianis inventis addidisse. Certe Claubergius, Raeus, Spinoza, Clerselier, Heerbord, Tobias Andreae, Henricus Regius, nihil aliud, quam Ducis sui paraphrastas egerunt. Cartesianos vero eos tantum appello, qui Cartesii principia sequuntur, ex quo numero magni illi viri Verulamius, Gassendus, Hobbius, Digbaeus, Cornelius ab Hoghelande etc. prorsus eximi debent, quos vulgus Cartesianis confundit, quum tamen vel Cartesio aequales vel etiam superiores aetate et ingenio fuerint: me fateor nihil minus quam Cartesianum esse. Regulam illam omnibus istis philosophiae restauratoribus communem teneo, nihil explicandum in corporibus, nisi per magnitudinem, figuram et motum. In Cartesio ejus methodi tantum propositum amo: nam quum in rem praesentem ventum est, ab illa severitate prorsus remisit, et ad Hypotheses quasdam miras ex abrupto delapsus est, quod recte etiam deprehendit in eo Vossius in libro de Luce.

IV. Quare dicere non vereor plura me probare in libris Aristotelis, περὶ φυσικῆς ἀκροάσεως, quam in meditationibus Cartesii; tantum abest, ut Cartesianus sim. Imo ausim addere totos illos octo libros, salva philosophia reformata ferri posse. Qua ratione illis ipso facto occurretur,

quae tu Vir clarissime, de Aristotele irreconciliabili nunc disputas. Quae Aristoteles enim de materia, forma, privatione, natura, loco, infinito, tempore, motu ratiocinatur, pleraque certa et demonstrata sunt, hoc uno fere demto, quae de impossibilitate vacui, et motus in vacuo asserit. Mihi enim neque vacuum neque plenum necessarium esse, utroque modo rerum natura explicari posse videtur. Pro vacuo pugnant Gilbertus, Gassendus, Gerickius; pro pleno Cartesius, Digbaeus, Thomas Anglus, Clerk in libro de plenitudine mundi. Pro possibilitate utriusque Thomas Hobbes, et Robertus Boyle: Et fateor, difficulter quidem, posse tamen sine vacuo, rerum rarefactiones explicari. Vidi nuper Johannis Baptistae Du Hamel, eruditi Galli, librum de consensu veteris et novae philosophiae, Parisiis non ita pridem editum, ubi celeberrimorum aliquot veterum et recentiorum hypotheses et exponit eleganter, et saepe acute dijudicat. Is quoque de divortiis circa vacuum non pauca habet. De caetero reliqua pleraque Aristotelis disputata in Lib. VIII. Physices, et tota Metaphysica, Logica, et Ethica nemo fere sanus in dubium vocabit. Formam quoque substantialem, nempe id quo substantia corporis unius a substantia alterius corporis differt, quis non admittat? Materia prima nihil verius. Hoc unum in quaestione est, an quae Aristoteles de materia, forma, et mutatione abstracte disputavit, ea explicanda sint per magnitudinem, figuram et motum. Id Scholastici negant, Reformatores affirmant. Reformatorum sententia mihi non solum verior, sed et Aristoteli magis consentanea videtur: de utroque breviter dicam.

V. Ac primum de Aristotele. Nam Scholasticos ejus sensum mire depravasse cui magis est cognitum, quam tibi, vir clarissime, qui bonam partem hujus generis errorum primus produxisti? Id quum tecum in Metaphysicis Sonerus et Dreierus, in Logicis Viottus, Zabarella, Jungius; in Civilibus Jason Denores, Piccartus, Conringius, Feldenus, Durrius, multique alii fateantur: cur obsecro non eadem aut deteriora, in Physicis suspicabimur, cujus scientiae praesidia a sensu et experientia et Mathesi petenda sunt, quibus instrumentis scholastici Monachalibus claustris cohibiti, fere prorsus caruerunt. Satis igitur probabile est in physicis eos deceptos esse, quid si hoc amplius, nimis id certum esse, ostendam?

VI. Qua in re duplici rursus ratione versari licet. Nam vel ostenditur Philosophiam Reformatam Aristotelicae conciliari posse, et adversam non esse; vel ulterius ostenditur alteram per alteram explicari non solum posse, sed et debere, imo ex Aristotelicis principiis fluere ea ipsa quae a recentioribus tanta pompa jactantur. Priore via possibilitas, posteriore necessitas conciliationis conficitur, quamquam eo ipso si possibilis conciliatio ostenditur, confecta res est. Nam etsi utraque explicatio et scholasticorum et recentiorum esset possibilis, ex duabus tamen possibilibus Hypothesibus semper eligenda est clarior et intelligibilior, qualis haud dubie est hypothesis recentiorum, quae nulla entia incorporalia in mediis corporibus sibi fingit, sed praeter magnitudinem, figuram et motum assumit nihil. Nam possibilitatem conciliationis non possum melius ostendere, quam si petam dari mihi aliquod principium Aristotelis quod non per magnitudinem, figuram, et motum explicari possit.

VII. Materia prima est ipsa massa, in qua nihil aliud quam extensio et ἀντιτυπία, seu impenetrabilitas; extensionem a spatio habet, quod replet; natura ipsa materiae in eo consistit, quod crassum quiddam est, et impenetrabile, et per consequens alio occurrente (dum alterum cedere debet) mobile. Haec jam massa continua mundum replens, dum omnes ejus partes quiescunt, materia prima est, ex qua omnia per motum fiunt, et in quem per quietem resolvuntur, est enim in ea in se spectata nulla diversitas, mera homogeneitas, nisi per motum. Hinc jam omnes Scholasticorum nodi solvuntur. Primum de actu ejus entitativo ante omnem formam, quaerunt. Et respondendum est, esse eam ens ante omnem formam, quum habeat existentiam suam. Illud omne enim existit, quod in aliquo spatio est, quod de massa illa, omni licet motu et discontinuitate carente, negari non potest. Essentia autem materiae, seu ipsa forma corporeitatis consistit in ἀντιτυπίᾳ seu impenetrabilitate; quantitatem quoque habet materia, sed interminatam, ut vocant Averroistae, seu indefinitam, dum enim continua est, in partes secta non est, ergo nec termini in ea actu dantur, (non de intrinsecis enim mundi seu totius massae, sed intrinsecis partium terminis loquor) extensio tamen seu quantitas in ea datur.

VIII. A materia transeamus ad formam, per dispositiones. Hic si formam supponamus nihil aliud esse quam figuram, rursus omnia mire concinent. Nam quum figura sit terminus corporis, ad figuras materiae inducendas, opus erit termino. Ut igitur varii in materia termini oriantur, opus est discontinuitate partium. Eo ipso enim dum discontinuae sunt partes, habet quaelibet terminos separatos (nam continua definit Aristoteles ὧν τὰ ἔσχατα ἕν.) discontinuitas autem in massa illa prius continua duplici modo induci potest,

uno modo, ut tollatur etiam simul contiguitas, quod fit, quando ita divelluntur a se, ut relinquatur vacuum, vel sic, ut maneat contiguitas, quod fit, quando, quae sibi immediata manent, tamen in diversa moventur, v. g. duae sphaerae, quarum una alteram includit, possunt in diversa moveri, ut tamen maneant contiguae, licet desinant esse continuae. Ex his patet siquidem ab initio massa discontinua seu vacuitatibus interrupta creata sit, formas aliquas statim materiae concretas esse; si vero ab initio continua est, necesse esse, ut formae oriantur per motum. (Nam de annihilatione certarum partium ad vacuitates in materia procurandas, quia supra naturam est, non loquor) quia a motu divisio, a divisione termini partium; a terminis partium figurae earum, a figuris formae, ergo a motu formae. Ex quo patet, omnem dispositionem ad formam esse motum, patet quoque solutio vexata de origine formarum controversiae. Cui vir Cl. Herm. Conringius peculiari dissertatione non aliter occurrit, quam concedendo formas ex nihilo oriri, sed meditationes istae compendiosiorem viam monstrant, ut illuc confugere necesse non sit. Dicimus enim formas oriri ex potentia materiae, non aliquid novum producendo, sed tantum vetus tollendo, et per divisionem partium terminos causando, quemadmodum qui columnam facit, nihil aliud facit, quam quod inutilia tollit, residuum caeteris sublatis eo ipso eam figuram nanciscitur, quam vocamus columnam, scilicet omnes figurae seu formae in ipsa massa continentur, indigent tantum determinatione, et actuali ab aliis adhaerentibus separatione. Hac explicatione admissa ludus et jocus sunt quaecunque contra originem formarum ex potentia materiae monentur.

IX. Restat nunc ut ad mutationes veniamus. Mutationes enumerantur vulgo et recte: generatio, corruptio, augmentatio, diminutio, alteratio et mutatio localis seu motus. Has omnes putant recentiores per motum localem solum explicari posse. Et primum de augmentatione et diminutione manifesta res est; mutatio enim quantitatis in toto fit, dum pars locum mutat, et vel accedit vel decedit. Restat ut generationem et corruptionem et alterationem explicemus per motum, et praenoto eandem numero mutationem esse simul generationem et alterationem diversorum, nam exempli causa verum est, putredinem consistere in vermibus illis nudo visu insensibilibus, erit infectio aliqua putrida alteratio hominis, generatio vermis. Similiter Hookius in micrographia ostendit, rubiginem in ferro esse subtilem sylvulam enatam; rubiginescere igitur erit alteratio ferri, generatio parvorum fruticum. Caeterum tam generatio et corruptio, quam alteratio explicari per subtilem partium motum potest, v. g. quum album sit, quod lucem plurimam reflectit, nigrum, quod parvam, erunt ea alba, quorum superficies multa parva specula continet: haec ratio est cur aqua spumescens sit alba, quia innumeris bullulis constat, quot autem bullulae, tot specula: quum ante tota fere aqua non nisi unum speculum fuerit: quemadmodum speculo vitreo fracto quot partes tot specula fiunt: quae etiam causa est, cur vitrum contusum sit albius integro. Similiter igitur aqua per bullulas in distincta velut specula fracta albedo oritur, quae ratio etiam est, cur nix sit albior glacie, et glacies aqua. Falsum enim est nivem esse aquam condensatam, quum sit rarefacta potius unde et levior aqua est et plus spatii occupat. Qua ratione sophisma Anaxagorae de nive nigra diluitur. Et hinc jam patet sola figurae et situs in superficie mutatione colores oriri, idem de luce, calore et omnibus qualitatibus, si locus pateretur, facile explicari posset. Jam vero, si qualitates per solum motum mutantur, eo ipso et substantia mutabitur: mutatis enim omnibus, imo et quibusdam. requisitis, res ipsa tollitur: v. g. si vel lucem vel calorem sustuleris, ignem sustuleris: utrumque motu inhibito effeceris, quae ratio est cur ignis clausus pabulo aëris deficiente moriatur, ut taceam essentiam a qualitatibus suis non nisi relatione ad sensum differre. Uti enim eadem civitas aliam sui faciem offert, si a Autri in media urbe despicias, (in Grund gelegt) quod perinde est, ac si essentiam ipsam intueare; aliter apparet, si extrinsecus accedas, quod perinde est ac si corporis qualitates percipias; et ut ipse civitatis externus aspectus variat, prout a latere orientali vel occidentali, dis-accedis, ita similiter pro varietate organorum variant qualitates. Ex his jam facile patet, omnes mutationes per motum explicari posse. Nec obstat, quod generatio fit in instanti, motus est successivus, nam generatio non est motus, sed finis motus, jam motus finis est in instanti, nam figura aliqua ultimo demum instanti motus producitur seu generatur, uti circulus extremo demum momento circumgyrationis producitur. Ex his etiam patet, cur forma substantialis consistat in indivisibili, nec recipiat majus aut minus. Nam et figura non recipit majus aut minus. Etsi enim circulus sit circulo major, non tamen est circulus altero magis circulus, nam circuli essentia consistit in aequalitate linearum a centro ad circumferentiam ductarum, jam aequitas consistit in indivisibili, nec recipit majus aut minus. Nec vero objici debet figuram aut magnitudinem esse accidentia, neque enim semper sunt accidentia, nam etsi v. g. fluxus sit accidens plumbi, fluit enim non nisi in igne; est tamen de essentia Hydrargyri; jam causa fluxus est haud dubie partium

curvilineitas libera, sive globis, sive cylindris, sive ovalibus, sive aliis sphaeroeideis constet: curvilineitas igitur subtilium partium est accidens plumbi, Hydrargyro vero essentialis. Ratio quia omnia metalla oriuntur ex hydrargyro per salia fixo, salium autem natura consistit in figuris rectilineis ad quietem aptis, hinc si salia in aqua soluta, sponte recongelascere sinamus, alia uti chymicis notum est, tetraedrica, alia hexaedrica, octaedrica etc. nulla rotunda aut curvilinea appareant. Hinc salia sunt causa fixitatis; salia igitur illa acida in terrae visceribus hydrargyro quasi per minima mixta impediunt curvilineorum libertatem interseritione, et constituunt metallum. In igne vero metallum redit ad naturam Hydrargyri, ignis enim se interserens subtilibus partibus, partes curvilineas hydrargyrinas a plani lateris salinis liberat, hinc in igne fluxus. Ita patet vix quicquam in physica Aristotelica esse, quod ex reformata non commode explicetur et illustretur.

X. Et haec quidem exempla mihi de meo inter scribendum succurrerunt, innumera alia ab aliis per totam philosophiam naturalem congeruntur. Hinc ivit Clarissimus Raeus in Clavi philosophiae naturalis, ut Aristotelem recentioribus conciliaret, qui tamen ad manus non fuit. Neque Raeus conciliatorum inter Aristotelem et recentiores primus solusque est, ut quidam ei objiciunt. Princeps Scaliger mihi viam stravisse videtur; nostris temporibus Kenelmus Digbaeus et ejus assecla Thomas Anglus, ille in libro de animae immortalitate, hic in institutionibus peripateticis, idem ex professo egere. Nec abludunt tum Abdias Trew, tum inprimis Erhardus Weigelius. Hactenus posse tantum conciliari ostensum est, superest ut monstremus et debere. Scilicet Aristoteles in 8 phys. Auditus libris, quid aliud tractat quam figuram, magnitudinem, motum, locum, tempus! si ergo corporis in genere natura his absolvitur, corporis in specie natura tali figura, tali magnitudine etc. absolvetur. Et vero ait ipse lib. 3. text. 24. phys. Arist. omnem naturalem scientiam esse circa magnitudinem (cui scilicet connexa figura) motum et tempus. Idem Aristoteles passim ait, Ens mobile physicae subjectum esse, naturalem scientiam agere materia et motu: Ipse quoque omnium quae in sublunaribus fiunt causam facit coelum. Jam coelum, ait, non agere in inferiora nisi per motum. Motus autem non producit nisi motum aut terminos motus, nempe magnitudinem et figuram, et ex his resultantem situm, distantiam etc. Ex his igitur omnia explicari debent in naturalibus. Idem Aristoteles passim ait, (in lib. 1. de phys. aud. text. 69.) eam esse rationem aeris ad statuae figuram, quae materiae ad formam. Caeterum figuram esse substantiam, aut potius spatium esse substantiam, figuram esse quiddam substantiale, probaveram, quia omnis scientia sit de substantia, Geometria autem quin scientia sit negari non possit. Fuere qui responderent citius locum afferri a se posse, quo Arist. Geometriam esse scientiam negaverit, quam ego producturus sim, quo dixerit. Ego vero non dubito, esse aliqua loca Aristotelis, quae huc trahi torquerive possint, sed tamen ea infinitis aliis ejus confessionibus obrui puto. Quid enim omnibus Analyticorum libris Geometrarum exemplis frequentius, ut videatur demonstrationes Geometricas velut mensuram caeterarum esse voluisse. Jam inepte ignobilius nobilioris mensura constituitur. Et vero tam abjecte de Mathematicis scholastici primum senserunt, omni conatu id agentes, ut ex perfectarum scientiarum numero Mathesin excluderent. Contra manifestum textum Aritotelis in libro 1. posteriorum, text. 31. Figurarum maxime scientialis est prima, quia Mathematicae ea faciunt demonstrationem, ut Arithmetica, Geometria et Perspectiva et omnes quae ipsius propter quid demonstrationem faciunt. Utuntur eo praecipue argumento, quod non semper ex causis demonstret. Sed si rem cogitemus curatius, apparebit demonstrare eam ex causis. Demonstrat enim figuram ex motu, v. g. ex motu puncti oritur linea, ex motu lineae superficies, ex motu superficiei corpus. Ex motu rectae super recta oritur rectilineum. Ex motu rectae circa punctum immotum oritur circulus, etc. Constructiones figurarum sunt motus; jam ex constructionibus affectiones de figuris demonstrantur. Ergo ex motu, et per consequens a priori, et ex causa. Geometria igitur vera scientia est. Ergo non invito Aristotele objectum ejus, nempe spatium, substantia erit. Neque vero adeo absurdum est, Geometriam agere de forma substantiali corporum. Ecce enim locum Aristotelis 13. Met. text. 3. quo expresse dicit, Geometras abstrahere a materia, fine et efficiente; quo supposito sequitur, ut vel de forma substantiali vel accidentali agat. Sed non agit de accidentali, quia forma accidentalis in sua definitione reali involvit subjectum in quo est, seu materiam, quum tamen Aristoteles dicat Geometriam a materia abstrahere: Ergo Geometria agit de forma substantiali. Hinc mihi haec scribenti sub manibus nascitur pulchra quaedam scientiarum harmonia, nempe re exacte perpensa: Theologia seu Metaphysica agit de rerum efficiente, nempe mente, Philosophia moralis (seu practica vel civilis, nam, ut a te didici, una eademque scientia est) agit de rerum fine, nempe

bono; Mathesis (puram intelligo, nam reliqua physicae pars est) agit de rerum forma, nempe figura: Physica agit de rerum materia, et ex eis cum caeteris causis complexu resultante unica affectione, nempe motu. Mens enim ut bonum, gratamque sibi rerum figuram et statum obtineat, materiae motum praebet. Nam Materia per se motus expers est. Motus omnis principium, Mens, quod et Aristoteli recte visum.

XI. Nam, ut huc quoque veniam, nullibi Aristoteles formas quasdam substantiales ejusmodi sibi imaginatus videtur, quae per se sint causa motus in corporibus, quemadmodum Scholastici capiunt, definit quidem naturam, principium motus et quietis, et formam materiamque vocat naturam, formam autem magis quam materiam, sed hinc quod scholastici volunt non sequitur, formam esse quoddam incorporale, brutum tamen in corporibus, quod ipsum sua sponte sine externae rei consensu motum corpori, verbi gratia lapidi, deorsum praebeat. Nam forma quidem est causa et principium motus, sed non primum. Neque enim corpus movetur, nisi ab extrinseco moveatur, ut recte Aristoteles non dicit tantum, sed et demonstrat, verbi gratia, sit globus in plano, is si semel quiescat per se in aeternum non movebitur, nisi accedente extrinseco impulsore, verbi gratia, alio corpore. Eo jam allabente, alterum corpus principium motus impressi est, figura vero, nempe globositas, est principium motus suscepti, nam si globositas abfuisset, forte pro re nata, corpus alteri corpori tam facile non cessisset. Ex hoc patet conceptum formae scholasticum ex definitione naturae Aristotelica non sequi. Forma igitur est principium motus in suo corpore et corpus ipsum est principium motus in alio corpore fateor: sed primum principium motus est prima et realiter a materia abstracta forma, (quae simul est efficiens) nempe Mens. Hinc in solas mentes cadit libertas et spontaneum. Absurdum ergo non est, unicam ex formis substantialibus mentem principium motus primum dici, caeteras a mente motum habere. Et hoc argumento adscendit ad primum motorem. Huic objectioni dupliciter respondes; primum, hoc argumentum nihil posse apud Epicurum, qui suis atomis largiatur per se motum deorsum. Fateor apud eum nihil posse hoc argumentum, nisi ei praedemonstretur, hoc ipsum absurdum et impossibile esse, quod corpus habeat motum a seipso. Quod et jam tum Cicero, ni fallor, in libris de natura Deorum facit, eleganter Epicurum irridens, quod quiddam sine causa et ratione in suis hypothesibus hoc modo introducat. Nam in rerum natura nihil esse deorsum, sed quoad nos, neque igitur causam, cur corpus aliquod in hanc potius, quam illam plagam moveatur. Epicuro igitur, neganti quicquid movetur ab alio extra se moveri, facile occuremus et laborantem existentiae Dei certitudinem vindicabimus. Alterum objicies: Aristotelem videri non tam ex hoc axiomate, quod omnis motus principium sit extra corpus motum, quam ex alio: non dari processum in infinitum, ratiocinatum esse, at vero quaeso, Vir Amplissime, te hujus controversiae judicem appello petoque, attente cogites, an non utriusque conjunctione opus sit. Nam nisi admittatur quod movetur ab extraneo moveri, plane ad nullum processum devenie-mus, nedum ad infinitum; nam adversarius statim ab initio resistet, et datum aliquod corpus sibi ipsi ad motum producendum per formam suam substantialem sufficere, nullo igitur motore nedum primo, opus esse, respondebit. Concidet ergo scala illa primo statim gradu et velut fundamento subtracto. Deinde etiam Epicurus processum in infinitum admittebat, ergo non tam quid Epicurus admittat, vel non admittat, quam quid demonstrari certo possit, videndum est. Aristotelicam philosophiam reformatae ipsius philosophiae inevitabilis eventus breviter attingenda est [1]). Scilicet quod Theologis, idem et Philosophis agendum est. Scripturam sacram sancti Patres optimis interpretationibus illustrarunt, mox Monachi obscurarunt superstitionibus: Orta luce animorum Theologia reformata triplex est, alia haeretica, quae ipsas scripturas rejicit, ut fanaticorum; alia schismatica, quae priscos patres ecclesiae doctores cum scriptura sacra, et primitiva ecclesia conciliat, ut Evangelicorum [2]) similiter Aristotelem Patres Graeci illustrarunt, scholastici obscurarunt magis. Orta luce, philosophia reformata triplex est: alia stolida qualis Paracelsi, Helmontii, aliorumque, Aristotelem prorsus rejicientium: alia audax, quae exigua veterum cura immo contemptu eorum palam habito, bonas etiam meditationes suas suspectas reddunt, talis Cartesii; alia vera, quibus Aristoteles, vir magnus, et in plerisque verus cognoscitur.

XII. Nunc conciliata jam cum Aristotele philosophia reformata, restat ipsius per se veritas ostendatur, prorsus quemadmodum religio Christiana, tum ex ratione et historia, tum ex scri-

---

[1]) Observ. Thomasii. Sic scriptum erat a librario, sed hiat alias haec periodus: nec lectionem ejus constituo.

[2]) Observ. Thomasii. Etiam hic aliquid deest, datur enim pro triplici theologia tantum duplex. Scripsisse puto: alia schismatica, alia vera, quae priscos Patres etc. Confer sequentem.

ptura sacra probari potest. Probandum autem est, nulla dari Entia in mundo, praeter Mentem, Spatium, Materiam, Motum. Mentem voco ens cogitans. Spatium est Ens primo extensum, seu corpus mathematicum, quod scilicet nihil aliud continet quam tres dimensiones, estque locus ille universalis omnium rerum. Materia est ens secundo-extensum, seu quod praeter extensionem vel corpus mathematicum habet et corpus physicum, id est, resistentiam, crassitiem, spatii-repletivitatem, impenetrabilitatem, quae consistit in eo, ut alio tali ente adveniente cedere, aut quiescere alterutrum cogatur; a qua igitur impenetrabilitatis natura fluit motus. Materia igitur est ens, quod est in spatio, seu ens spatio coextensum. Motus est mutatio spatii. Figura autem, magnitudo, situs, numerus etc. non sunt entia a spatio, materia, et motu realiter distincta, sed tantum habitudines inter spatium, materiam, motum et earum partes a mente superveniente factae. Figuram autem definio terminum extensi: Magnitudinem numerum partium in extenso. Numerum definio unum, et unum, et unum etc. seu unitates. Situs ad figuram reducitur, est enim plurium configuratio. Tempus nihil aliud est quam magnitudo motus. Quumque omnis magnitudo sit numerus partium, quid mirum Aristotelem definisse Tempus numerum motus! Sed ita termini tantum explicati sunt, expositumque, quo sensu iis utamur, nihil probatum. Nunc ostendendum est nullis aliis rebus ad explicanda mundi phaenomena et causas eorum possibiles reddendas opus esse, imo nec alias res esse posse: quanquam si ostendimus aliis rebus praeter mentem, materiam, spatium et motum opus non esse, eo ipso satis confectum erit, Hypotheses recentiorum, qui his solis rebus ad reddenda phaenomena utuntur, esse meliores. Vitium enim Hypotheseos est, non necessaria assumere. Jam vero explicari omnes totius Mundi res ex his solis posse, satis lectio recentiorum philosophorum docet, et ex his patet, quae paulo ante posui, quum possibilitatem conciliationis Aristotelicae ostenderem. Deinde quoque notandum est, eas Hypotheses esse meliores, quae sunt clariores. Jam vero mens humana nihil aliud imaginari potest, quam mentem (quando scilicet cogitat seipsam) spatium, materiam, motum, et quae ex his inter se comparatis resultant, quidquid superaddideris, verba sunt tantum, quae nominari, et inter se varie combinari possunt, explicari et intelligi non possunt. Quis enim imaginari sibi potest Ens quod neque extensionis neque cogitationis sit particeps? quid opus igitur animas brutorum, plantarumque incorporeas formas elementorum metallorumque substantiales, extensionis expertes ponere? Rectius igitur Campanella in libro de sensu rerum et magia, et Marcus Marci in ideis operatricibus, falso quidem, congruenter tamen suis hypothesibus formis istis substantialibus rerum inanimatarum, extensione carentibus, sensum, scientiam, imaginationem, voluntatem tribuere. Nec abludit Agrippae occulta philosophia, Angelum cuilibet rei ascribentis quasi obstetricatorem, nec quae Scaliger de plasticis ejusque sapientia disserit. Ita reditur ad tot demculos, quot formas substantiales, et Gentilem prope polytheismum. Et certe omnes, qui de substantiis illis incorporalibus corporum loquuntur, non possunt mentem suam explicare nisi translatione a Mentibus sumta. Hinc enim attributus illis appetitus vel instinctus ille naturalis, ex quo et sequitur cognitio naturalis, hinc illud axioma: Natura nihil facit frustra, omnis res fugit sui destructionem: similia similibus gaudent; materia appetit formam nobiliorem, et alia id genus. Quum tamen revera in natura nulla sit sapientia, nullus appetitus, ordo vero pulcher ex eo oriatur, quia est horologium Dei. Ex his patet, hypotheses philosophiae reformatae hypothesibus scholasticis eo praevalere, quod non superfluae, contra tamen clarae sunt.

XIII. Restat, ut subtiliore ratiocinio probetur, ne posse quidem alia Entia assumi in explicanda corporum natura, quam quae dixi: Id sic fiet: Corpus omnes id vocant, quod aliqua sensibili qualitate praeditum est, porro ex sensibilibus qualitatibus pleraeque corpori adimi possunt, ita ut tamen maneat corpus. Nam etsi aliquod corpus omni colore, odore, sapore careat, tamen dicitur esse Corpus. Concedunt enim aërem v. g. esse corpus, etsi sit perspicuus, et careat saepe colore, odore, sapore; similiter aër est corpus, etiam quando caret sono. Rejiciantur igitur qualitates visibiles, audibiles, gustabiles, odorabiles, tanquam minime constitutivae naturae corporis. Ad tactiles ergo res omnis rediit. Et quidem primae illae: calor, humiditas, siccitas, frigus, singulae abesse possunt, calor potest abesse ab aqua, humiditas a terra, siccitas ab aëre, frigus ab igne, et tamen quodlibet horum potest esse corpus. Caeterae qualitates tactiles v.g. glabrities, levitas, tenacitas etc. non esse naturae corporis constitutivae etiam vulgo agnoscuntur, eo ipso quia secundae appellantur, et ita ortae ex aliis quae potius sunt constitutivae, et praeterea, quia nulla earum est, quae non abesse possit a corpore. Restat igitur indaganda aliqua qualitas sensibilis, quae omnibus et solis corporibus competat, et ex qua velut signo homines corpus a non corpore dignoscant. Ea nimirum est Crassities seu ἀντιτυπία cum extensione sumta. Quidquid nimirum

homines sentiunt extensum esse, seu vident tantum (quamquam revera semper sit corpus et habeat ἀντιτυπίαν, licet nobis insensibilem, perceptibilem tamen intellectu:) id non statim vocant corpus, putant enim nonnunquam esse meram speciem et φάντασμα. Quicquid vero non vident tantum, sed et tangunt, id est, in quo ἀντιτυπίαν reperiunt, id vocant corpus, quidquid vero ἀντιτυπίᾳ caret, id negant esse corpus. In duobus igitur homines tam sapientes quam Idiotae naturam corporis collocant in extensione et ἀντιτυπίᾳ simul sumtis, illam sumimus a visu, hanc a tactu, unde ex conjunctione utriusque sensus certificari de rebus solent, quod non sint phantasmata. Extensum autem esse nihil aliud est, quam esse in spatio; ἀντιτυπία est, non posse cum alio esse in eodem spatio, sed alterutrum moveri aut quiescere debere. Ex his patet, naturam Corporis constitui per Extensionem et Antitypiam, cumque nihil sit in rebus sine causa, nihil etiam poni debet in corporibus, cujus causa reddi non possit ex primis eorum constitutivis. Jam causa ex iis reddi non potest, nisi per eorum definitiones. Nihil igitur ponendum est in corporibus, quod ex definitione Extensionis et Antitypiae non fluat. Fluunt autem tantum ex ea, magnitudo, figura, situs, numerus, mobilitas etc. (Motus ipse ex iis non fluit, unde nec corpora motum habent nisi ab incorporeis). Ex his jam patet, omnium qualitatum et mutationum explicationem ex magnitudine, figura, motu etc. sumendam. Et calorem, colorem, etc. non nisi subtiles motus et figuras esse. Quod superest illud confirmare ausim: Atheis, Socinianis, Scepticis, Naturalistis, nunquam nisi constituta hac philosophia solide occursum iri: quam ego profecto munus Dei credo senectae mundi datum velut unicam tabulam, qua se viri pii ac prudentes in incumbentis nunc Atheismi naufragio servaturi sunt. Ego quantulacunque mihi fuit ab exiguo tempore virorum doctorum notitia, horresco tamen quoties cogito, in quot simul et ingeniosos, et prorsus atheos inciderim. Et volitat per manus hominum Bodini liber ineditus, (atque utinam, ut cum Naudaeo opto, nunquam edendus), grandis certe, quem ille vocat, arcana sublimium, in quo professus hostis est religionis Christianae. Vanini dialogi ludus sunt si comparentur. Legi non perfunctorie, et Deo ex animo gratias ago, quod iis me praesidiis philosophiae, (in qua ingratus sim, si tibi multa debere negem) instruxerit, quibus ejus tela nullo negotio repuli. Laudandus est Cl. Spizelii labor, quem ille eradicando atheismo nunc rursus impendit. Epistolam ejus de hoc argumento his nundinis emissam videris opinor. Accipe, quid mihi cum eo contigerit. Conscripseram aliquando per otium, tumultuaria tamen opera in diversorio duas circiter plagulas, quibus de demonstranda, solito accuratius, immortalitate animae, et existentia Dei agebam. Has communicaveram amico. Per hunc venere in manus pl. Reverendi Speneri, Pastoris Francofurtensium auctore tamen merito dissimulato. Spenerus Spizelio transmittit; Spizelius suae illi epistolae ad Ant. Reiserum, de eradicando atheismo nuperae fini adjecit, sub titulo: Confessio naturae contra Atheistas. Sed ego non improbo, verum doleo, quod mendosissime illud schedion impressum est. Inprimis sorites ille quo demonstrare conatus sum immortalitatem animae, mutatis linearum initialibus, mire perturbatus est. Spizelius fatetur, se auctorem ignorare. De ipsa demonstrandi ratione judicium exspecto. Neque vero laudem, sed examen peto, quando religionis interest, non perfunctorie defendi, quanquam interim in utraque longe altius penetrasse mihi videor. Neque enim quae de perpetua creatione in motu, et intima entis cogitantis seu mentis natura ab eo tempore erui, illis leguntur. Scripseram aliquando tibi de Societate, quam quidam Germani moliuntur. Ita esse docebit scheda germanica aliquot plagularum, titulo Collegii Philadelphici a Goezio bibliopola edita, sed mihi suave somnium videtur, velut societas roseae crucis. Schurzfleischius ille, qui apud vos est, mirum, quantum in Parnasso seditionem excitaverit. Pervellem scire, quid magni viri apud vos de hoc specimine sentiant, a quibus ille provehi sperat. Boeclerus illi ab aula minitatur. Itinerarii politici, quod nunc prodit, auctor est haud dubie Burgoldensis ille commentator in instrumentum pacis. Obstupesco audaciam viri.

XIV. Quod superest, Vir clarissime, ideo de toto hoc negotio fusius ad Te disserui, quod judicem harum rerum et scientiorem et aequiorem nullum haberem. Quando et omnes veterum recessus lustrasti, et recentiorum inventa, quando merentur, non aspernaris; atque illos illustrare, hos examinare, unus omnium optime potes. Recte enim judicas, etsi novae sententiae proferantur, earumque veritas evidentissime ostendatur, a receptis tamen publice vocibus vix unquam esse abeundum, quod si fecissent Scholastici, non laboraremus. Vale, patriae decus, et tua praeclare cogitata non absolve, (pleraque enim et coepta simul et perfecta sunt rara ingenii felicitate) sed ede: Dabam d. $\frac{20}{30}$ April. 1669.

V.

DISSERTATIO

DE

STILO PHILOSOPHICO NIZOLII.

1 6 7 0.

(Marii Nizolii de veris princ. etc. Libri IV. Francof. 1670. — Leibn. Opp. ed Dutens Tom. IV. P. I. p. 36 — 63.)

I. De alienorum operum editione. II. De Nizolii Concordantiis Ciceronianis. III. De Nizolii studiis philosophicis. IV. Logica philosophandi principia complectitur. V. De Nizolii dicendi ratione. VI. De philosophica dictione. VII. De perspicuitate stili philosophici. VIII. De terminis technicis et popularibus. IX. De ὀνοματοποιίᾳ. X. De usu terminorum technicorum. XI. De differentia cognitionis philosophicae a vulgari. XII. De philosophia lingua viva et vulgari tradenda. XIII. Lingua Germanica non solum aptissima est, ut ea philosophia doceamus, sed et egregie facit, ad scholasticae philosophiae naevos detegendos. XIV. De aliis linguis, quibus commode tradi philosophia potest. XV. Quibus in disciplinis terminis technicis prae ceteris est locus? XVI. De Philosophia acroamatica et exoterica. XVII. Inter accurate philosophandum concretis tantum utendum est, non abstractis. XVIII. De troporum in stilo philosophico usu. XIX. De claritate orationis, quae e circumstantiis sumitur. XX. Aegyptii atque recentiores Sinenses philosophiam suam aenigmatibus occultant. XXI. De utilitate perspicuitatis stili philosophici. XXII. Veterum philosophorum systemata non rejicienda, sed emendanda. XXIII. De iis, qui contra philosophiam scholasticam disputarunt. XXIV. De inventis nov-antiquis. XXV. Maledicentia in scriptis philosophicis vitanda. XXVI. Scholasticorum errores Aristoteli non tribuendi. XXVII. De excusandis scholasticorum philosophorum erroribus. XXVIII. De secta Nominalium. XXIX. De usu metaphysicae. XXX. De scriptis Aristotelis. XXXI. De universalium natura. XXXII. Propositiones universales sunt fundamenta demonstrationis philosophicae.

I. Aliorum Scripta edere, Lector benevole, humile est et contemtum, et ingenii per se pauperis nota esse videtur illi, quorum sublimis aut mens aut opinio supra caeteros se attollit, quibus mos est, sua nomina alienis chartis allinentes herbae parietariae convicio irridere, quod jam olim in Trajanum, ubique per omnes vetustatis ruinas sui nominis prodigum, jactaverat magnus Constantinus. Sed me quidem haec parum movent, partim clarorum virorum exemplo munitum, partim parum dolentem si apud illos Censores ingeniosus non habear, cui sufficit, studii saltem ac voluntatis laudem retulisse. Exempla egregiorum hominum diu conquirere, copia non petitur, cum ipsi Theologi censeant Scriptores Sanctos priorum memorias et perfecisse et edidisse, et continuasse Josuam Mosis, Samuelem Josuae, Esdram Samuelis et Prophetarum. Apud Graecos magna ingenuitatis laude celebratur Xenophon, quod Thucydidis Historias in lucem misit, cum vel supprimere, ut solus laudaretur, vel sibi vindicare posset; dispari Aristotelis famae, qui magna apud nonnullos invidia laborat suppressorum philosophiae vetustioris monumentorum. Apud Romanos de vita veteribus reddenda mirifice sollicitus fuit Hadrianus Imperator, qui non tantum scripta diligenter conquirebat, sed et ex statuis, ex picturis vetustate vitium facientibus effigies eorum

pervestigabat, repertisque, ne aliqua temporis injuria rursus perirent, sua imagine praetermissa nummos signabat, affectui majestatem posthabens. Unde quae nunc passim habentur numismata, Cimonis, Miltiadis, Platonis, Aristotelis, aliorumque veterum heroum aut sapientum imaginibus percussa, Hadriano accepta referri debere, constans apud eruditos opinio invaluit. Sed vetera mittamus: superiore ac nostro seculo sepulta refodere inter potissimas eruditorum curas fuit. Nec circa veteres tantum, in quos prae ceteris incubuere, qui nunc vulgo Critici vocantur, laboratum est, sed et medii aevi scriptoribus cura impensa est, ex quibus theologos magnam partem in Bibliothecam Patrum conjecit Margarinus de la Bigne, multis supplementis auctus augendusque ex editis a Canisio, Gretsero, Sirmondo, Petavio, Cambefisio, Allatio, Chiffletio, Possino, Holstenio, Marca, Labbeo, (tum alibi, tum in Byzantinis) Cossartio, Dacherio, Surio, Rosweido, Bollando, Henschenio, Papebrockio, compilatoribus Bibliothecae Patrum Asceticae, Benedictinorum cura editae, aliisque multis. De Jureconsultis medii aevi optime meritus est, quisquis est, cujus cura tot eorum monumenta in Oceano juris, inque natis ex eo Tractatuum voluminibus, vel ut postea appellata sunt, Tractatu Tractatuum, junctim edita visuntur, quae alioqui fortasse tenues in auras dudum abiissent. Dolendum est profecto, qui tot aliis de luce nominis prospexit, seipsum tacuisse; quum tamen grandi illo in tot volumina confecto indice nihil cogitari possit laboriosius, nihil desiderari accuratius. Idem de collectis Repetentium voluminibus dicendum est. Speramus vero, cura viri eruditissimi Erici Mauritii quamprimum edendam digestionem juris feudalis Antonii de Prato veteri, opus illustre imperatorio jussu, delegatione universitatis studii Bononiensis confectum, sed quod nescio quomodo hactenus ex manibus hominum evanuit, ac Goldasto et Rigaltio diu ac frustra quaesitum, alium non indignum editorem invenit. In colligendis medii aevi historiis Schardii, Pistorii, Reuberi, Urstisii, Meibomii, Reineccii, Lindenbrogiorum, Goldasti, Freheri, Bongarsii, Tilii, Pithaeorum, Puteanorum, Theodori et Dionysii junioris Gothofredorum, Chesniorum, Sammarthanorum, Seldeni, Spelmanni, Dugdali, Resserii, et quos exspectamus Lambecii et Gamansii, curae, nullo temporum lapsu deterentur. Sed erunt fortasse qui sic occurrent, aliud esse veterum immortalia scripta, aut etiam medii aevi monumenta servare, aliud recentiorum nugas per orbem jam tum satis talibus oneratum dispergere. Hi profecto nimis contemtim de hujus aevi ingeniis sentiunt, nec cogitant, fore tempus cui et nostra vetera erunt. Quis ignorat quandam curam Rudolphus Imperator colligendis ac recensendis Theophrasti Paracelsi operibus impenderit! Tychonis Brahei reliquias laudabili instituto olim Joh. Keplerus, nunc Albertus Curtius publico dedere. Trithemii Historica plurima Freherus, Ascetica Busaeus luci exposuere, Hubertum Thomam Leodium idem Freherus, Husситica quaedam Otto Brunfelsius atque Cochlaeus, Grotiana Edmundus Mercerius, et Isaacus Gruterus, et Graswinkelius, clarissimi utique viri; Isaaci Vossii cura Herberti nonnulla, ejusdem Gruteri vero opera Verulamii plurima ad nos pervenere. Fratris Pauli Servitae Historia Marco Antonio de Dominis debetur, Edmundo Albertino in partu latini de Eucharistia operis mortuo, Blondellus et Gronovius, idem Blondellus Dallaei quibusdam, Montacutius Jacobi Angliae regis, et Laudi, opusculis, tum Episcopio Curcellaeus ac Poelenburgius, Piernucius Scioppio, Cassandro Cordesius, aliis alii, obstetricati sunt: reliquiae qualescunque Scaligeri, Perronii, Thuani, et quod speramus, aliorum plurium, a Fratribus Puteanis exceptae, per Isaacum Vossium publico nunc communicantur. Epistolas Casauboni collegere Gronovius et Graevius, Salmasii Clementius, Grotii idem Isaacus Gruterus, variorum Goldastus philologicas. Melanchthonis Peucerus, Pezelius, Manlius, Camerarii, Manutii nuper Thomasius, Schlusselburgius, Heinsius, Bertius, Gabbema et Poelenburgius Theologicas edidere. Infinitum est omnes referre. Erunt tamen rursum haud dubie, qui sic excipiant: inedita edere fortasse excusari posse, at cramben semel coctam rursus apponere projectae prorsus operae videri, nec inanis tantum sumtus, sed et in publicum damnosum esse. Hic postremus aries est, quem illi movent, hunc si repulerimus vindicata satis alieni laboris editio erit. Sed nihil magno molimine opus, quando negari non potest, impressa vel distracta ob famam, vel suppressa ob odium contemtumve ejusdem saepe cum manuscriptis raritatis esse. Nizolii certe opus, quod nunc affero, non vereor, ne quisquam jam tum in multorum manibus esse dicat. Quod non tam ex me habeo, ne a mea rei librariae notitia, quae exigua est, alios aestimare videar, quam ex viris doctissimis et in hoc studiorum genere versatissimis, qui aut nunquam, aut rarissime conspectum sibi fassi

sunt. Quare non puto prudentem quenquam mihi vitio versurum quod in caeteris passim probatur. Certe eruditi illi Angli qui tot aliorum labores in scripturam sacram uno Bibliorum Criticorum volumine complexi sunt, omnium plausum tulere. Johannes Fichardus JCtus Francofurtensis diligentem operam dabat, ut Jurisconsultos egregios per Italiam Hispaniamque editos, et in Germania inventu raros iteratae editioni maturaret. Laurentius Strausius, Medicus, editione theatri Sympathetici variorumque opusculis in eo junctim recusis, operae certe pretium fecit. Quis Regiam typographiam Parisiensem, Elzevirios, Blaviosque non laudat, qui suis vel notitiis, historiis, memoriisve, vel Rebuspublicis vel Atlantibus tot praeclara monumenta per Bibliothecas alioquin latitantia in luce posuit. Idem editoribus velleris aurei, artis auriferae, et theatri Chemici scopus fuit, quod illi cum voluptate sentiunt, qui his studiis dediti, conquirendi et multa velut arcana describendi, quae nunc facile parabilia sunt, molestissimo onere levantur. Jano Grutero antiquitatis et historiae studiosi aeternas gratias deberent, etiam si nihil de suo, sed collectos tantum aliorum utilissimos labores tum in face Critica, tum in Chronico Chronicorum politico (ubi nomen suum sub Gualteri Belgae nomine non necessaria verecundia occuluit) incudi reddidisset. Sed a collectione variorum in unum ad certa certorumve auctorum scripta recensita veniamus. Blondum Vorburgius recudi fecit, Onuphrium de Comitiis olim Hortlederus edidit, et mox cum supplemento edet πολυμαθέστατος Lambecius; Grotius

-- Quod Cassandri veracia Scripta teruntur

Cordesio grates haec bona propter agit.

Erasmica recensere, emaculare, et defendere, ut et audio, destinaverat Mallincrotius. Allatiana et Niciana typis Batavis emisit Nihusius; Galilaei institutiones Gassendus, ejusdem circinum Proportionalem Berneggerus, ambo viri non in mathesi magis, quam omni eruditione versatissimi, alter in Germania, alter in Gallia, renovata veste induerunt. Berneggeri hujus synopsin Lipsianae politicae doctissimus Joh. Andreas Bosius, Clapmarium Schookius, Wowerium a plagii impacto crimine vindicatum solidissimae vir eruditionis Jacobus Thomasius, Seldeni jus naturae et Gentium (et Aeneae Sylvii Fridericum III. propediem editurus) Boeclerus suo merito longe celeberrimus, denuo produxere; nec Franciscus Mercurius Helmontius ingenio suo indignum duxit Octavium Pisani notiorem orbi reddere, tum Jacobus quoque Matenius Broweri Trevirenses Annales edidit, et sub prelo sunt. Inprimis vero apud Germanos Hermannus Conringius, apud Gallos Gabriel Naudaeus, ambo varie uberrimeque docti, aliorum foetus prope expositos et desertos suscepere: Naudaeus Niphi, Cardani, Campanellae; Conringius ipsius Naudaei et Scioppii, Machiavelli, Hopperi, Claramontii, Starovolscii, Cassandri, Wicelii, Viotti. His tot tantisque correis vituperium notamque incurrere, equidem parum formidandum judico.

II. Nunc, ad autorem ipsum, quem edemus, argumentumque quod tractat, accedendum est. Marium Nizolium Brixellensem orbis eruditus pene penitus credo ignoraret, nisi grammaticis laboribus inclaruisset, quibus merito illud Virgilianum de apibus accomodes: In tenui labor, at tenuis non gloria.

Et ita saepe factum est, ut viri docti iis maxime scriptis famam impetrent, a quibus minime sperabant. Quis enim dubitet Nizolium majorem sibi celebritatem a Philosophiae Reformatione quam animo complectebatur, quam illis, ut sic dicam, Concordantiis Ciceronianis pollicitum? et tamen Index Ciceronianus durat duraturusque est quamdiu ipse Cicero, Philosophia Nizoliana prope in ipso partu suffocationem aegre effugit. Non ignoro Majoragii et Grifoli, occasione litis quam Ciceronis officiis Calcagninus moverat, indignationem; tum Henricum Stephanum in Nizolio didascalo sive monitore Ciceronianorum Nizolianorum dialogo, ut inscripsit, minus aequum Nizolio fuisse, et a Criticis eum passim alto supercilio despici; sed Henricum Stephanum peculiaris causa impulit quod parentis sui Roberti Stephani Thesauro latinae linguae multum Nizoliano opere derogari cerneret: caeteri viri licet doctissimi, qui Nizolium fastidiunt, si in Nizoliana tempora incidissent, credo aliter sentirent. Aliud profecto judicavit Caelius Secundus Curio, vir longe praestantissimus, qui conscio ac consentiente ipso Nizolio indicis Ciceroniani locupletationem ac recensionem in se suscepit; eodem incubuere Basilius Zanchius, Marcellus Squarcialupus, et Jac. Cellarius Augustanus.

III. Ad philosophicas autem meditationes hac ipsa diligenti Ciceronis lectione venisse videtur. Quum enim videret subtilissimum quemque Philosophiae locum de Diis, de fato et divinatione, de rerum finibus, de differendi, inveniendi ac judicandi arte, de omni parte Reipublicae ac vitae humanae officiis a Cicerone accurate simul, et latine, et luculenter, ne dicam eleganter et ubertim, tractatum esse: Nizolius noster vir acutus et bonus, non solum despicere merito coepit infelicem

Scholasticorum tractandi rationem, tenebrarum affatim, parum rerum utilium, elegantiae vero omnino nihil continentem; sed et impetum sumsit mentem hanc suam, et ad eam confirmandam meditata, hoc aevo restaurandis artibus fatali, publice exponendi. Et passim quidem in scriptis suis excidere sibi talia passus est, et ut credi par est, oretenus data occasione monuit; sed ad justum opus occupandum hac demum, quae sequitur occasione pertractus videtur. Scripserat Caelius Calcagninus disputationes sive disquisitiones Basileae apud Frobenium anno superioris seculi 44. editas, quibus paulo liberius Officia Ciceronis reprehendebat. Continuo id male habuit doctos viros Tullii cultores, ex quibus Jac. Grypholus Romae apud Aldum, Marcus Antonius Majoragius Mediolani Ciceronis defensionem edidere. At superveniens Nizolius, Caelium quod Ciceronem impugnaret, Majoragium, quod Ciceronem et Aristotelem simul defendi posse putaret, perstringendos sumsit. Scriptum illud Nizolii tum separatim impressum est, tum titulo defensionum aliquot Ciceronis locorum, editioni Ciceronis officiorum Venetae anno 1554. in folio subnexum est. Ciceronis etiam partes egere Joach. Camerarius et Hier. Wolfius, quemadmodum et nuperrime Clarissimus Sam. Rachelius, illustrandae morali Ciceronis Philosophiae laudabili conatu incubuit. Verum Majoragius carpi se a Nizolio non lacessito indignius quam pro injuriae parvitate tulit, stimulante eum Octaviano Ferrario peripatetico celebri et erudito, qui Nizolii aemulus erat, et libertatem illam de Aristotele judicandi concoquere non poterat. Hujus subsidiis fretus Majoragius scripsit acerbe satis libros duos Reprehensionum contra Marium Nizolium, quibus accessit recusatio omnium eorum, quae Nizolius in decisionibus ejusdem Majoragii tanquam male posita annotavit. Ita coactus tandem Nizolius re tota ad accuratius examen revocata edidit hos libros IV. de veris principiis et vera ratione philosophandi, quibus sententias suas a Ferrario et Majoragio reprehensas, antequam satis editae essent, non publicat tantum, sed et data opera justoque scripto defendit. Majoragii autem sola praefatione, et libri IV. cap. 6. meminit, ubi pugnat, Ethica Nicomachea non Aristotelis ad Nicomachum, sed Nicomachi ipsius esse; subducens nimirum sese certamini inutili, et ipsi rei potius explicandae incumbens. Inscriptio operis haec est in editione, unde novam hanc expressimus: »Marii Nizolii Brixellensis de veris principiis »et vera ratione philosophandi contra Pseudophilo»sophos libri IV. in quibus statuuntur ferme omnia »vera verarum artium et scientiarum principia, re»futatis et rejectis prope omnibus Dialecticorum et »Metaphysicorum principiis falsis, et praeterea re»futantur fere omnes Marci Antonii Majora»gii objectationes contra eundem Nizolium us»que in hunc diem editae. Parmae apud Septi»mum Viottum 1553. in 4to.« An aliud quippiam in Philosophia praestiterit Nizolius, equidem ignoro: hoc tantum didici, vertisse Galeni explicationem obsoletarum vocum Hippocratis. Liber ab eo recognitus, excusus est Venetiis a Juntis cum operibus Galeni anno 1550. Fuit et alius Parmae Nizolius; fortasse nostro cognatus, posterior tamen, professione ICtus, cujus allegationes juris de Emphyteusibus extant excusae Parmae apud Brudon in quarto, 1603. Atque haec quidem de autore non admodum curiose inquirenti se obtulerunt, quem credibile est eadem cum Laurentio Valla fortuna usum, cui Grammatici nomen nocuit, effecitque, ne multum animis hominum movendis posset. Idem jam ante Petro Abaelardo, idem Angelo Politiano, Ludovico Vives, Erasmo, Andreae Alciato, atque ipsi Jacobo Cujacio, tum nuper Salmasio, Grotio, etc. ab imperitis objectum est, et multa hujusmodi peculiaria in Grammaticos invectiva congessit homo licet ex instituto ac professione sua γραμματικώτατος Maximilianus Sandaeus. Quae quamvis inania deprehendantur, et revera nulli sint magis Grammatici, quam qui sub venerabili Philosophiae titulo perpetuas logomachias serunt, vulgi tamen animis ne nunc quidem satis eximi possunt. Sed et illud obstitisse Nizolii progressibus videtur, quod in Italia scripsit, in qua etiam nunc Aristoteles cum Scholasticis addictius regnat. Quid enim Francisco Patricio, quid Cardano, quid Galileo, quid Apologistae ejus Campanellae, quid ipsi Joanni Francisco Pico evenerit, notius est, quam ut recenseri mereatur. Accessit illius seculi ratio, in quo veritas incipiebat tantum velut per ruinam sese ostendere et scintillis quibusdam emicare, instar facularum ignearum, quae inter maculas solares nonnunquam ebulliunt, et tavillarum, quae cum fumo subvolant. Nostro tempore largior lux; et vel hoc saltem in confesso est, Aristotelem errare posse.

IV. Nunc ad argumentum operis accedendum est; inscripsit autem de veris principiis et vera ratione philosophandi, titulo, fateor, magnificentiore quam par est. Nihil aliud enim toto opere, quam Logica quaedam reformata et ad puram propriamque loquendi rationem revocata continetur, quae quidem me autore vera libri inscriptio esset, sed

nolui in alienis immutandis intempestive ingeniosus esse In Metaphysicam passim invehitur, nec affert tamen quicquam, quod Metaphysicae principia convellat, nisi quatenus dialecticis cognata sunt, neque uspiam de uno et multo, de toto et parte, de eodem et diverso, de necessario et contingente, de causa et effectu, de mutatione et duratione, atque aliis metaphysicae locis tractationem suscipit. Rerum naturalium et mathematicarum nulla mentio, civilia vix frigide attinguntur. Ut ita tam magnificae inscriptionis excusationem nullam inveniam, nisi hanc unam: Logicam veram non tantum instrumentum esse, sed et quodammodo principia ac veram philosophandi rationem continere, quia generales illas regulas tradit, ex quibus vera falsaque dijudicari, adhibitisque solis definitionibus et experimentis, omnes conclusiones demonstrari possunt. Sed sunto etiam non philosophiae, non ipsarum propositionum principia, veritatemque rerum non faciant, sed ostendant: attamen philosophum facient, recte philosophandi principia erunt, quod Nizolio tuendo satis est.

V. Ita autem quod reliquum est praefationis partiemur, ut prius de usu eorum que Nizolio disputata sunt, deinde de erroribus ejus quibusdam et excessibus disseramus. Usus Nizolianarum meditationum scopum simul editionis hujus iteratae continet, ut ita ei parti sit paulo diligentius incumbendum. Duo autem mihi potissimum editione dignum Nizolium reddere visa sunt, dicendi ratio et tempus auctoris: dicendi ratio quia Philosopho digna est; tempus autoris, quia autor nostro dignus est, illo certe tempore quo vivit, meditationes ejusmodi non nisi solidissimis et exquisitissimis ingeniis obtigerunt. Dicendi ratio, quam ille non adhibet tantum, sed et perpetuo urget, solidissimis viris dudum digna visa est, quae paulatim velut postliminio in Scholas reducatur. Dicendi inquam ratio naturalis et propria simplex et perspicua, et ab omni detorsione et fuco libera, et facilis et popularis, et a medio sumta, et congrua rebus, et luce sua juvans potius memoriam, quam judicium inani et nasuto acumine confundens. Sed nobis ipsis danda hic opera est, ne in vitium incidamus quod reprehendimus, grandem nimirum et translatam et ampullosam dictionem.

VI. Tres in universum laudes orationis mihi esse videntur: claritas, veritas et elegantia. Nam utilitas ipsarum potius rerum est. Clara est oratio cujus omnium vocabulorum significationes notae sunt, tantum attendenti. Vera est oratio quae sentiente et medio recte disposito sentietur: (nam claritatis mensura intellectus, veritatis sensus) quae unica est, et verissima veritatis definitio, quicquid etiam hactenus sit dictum, et ex qua omnes recte judicandi Canones demonstrari possunt. Sed hoc exponere alterius loci est, tantum exemplo eam declarabimus. Haec oratio: Roma ad Tiberim sita est, ideo vera est, quia ut sentiam quod dicit, nihil aliud requiritur, quam ut sentiens et medium recte se habeat; sentiens nimirum nec sit coecus, nec surdus, medium seu intervallum non sit nimis grande. His positis, si ego sim Romae aut prope Romam, fiet ut videam eodem obtutu urbem et flumen, et ita urbem hanc esse ad hoc flumen, audiam vero urbem hanc dici Romam, fluvium Tiberin. Similiter in abstractis, haec oratio: binarius est par, vera est, quia si video (audio, tango, cogito) binarium, video unum et unum, (per definitionem binarii ex auditu lectuve perceptam) et nihil ultra; video igitur duas partes binarii totum absolventes, unum et unum, easque inter se aequales, quia unum uni aequale est. Numerus autem cujus duae partes totum absolventes seu integrantes sunt aequales dicitur Par (per definitionem Paris lectu audituve perceptam). Ergo qui sentiet propositum numerum esse binarium, sentiet esse parem, et ideo propositam orationem esse veram. Elegans est oratio, quae auditu lectuve jucunda est. Quum autem de oratione philosophica, stiloque illi debito sermo sit nobis, elegantiam impraesentiarum praetermittemus, etsi fatemur eam ad attentionem procurandam, ad movendos animos, ad memoriam fortius, ut sic dicam, impraegnandam, plurimum posse. Sola certitudinis ratio habenda est, quantam materia capit. Certitudo autem, etiamsi rigorosissimus definitor accedat, nihil aliud esse comperietur, quam claritas veritatis, ut ita vel ex ipsa certitudinis notione sequatur orationis philosophicae, quippe certitudinem quaerentis, dotes esse claritatem et veritatem. Et vero manifestum est veritatem propositionis notam esse non posse, nisi significatio vocabulorum sit nota, id est (per definitionem claritatis) nisi sit clara.

VII. Claritas est non verborum tantum, sed et constructionis. Nam si constructio clara non sit, notum erit quidem, quid verba significent simpliciter et per se sumta, sed non quid significent hoc loco ad caetera relata. Sed in obscuritate constructionis oratores potius et poëtae, quam philosophi nostri peccare solent, nobis igitur est de vocum per se sumtarum potius claritate dicendum. Claritati, seu notitiae significationis, duo vitia opposita sunt, obscuritas, et ut sic dicam nimia claritas seu ambiguitas; illic nulla significatio nota est, hic plures simul apparent, sed quae sit vera incertum est. Porro claritas vocabuli ex duobus oritur:

vel ex voce per se, vel ex circumstantiis orationis. Claritas vocis per se rursus duos habet fontes: originem et usum. Origo autem vocis tandem in duo resolvitur, usum radicis, et analogiam ex radice factae derivationis. Usus est significatio vocis communiter nota eadem lingua utentibus. Analogia est significatio flexionis seu derivationis itidem nota eadem lingua utentibus v. g. vocis Fatum usus vel significatio nota est necessitas eventuum; ejusdem origo componitur ex usu radicis et analogia: radix est for, vel fari, radicis usus est: dicere: analogia fati est: fatum, qua in lingua Latina significatur participium perfectum passivum radicis, ut ita origine fatum idem sit quod dictum. Plerumque autem usus ex origine tropo quodam ortus est, quod et in exemplo proposito patet, nam origine fatum idem est quod dictum, usu idem ist quod necessario eventurum; videamus igitur cujus dicta sint necessario eventura, et manifestum est ad Dei solius dicta rem sequi. Igitur fatum origine est dictum, hinc antonomasia seu κατ᾽ ἐξοχὴν dictum Dei, hinc porro per synecdochen dictum Dei de futuris, seu decretum Dei, hinc denique metonymia causae, necessario eventurum, qui nunc vocis usus est. Unde boni Grammatici, atque etiam Philosophi, est continuatis troporum soritis, ut sic loquar, vocis usum ex origine deducere posse. Qua in re artificem inprimis esse video Julium Caesarem Scaligerum, cujus Originum libri non exigua etiam Philosophiae detrimento perierunt, nisi quatenus filius iis forte in notis ad Varronem usus est, qui tamen plerumque ab iis, quae parens jam publicavit, et suis scriptis passim interspersit, dissentit. Sed ut in filii meditationibus plus eruditionis habemus, ita in parentis originationibus plus acuminis et philosophiae amisimus. Caeterum in vocabulis adhibendis haec regula tenenda est, ut si origo ab usu dissentit, usum potius quam originem in dicendo sequamur, sed usu vel dubio vel non repugnante, origini potius haereamus. Si multiplex usus est, danda opera est, ut vel abstrahatur formalis aliqua significatio quam vocant, id est, ut detur significatio vocis, quae omnes usitatas in se continet, in quo laborare solent Theologi, inprimis scripturarum Hebraicarum interpretes, quos inter hac sensuum venatione excellebat Samuel Bohlius; vel si illud fieri non potest, saltem constituatur usus aliquis, ut sic loquar, originarius, id est, ex quo sic fluant usus caeteri, quaemadmodum ex origine fluxit ipse, nempe per canales troporum. Danda tamen in usu originario constituendo opera est, ut sit significatio formalis, saltem plerorumque usuum, quoad ejus fieri potest, ex qua caeteri usus deducantur. Sed in utroque, tam usu originario, quam significatione formali deligendis, illud maxime dispiciendum est, ut ex pluribus se offerentibus eligatur propior origini vocis. Electa autem semel significatio si locus fert redigenda in definitionem (definitio enim nihil aliud est, quam significatio verbis expressa; seu brevius, significatio significata) et auditori lectorive proponenda est. In definiendo non id solum curandum est, ut definitio sit reciproce vera, sed et, ut sit clara.

VIII. Termini igitur technici cane pejus et angue fugiendi sunt, et abstinendum inprimis illis praedicamentorum vocabulis plerumque ab usu Latinae linguae remotissimis. Constitutae semel definitioni constantissime insistendum est, ita ut ubique etiamsi definitionem definito substitueres nulla locutio absurda sequatur; sed etsi definitionem nullam praemiseris, debet tamen uniformis esse vocis usus, ita ut eadem utrobique definitio substitui possit. Atque ita patet dato vocabulo quae adhibenda sit significatio, videamus, et contra: datae significationi quod adhibendum sit vocabulum. Qua in re et compendii et claritatis ratio habenda est. Claritatis autem maxima est in Terminis e medio sumtis, usu etiam populari retento; obscuritas semper aliqua in Technicis. Terminum (liceat enim hoc sensu Termini nomine uti, ut significet vocem quatenus significata est, nisi vocabuli nomen substituere mavelis, quod me quidem non invito fiet) popularem voco, quum vox et significatio usitata est, technicum, quum vel vox vel significatio privata (seu certo homini vel hominum generi propria) est.

IX. Si ipsa vox privata est, sequitur, ut facta sit per quandam ὀνοματοποιΐαν, qualia sunt pleraque vocabula der Rothwelschen Sprache, cujus Lexicon in compendio habet Gesnerus in Mithridate. Est autem in hoc vocabulificio illud imprimis attendendum, ut non casu quasi et arbitrario animi impetu, sed ratione quadam efformetur, ratio autem quo aptior, hoc laudabilior. Ratio formandi aptitudinem habet tum a radice, tum a modo formandi; radix debet esse usitata, et rei, quam novo vocabulo designare contendimus, quantum fieri potest, propinqua, analogia debet esse et usitata et apta, ita ut ex significatione radicis et analogiae conflari vocabuli novi definitio, quam intendimus, possit. v. g. Haecceitas non habet analogiam usitatam, melior esset: hoccitas, (vel hoccimonia) uti quidditas, non quaedeitas. Jam ex hoccitatis radice et analogia conflari ejus definitio potest, nam hoccitatis radix est hoc; analogia, itas. Analogia autem ista seu derivandi ratio significat rationem appelationis in radice, seu qualitatem ra-

dicis quatenus talis est, qualis esse dicitur, erit igitur hoccitas ratio cur aliquid dicatur hoc (uti qualitatem definit Aristoteles, a qua dicimur quales) vel qualitas hujus quatenus hoc est. Nec mirum est abstracta definiri per concreta, quia concreta sunt notiora. Sin vero non vox sed significatio sit nova, attendendum est, tum an significatio quodammodo congruat voci, id est ope troporum vel ex usu ejus communi, vel saltem ex origine deduci possit, tum an non haberi potuerit vox congruentior? Exemplis omnia illustranda essent, si esset instituti mei persequi magis talia, quam monere.

X. Porro terminis technicis, ut dixi, plane carendum, ab iisque cavendum est, quoad ejus fieri potest, fieri autem semper non potest, prolixitatis causa, quae oritura esset, si utendum esset semper vocabulis popularibus. Nam exempli causa: Quadratum est quadrilaterum, aequilaterum, rectangulum; sed aequilateri, quadrilateri et rectanguli vox (ut planum praeteream) rursus est technica, resolvatur igitur: aequilaterum est cujus omnia latera sunt aequalia, quadrilaterum est cujus tantum quatuor sunt latera: latus est linea terminans. Rectangulum est, cujus omnes anguli sunt recti, angulus est concursus linearum, rectus est qui utrinque aequalis est. Ergo si terminis technicis abstinendum est, pro Quadrati voce adhibendae semper essent hae voces simul: id cujus omnes lineae terminantes sunt aequales, et cujus tantum quatuor sunt lineae terminantes, et omnes concursus lineae terminantis ad lineam terminantem utrinque aequales. Et tamen, si rigorosius agendum est, etiam, et lineae, et termini, et concursus, et aequalitatis vocabula essent ulterius resolvenda, nam ut in usu sunt, exacte Geometrarum conceptibus non quadrant, quemadmodum nec vox quadrati, quae tum origine tum usu communi omni qradrilatero tribui potest, quum Geometrae per antonomasiam soli tribuant aequilatero rectangulo, tanquam perfectissimo; quam vero molestum, quam ineptum futurum sit in loquendo et demonstrando pro Quadrati voce tot semper aliis vocibus uti, credo etiam caecum videre, addi possunt, quae in arte combinatoria passim dixi. Quamquam igitur istis resolutionibus terminorum technicorum in mere populares solidaretur judicium, unde etiam in perfecta demonstratione nihil fit aliud, quam talis in ultima et notissima resolutio, subjecti nimirum et praedicati in definitiones, et terminorum definitionem ingredientium rursus in definitiones, (sive omnis ea resolutio fiat uno loco, sive aliis definitionibus aut demonstrationibus nostris, alteriusve scriptoris, cujus usum vocabulorum nostrum facimus, jam facta sit, ad quas remittimus) tamen obrueretur memoria; necesse igitur fuit technicos terminos earum rerum excogitare, quibus populus, vel quia non animadvertit, ut Lineam Quadratricem, vel quia raro utitur, ut Hyperbola et Parabola, peculiaria nomina non imposuit, sufficere credens, si forte tandem aliquando usus posceret, circumscriptione designare. Et quidem verissimum est, nullam rem esse, quae non explicari terminis popularibus saltem pluribus possit. Unde recte Nizolius noster passim urget, id pro nullo, pro commentitio, et inutili, habendum esse, cui non in lingua communi aliqua vox saltem generalis, (id est, ut ego interpretor, quae cum aliis itidem generalibus juncta speciatim tandem rem exprimere possit) sit imposita.

XI. Nam philosophi plebeiis non semper in eo praestant, quod alias res sentiant, sed quod sentiant alio modo, id est oculo mentis, et cum reflexione seu attentione, et rerum cum aliis comparatione; attentio autem hominum ad aliquam rem non potuit melius excitari, quam certo vocabulo imposito, quod nota esset memoriae mihi ipsi, signum judicii erga alios. De caetero tantum abest, ut Philosophi res abstrusiores et nobiliores sentiant, quam homines caeteri, ut potius contra, antequam incomparabilis Verulamius, aliique praeclari viri philosophiam ex aëris divagationibus aut etiam spatio imaginario, ad terram hanc nostram et usum vitae revocarunt, saepe ciniflo aliquis Alchimista solidiores et praeclariores de rerum natura comprehensiones habuerit, quam philosophaster quispiam, (neque enim negamus etiam inter Philosophos, eos praesertim, qui ex Aristotelis et veterum fontibus potius, quam lacunis scholasticorum sua hauserunt, viros solide et ad usum doctos complures superfuisse) intra claustra solis sive haecceitatibus, sive hoccitatibus incumbens. Philosophi igitur saepe non sentiunt, nisi quae et alii sensere, sentiunt tamen cum attentione, quae alii neglexere. Ita Joachimus Jungius Hamburgensis, vir vere philosophus, plurimas insectorum species multis haud dubie mortalibus visas, sed ab omnibus hactenus praeteritas et pede calcatas, observavit, collegit, digessit, comparavit inter se, et ex illa comparatione nomina etiam nova imposuit. Cujus haec et alia meditata a Clarissimo Vogelio quam primum speramus editum iri. Nonnunquam tamen fateor et philosophi sentiunt corpora aut corporum qualitates, quas alii nunquam sensere; ita Chimici saepissime nova hactenus ignorata corpora variis mixtionibus resolutionibusque producunt; idem fit compositionibus Medicorum, quibus etiam saepe ab autore nomen

imponi solet, majore ad perennitatem nominis efficacia, quam si ex solido adamante statua illa cum elogio collocata esset. Qualitates quoque novas, ut ignotos hactenus colores plurimos, haud dubie vidit, qui primus microscopio usus est. His igitur casibus nomina vel nova formanda, vel vetera tropis quibusdam, a relatione rei qualitatisve novae ad veteres petitis, huc accommodanda sunt.

XII. Illud igitur pro certo habendum est, quicquid terminis popularibus explicari non potest, nisi immediato sensu constet (qualia sunt multa genera colorum, odorum, saporum) esse nullum, et a philosophia velut piaculari quodam carmine arcendum. Unde philosophis quibusdam ingeniosis mos est egregios illos disputatores dialecticos ad hoc urgere, ut vel omnes terminos suos clare explicent, vel si hanc molestiam subterfugere velint, descendant ad linguam aliquam vivam seu popularem, ac tentent in ea animi sensa exponere; quo facto mirum est, quam vel consternentur illi, vel si rem tentent, a praesentibus viris judicio atque experientia praeditis, Latinae tamen linguae non admodum curiosis, irrideantur. Ego certe ea ratione factum esse arbitror, ut in Anglia Galliaque paullatim scholastica philosophandi ratio exoleverit, quia jam dudum illae gentes philosophiam sua lingua excolere coeperunt, ut ipsi plebi quodammodo, atque etiam foeminis aditus de talibus judicandi sit factus. Idem haud dubie factum esset apud Italos, nisi ibi Theologi scholastici cognatis sibi philosophis subsidio venissent. In Germania inter alias causas, ideo fixior est scholastica Philosophia, quod sero, et ne nunc quidem satis, germanice philosophari coeptum est.

XIII. Illud tamen asserere ausim, huic tentamento probatorio atque examine philosophematum per linguam aliquam vivam, nullam esse in Europa linguam Germanica aptiorem; quia Germanica in realibus plenissima est et perfectissima, ad invidiam omnium caeterarum, quum artes reales et mechanicae a multis seculis a nulla gente sint diligentius excultae, usque adeo ut ipsi Turcae in fodinis Graeciae et Asiae minoris, vocabulis metallicis Germanorum utantur. Contra ad commentitia exprimenda lingua Germanica est facile ineptissima, longe quidem Gallica Italicaque et caeteris Latinae propaginibus ineptior; quia in Latinae filiabus, voce Latino-barbara leviter inflexa, statim fit Gallica aut Italica non-barbara, unde et multa philosophiae scholasticae in Gallicum quomodocunque tamen translata habentur; at in Germania nemo hactenus tale quicquam, nisi omnium sibilis exceptus, tentavit. Sed si terminos Latinos retinere aut deorquere voluisset aliquis, hoc jam erat non Germanice sed Latine philosophare, nec habuisset ullum usum nec intellectum fuisset a quoquam Latinitatis imperito, quia Germanica a Latina toto coelo distat, quod secus est in Italica Gallicaque. Atque haec causa fuit phliosophiae apud nos serius vernaculo sermone tractatae, quia Lingua Germanica non a philosophia quidem, a barbara tamen philosophia abhorruit, quum vero barbara philosophandi ratio sero sit pulsa, mirum etiam non est, tardigradam in philosophando nostram linguam fuisse.

XIV. Quod de Germanica, idem de Germanicae filiabus Suedica, Danica, Anglica, Belgica, dicendum est, nisi quod Belgicam atque Anglicam in admittendis aliarum linguarum vocabulis ipsa vicinitas audaciores fecit, quum contra apud Germanos, tametsi Scholasticastri quidam, aut peregrinatorculi meris Latinismis, Italicismis et Gallicismis perstrepant, usus tamen et virorum gravium, et plebis talia respuat. Slavonicam linguam huc non affero, quia in realibus ipsis satis plena non est, et plerasque res mechanicas aut importatas Germanicis vocabulis nuncupat. Illud vero praetereundum non est loco, quod Thomas Hobbes pro sueto sibi ingenii acumine observavit, apud eas gentes, quibus mos est verbum substantivum: Est, perpetua ellipsi subintelligere, quales sunt nonnullae Orientales, magnam partem philosophiae barbarae, aut non omnino, aut aegerrime exprimi posse; quum tamen eae gentes non sint minus quam caeterae aptae ad philosophandum, et lingua alioquin in rebus ipsis copiosa cultaque utantur. Sed a digressione in viam regrediendum est.

XV. Quum igitur constet, eas res esse nullas, quae popularibus terminis explicari non possunt, constet etiam, tanto clariorem esse orationem, quanto termini sunt populariores, nisi forte nimis multiplicatis ea ratione vocabulis, jam ex alio capite taedium, oblivio, et sic obscuritas nascatur, manifestum est normam ac mensuram adhibendorum terminorum esse debere, compendiosissimam popularitatem, vel popularissimum compendium. Quandocunque igitur termini populares suppetunt aeque compendiosi, abstinendum est terminis technicis. Est profecto haec una ex regulis fundamentalibus styli philosophici, in quam passim impingitur, praesertim a Metaphysicis et Dialecticis; nam res ipsae Dialecticae et Metaphysicae plerumque, creberrime in sermonibus, scriptis, cogitationibus etiam plebeiis occurrunt, et in omni vita passim teruntur. Hinc factum est, ut ipsa crebritate admonita gens, peculiaribus, usitatis maxime naturalibus et compendiosis vocabulis, talia designaverit; quae quum suppetant, peccatum est novis plerumque etiam in-

commodioribus confictis (ut de ipsa saepe in fingendo admissa ineptitudine nihil dicam) res obscurare, se vero imperitis tantum admirabiles, caeteris ridiculos reddere. Par est ratio in moralibus, civilibus, et juridicis. Quae quum itidem sint omnium intellectui exposita, a novis terminis confictis raro in illis quicquam praeter tenebras sperandum est; raro, inquam, nam et illud fateor, nullam esse scientiam, in qua non terminis technicis sit opus, tunc nimirum quum plebs rem aut non sensit, aut sine attentione rursus dimisit. In Mathematicis autem, Physicis et Mechanicis maxime novis terminis aut nove sumtis opus est; quae in his disciplinis tractantur, pleraque non sunt statim sensui obvia, aut in usu communi crebro versantia. Producuntur enim eae res, aut deteguntur qualitates, variis rerum in partes divisionibus, mutationibus, motibus, additionibus, detractionibus, translocationibus, commixtionibus, et omnino experimentorum industriis, quae vulgus nisi necessitate coactum facere non solet, artifici cujusvis scientiae talia relinquens. Sed etsi termini technici parum sint popularibus compendiosiores, notabile tamen taedii aut memoriae levamentum hinc non oriatur, manifestum est itidem technicis in philosophando utilius abstineri.

XVI. Est tamen inter philosophandi modos discrimen ingens, alius enim est, ut sic dicam, Acroamaticus, alius Exotericus. Acroamaticus est, in quo omnia demonstrantur, Exotericus, in quo quaedam sine demonstratione dicuntur, confirmantur tamen congruentiis quibusdam et rationibus topicis, vel etiam demonstratoriis, sed non nisi topice propositis, illustrantur exemplis et similitudinibus; tale dicendi genus dogmaticum quidem seu philosophicum est, acroamaticum tamen non est, id est, non rigorosissimum, non exactissimum. Atque ista differentia etiam aqud Mathematicos observatur. Distinguunt enim a Demonstrationibus scholia, demonstrationes rigorosissime et acroamatice, scholia paulo familiarius atque exoterica quadam ratione tractantur, quod vel ex solo Proclo in Euclidem patet, qui in scholiis historica quaedam et quicquid rei illostrandae facit, inspergere non dubitat. Gemina huic distinctioni distinctio est inter praecepta et commentaria, quam Bartholomaeo Keckermanno et Johanni Henrico Alstedio utiliter placuisse video, et tenuit quoque vir summae doctrinae Gerhardus Johannes Vossius in suis artium liberalium ac popularium partitionibus. Usus hujus discriminis est, ut non interrupto definitionum, divisionum et demonstrationum cursu interserere tamen nonnulla scitu digna aut etiam profutura liceat. Quaecunque igitur de stili philosophici ratione dicta sunt, de parte Acroamatica dicta sunto. In Exoterica parum luxuriari liceat, ut si certitudini aliquid, claritati tamen nihil aut parum decedat. Acroamatica autem pars constat ut dixi, definitionibus, divisionibus et demonstrationibus; quanquam divisionibus supersederi possit, quemadmodum Euclides illis caruit, utiliter tamen adhibentur, saltem ad definitiones inter se ordinate connectendas, propositiones enim non divisionibus, sed demonstrationibus connecti debent. Quicunque igitur accurate definire aut dividere, et demonstrare seu certam quandam propositionem reddere profitetur, rigorosissime se gerere, nec vocem nisi definitam, aut propositionem nisi demonstratam aut immediato sensu certam in demonstrando adhibere debet. De caetero liceat fortasse acutas nonnunquam allusiones, similitudines, metaphoras, exempla, argutias, historias inspergore et lectoris fessi animum jucunditatis interstitio recreare, sic tamen, ut tunc quoque omnis obscuritas, omnis translationum nimietas vitetur.

XVII. Illud quoque hoc loco admonitu dignum visum est, quia vulgo contra sentiunt, inter accurate philosophandum concretis tantum utendum esse; idque ipsum Aristotelem plerumque fecisse video; ποσὸν, ποιὸν, τὰ πρός τι potius ipsi in ore sunt, quam ποσότης, ποιότης, σχέσις, seu si sic loqui fas esset, προϛινότης, id vulgo sectatores excusant, quasi pinguius factum, ac se, si diis placet, acutiores somniant, quum omnia abstractis complent; quum contra pro certo compertum sit istam abstracta vocabula excogitandi libidinem pene totam nobis philosophiam obscurasse, quibus tamen careri in philosophando prorsus potest. Nam concreta vere res sunt, abstracta non sunt res sed rerum modi, modi autem nihil aliud sunt quam relationes rei ad intellectum, seu apparendi facultates. Et vero datur modorum in infinitum replicatio, et qualitatum qualitates et numeri numerorum, quae si omnia res sunt, non infinitas tantum, sed et contradictio oritur. Nam si entitas ens est, si realitas res est, si aliquidditas aliquid est, idem erit forma sui ipsius seu pars conceptus sui, quod implicat. Si quis igitur aliquando Elementa Philosophiae perfecte constituturus est, eum abstractis prope penitus abstinere necesse est. Recordor quidem acutissimum Hobbesium abstractis aliquam utilitatem tribuere, idque eo potissimum argumento, quod exempli causa aliud sit duplicare calida, aliud duplicare calorem. Verum haec ipsa caloris duplicatio terminis concretis efferri potest, nam si dicam eandem rem duplo calidiorem esse factam, jam intelligetur non calida, sed calorem duplicatum esse. Terminorum igitur

abstractorum nunquam ego, ut verum fatear, ullum in philosophandi rigoroso genere usum magnopere comperi, abusus vero multos et magnos, et valde perniciosos. At in exoterica dicendi ratione credo abstracta adhibita tempestive usu suo non carere, acuere enim inprimis sententias, et figere quasi attentionem lectoris, ac de caeteris cogitationibus impraesentiarum dimittendis admonere: more secundarum notionum, quibus cur abstracta aequiparem, causas habeo multas et graves. Nam in universum ita sentio, substituere abstracta concretis, et pro hac propositione: homo est rationalis, substituere illam: homo habet rationalitatem, aut: cui inest humanitas, illi inest rationalitas, aut: humanitate rationalitas continetur, esse non tantum tropicum, sed et superfluum; ac perinde esse, ac si quis loco ejusdem propositionis diceret: certum est, verum est, non est dubitandum; quisquis attendet, sentiet, idea hominis menti meae per sensum impressa confirmat, hominem esse rationalem; quae variandi genera rei nihil addentia praetèr relationem ad mentem ad illustrandum inculcandumque possunt aliquid, ad accurate philosophandum, ad definiendum, dividendum ad demonstrandum nihil.

XVIII. Hactenus ostensum est terminis technicis abstinendum esse, quoad ejus fieri potest; nunc illud attendendum est, sive popularibus, sive technicis utamur, tropos tamen aut nullos aut exiguos aptosque esse debere. Quod a Scholasticis parum est observatum, nam, quod quis miretur, eorum oratio tropis scatet. Quid enim aliud quam tropica sunt dependere, inhaerere, emanare, influere. Cujus postremi vocabuli inventione mire se effert Suarez. Quum enim Scholastici ante eum dudum in generali causae notione venanda sudassent, nec verba illis commoda succurrerent, Suarez non quidem ingeniosior, tamen audacior fuit, et adhibito callide influxus vocabulo, causem definivit: quod influit esse in aliud, barbare satis et obscure; nam et inepta constructio est, qua influere ex neutro fit activum; et metaphoricum est istud influere, et obscurius ipso definito: faciliore enim negotio causae quam influxus vocem tam monstrose acceptam definire sperarim. Illud denique observandum, quod et jam tum passim monuimus origini vocis, praesertim quum certa est, qua pote, insistendum. Sane verum est, omnem originariam vocis significationem esse propriam, neque enim video qui per tropum ex alio translatus dici possit; sed tamen illud fateor quandam significationem esse propriam, quae non sit originaria, quod et recte observavit Cl. Brunsmannus in iis, quae de propria et translata significatione nuper peculiari opera commentatus est. Quibus ejus cogitatis tamen illud adjicio: omnem significationem non originariam aliquando fuisse translatam, eo nimirum tempore, quo primum vox a primigenia significatione ad alias troporum adminiculo promota est; factam vero tandem propriam, quum primum ita vulgaris facta est, ut aeque sit nota, aut notior etiam nativa; et jam homines non propter flexiones a nativa factam, cujus saepe ne recordantur quidem, sed per se voce sic utantur. Interea si quis destinato consilio sibi proponeret, vocibus quarum certa originatio est, perpetuo inter philosophandum non aliter uti, quam origo postulat ejus consuetudo nec illaudabilis nec aspernanda foret, etsi difficile censeam hoc constanter exequi. Ita satis, opinor, fuse pro instituti ratione de claritate vocabuli per se dictum est.

XIX. Claritas vero, quae ex circumstantiis sumitur, sumitur vel ex ipsa oratione, vel extrinsecus. Si ex ipsius orationis circumstantiis sumitur, erit claritas, si non vocabuli per se, tamen orationis per se. Quod fit, quum ex ipsa oratione apparet materia subjecta de qua agitur, et quum materia subjecta tollit ambiguitatem; nam si de ursa, plaustro, cane, lyra, loquitur is, cujus reliqua oratio in astronomicis consumitur, facile tollitur ambiguitas. Item si praemissa est definitio vocabuli, eo ipso obscuritas sublata est. Sed si per multas demum conjecturas, licet ex ipsa oratione sumtas, significatio venanda est, longe infra claritatis laudem subsidit. Si vero ex ipsis extrinsecis cirsumstantiis colligendus demum sensus est lectori et auditori, jam per se obscura est oratio. Obscura autem oratio fortasse alieni prophetae, aut ebuccinatori miraculorum Alchymistae, aut oraculo Delphico, aut etiam theologo mystico, aut aenigmatographo poetae convenerit, a philosopho nihil potest esse alienius.

XX. Equidem non ignoro et philosophos Aegyptiorum veteres, et Sinensium, qui Aegyptiorum colonia esse videtur, hodiernos, et omnino orientales, et, qui eos sequutus est, Pythagoram apud Graecos, apud Latinos autem et Arabes, Chemicos, aenigmatibus sua occuluisse. Quod eorum consilium non potest usquequaque improbari, neque enim omnia omnibus prostituenda sunt. et qui postea philosophi artium, medicae imprimis et mathematicae mysteria in vulgus exire passi sunt rem a prudentia civili alienam fecerunt; poterant enim his velut instrumentis uti ad liberandas a tyrannide patrias et constituendas Aristocratias: et nemo prudens Lazarum Riverium, vel Antonium Mariam Rheitam Schyrlaeum, Capucinum culpaverit obscuritatis, quod

ille certam quandam compositionem medicam, hic tuborum opticorum magis magisque perficiendorum compendium a se repertum aenigmatis nube sepiverunt. In philosophando tamen accurate, id est in definiendo, dividendo et demonstrando, dispellendas esse omnes illas nebulas, non est dubitandum. Licebat Philosophis vel lingua quadam peculiari, quod de Aegyptiis et Hetruscis sacerdotibus fertur, vel scriptura saltem, quod nunc faciunt Sinenses, sua occulere, dummodo in hac ipsa lingua, in hac ipsa scriptura, ipsi saltem inter se, clare accurateque philosophati essent, nec nunc intromissis in adyta, appareret vasta rebus utilibus et egena solitudo, quodque de templo Hierosolymitano Tacitus ait, inania arcana, quod de orientalium philosophia verum esse magis magisque detegitur. Ita explicata est una laudum orationis Philosophicae: claritas. Elegantiam aliorsum ablegavimus. Lege sis interim Quaerengum de Eloquentia Philosophi.

XXI. Sola veritas residua est, sed de hujus comparandae ac confirmandae ratione, deque omni inveniendi et judicandi artificio praecepta tradere ad Logicum pertinet, qui tamen illa accurata claritate verborum inquirendi ac morose cuncta discutiendi, necessario alioquin onere, mirifice levatur. Nam si nulla vox adhibetur, nisi clara et certae definitaeque significationis, omnis aequivocatio exulet necesse est, qua semel pulsa ingens sophismatum agmen simul evanescet; nec quicquam fere ad solide judicandum supererit, quam ut sensus ab erroribus, sensorio ac medio recte constitutis, intellectus vero observatis solis consequentiarum regulis, praeserventur. Quae quum ita sint, parum abest, quin credam, uti Rhetoricae duae sunt partes, una de verbis eleganter, ornate et efficaciter struendis, altera de movendis affectibus, ita similiter Logicae duas esse partes, unam verbalem, alteram realem: unam de claro distincto et proprio verborum usu, seu de stilo philosophico; alteram de regendis cogitationibus. Nam Grammatica, ut loquamur pure et ex usu gentis, nos docet; Rhetorica, ut apte ad movendos affectus; Logica, ut apte ad movendam mentem dicamus. Quemadmodum igitur illi non probantur, qui Oratoriam a Rhetorica divellunt, oratoriam de movendis affectibus, Rhetoricam de elegantia dictionis praescribere jubent: — quod faciunt Ramistae quidam aut Semi-Ramistae, viri caetera doctissimi, Keckermannus, Alstedius, Conr. Dietericus, Caspar. Bartholinus: — quemadmodum, inquam, illi non probantur, quum ita implexus sit verbis omnis cogitandi volendique actus, ut vix unquam nisi tacito intra nos verborum usu fiat; quum verba sint proximum cogitandi instrumentum, docendi autem cogitata nostra prope unicum; quum denique iisdem regulis simul et movendorum affectuum, regendarumque cogitationum ratio, et, quibus prope solis id fit, verborum ad hoc apte collocandorum praecepta contineantur: ita non improbandum arbitror, qui simul et de cogitandi praeceptis, et genere dicendi ad docendum apto tractare ad Logici partes pertinere tuebitur. Quare nec Nizolius peccavit, quod in Logica tractatione dicendi rationem exactam passim urget, nec fortasse, qui ante Nizolium eo de argumento tam in omni Encyclopaediae parte necessario, paulo fusius praefati sumus. Inprimis quum eo potissimum fine Nizolium ediderimus, ut, vel alieno labore, contribueremus aliquid ad philosophiae solidioris instaurationem, quae nunc tot ubique summis ingeniis continentibus tam pulchre procedit, adjuvandam. Speramus enim a lectione hujus Nizolianae commentationis non mediocrem fructum in rem philosophicam redundare posse, vel ideo, ut homines sobrio illi, ac proprio et nativo, ac vere philosophico dicendi generi magis magisque assuefiant; praesertim quum nemo mihi quidem scriptor notus sit, qui pari zelo, diligentia, atque etiam, si attente legatur, efficacia, in eam rem incubuerit, ut omnes illae verborum spinae ex agro philosophico funditus avellantur. Quod quidem in parte Logica atque ipso philosophiae vestibulo sic satis praestitisse mihi videtur, dummodo existant, quod fore non desperamus in hac florentium passim egregiorum ingeniorum ubertate, qui coeptum semel laborem persequantur, ac reliquas philosophiae partes, metaphysicam, physicam generalem, philosophiam civilem ac veram jurisprudentiam a terminorum implexis sentibus eadem ratione purgent; polliceremur de nobis aliquid, nisi partim aliis studiis distraheremur, partim timeremus materiam aliis praeripere, aptius omnia praestituris.

XXII. Caeterum quod Nizolium dixi prae caeteris aliquid in hoc genere praestitisse, id tueri non vereor. Nam illustres illi philosophiae instauratores hodierni in eo potius occupantur, ut sua sibi inventa et cogitata praeclare constituant atque exornent, quam ut vetera et in scholis recepta Aristotelis scholasticorum tradita, poliant ac purgent. Quum tamen non sit e re philosophiae, vetera prorsus abjicere, sed emendare potius, et quod egregium est, qualia certe sunt innumera, et praesertim quae ipso Aristotelis textu continentur, tolerare.

XXIII. Deinde fateor de dictione philosophorum vulgarium barbara abolenda, monuisse, consuluisse, declamasse multos, rem ipsam vero, quod fecit Nizolius, aggressos esse paucos, quia facilius

scilicet est, carpere quam emendare. Sane quum primum literae restaurari coeptae sunt, eruditi in philosophos scholasticos intonuere; contra Scholastici se reales vocabant, illos poetarum et grammaticorum titulo ab interiore rerum cognitione arcebant. Et memini videre aliquando scriptum cujusdam ex illo grege theologi, hoc titulo: Johannis Seici Apologia, quod Theologia non sit fundata super Poesi, quasi scilicet quisquam hoc somniasset. Sed interea dum isti fulminant, eruditi aulas magnatum paulatim occuparunt. Laurentium certe Vallam solus favor regius ab haereseos commendatione defendit, ut de Leonis X. et Francisci I. Galliae Regis in literatos propensione nihil dicam, quae profligandae barbariae multum potuit. Jam ante Vallam, princeps Dantes Aligerius Florentinus meliores literas velut ab inferis revocavit; hujus discipulus Franciscus Petrarcha primum in philosophia civili quippe capaciore elegantiam expertus est, qua in re Franciscum Philelphum, Poggium Florentinum, Leonardum Aretinum, aliosque succenturiatos habuit. Ut Valla majore vir ingenio spinas scholasticorum primus calcare aggressus est, ac dialecticam conscripsit ingenio suo dignam, ICtos etiam libello de insignibus et armis, contra Bartholum, Theologos libello de libero arbitrio, contra Boethium, lacessere ausus. Tunc vero philosophiae simul et eloquentiae exquisitiori e Graecia subsidio venere Theodorus Gaza, Georgius Trapezuntius, Emanuel Chrysoloras et Bessario postea Cardinalis. Et licet Gaza et Trapezuntius Aristotelem graecum resuscitantes, pugnarent inter se, Bessario autem Platonicus cum utroque; in Barbaros tamen aequali animi impetu itum est. Ab his instructi Johannes Picus de Mirandula, sui aevi phoenix, Astrologorum hostis, Hermolaus Barbarus ἐντελεχείας interpres, Nicolaus Leonicenus Patavinus, cujus et Nizolius noster lib. 4. cap. 8. meminit, cujus opera, ut Erasmus ait, Medicina iterum loqui coepit, Marsilius Ficinus Bessarionis in affectu erga Platonem haeres, certamen pro vera sapientum eloquentia contra corruptores utrinsque susceptum, acriore impetu, et recentibus armis continuarunt. Tandem Angelus Politianus, Joh. Franciscus Picus de Mirandula, Rudolphus Agricola, Joh. Reuchlinus, Hadrianus Cardinalis, Erasmus Roterodamus, Paulus Cortesius, Joh. Ludovicus Vives, Philippus Melanchthon, Joachimus Camerarius, et multi consimiles, perrupere hostiles ordines, et late stragem dedere. Hos qui toto orbe sequuti sunt philosophi eloquentissimi, tam multi sunt, ut brevibus chartis non capiantur. Barbarum porro dicendi genus peculiaribus scriptis multi oppugnarunt. Et exstant Epistolae amoeboeae Johannis Pici Mirandulani et Hermolai Barbari, quorum hic acerrime in Scholasticos invehitur, ille mollire eorum vitia ac tegere magis quam defendere, non improbabili pietate conatur. Tanti fecit eas Epistolas Philippus Melanchthon, ut addita dispositione edi in Germania curaverit. Addi potest Quaerengus de Eloquentia Philosophi, Franciscus Floridus Sabinus, scripto quod pro latina lingua ejusque Scriptoribus edidit, Ubertus Folieta de Latinae linguae usu et praestantia, Germonius, Corradus, Taubmannus, Barthius, de Latina lingua, Susii Lima Ciceroniana, Andr. Schotti Tullianae quaestiones, Alberti de Albertis actio in corruptores eloquentiae, Melch. Inchofer de sacra latinitate, Erasmi Apologeticus adversus Martinum Dorpium, Joachimus Vagetius de stilo, Christoph. a Capite Fontium de necessaria correctione Theologiae Scholasticae, Ludovicus Carbajalus Beticus libro uno de restituta Theologia, in quo, ut inseruit titulo ipse, Lector visurus sit Theologiam a Sophistica et barbarie magna industria repurgatam. Erycius Puteanus diatriba de Barbaris ad Barbarinos, Christianus Becmannus, et Isaacus Clauderus de barbarie superiorum temporum, Frischlinus Prisciano vapulante, Joh. Conradus Dietericus de infelicitate seculi superioris in graecarum literarum ignoratione, Antibarbarus Sixti Amamae et Petri Molinaei, Gerhardus Joh. Vossius de vitiis sermonis et glossematis latino-barbaris, Joh. Niess. de ortu et occasu linguae latinae ejusque instaurandae ratione, Petrus a Valle Clausa de immunitate Cyriacorum, qui omnes data opera in dictionem illam pseudophilosophicam invehuntur. His addi possunt, qui ex Cicerone et Quintiliano et Boethio, philosophati sunt: Freigius, Buscherus, Jason Denores, Ramusque et Ramei aut Philippo-Ramei prope omnes; Hadrianus item Cardinalis libris 4. de vera philosophia ex 4. Ecclesiae doctoribus, Ambrosio, Hieronymo, Augustino, et Gregorio Magno. De caetero ut Theologiam Scholasticam Melchior Canus in locis, et Paulus Cortesius in libros sententiarum, (nuper Petavius, opere dogmatum Theol.) ita Dielecticam Valla, Rudolphus Agricola, Polichius, Melanchthon, Caesarius, Hunnaeus, Cornelius Valerius, Perlonius, Caelius Secundus Curio, Joan. Sturmius, Hottomannus, Metaphysicam Vives, Niphus, Javellus (etiam Nizolio nostro laudatus lib. 2. cap. 10.) Fonseca, Brunus, Monlorius;

Physicam Hermolaus Barbarus, Cornelius Valerius, Franciscus Vicomercatus, Hieron. Fracastorius, Hieron. Cardanus, Jul. Caesar Scaliger, Scipio Capucius, Titelmannus, et nuper Gassendus, dictionis elegantia illustrare coeperunt. Qui tamen terminos in Scholis receptos sic ad vivum in caeteris philosophiae partibus resecuerit, ut fecit in Logica Nizolius noster, nondum comperi. Nizolium igitur, quo hactenus fuit ignoratior, hoc magis dignum putavi, qui in exemplum dictionis philosophicae reformatae proponatur.

XXIV. Altera editionis ratio fuit tempus Autoris. Accessit enim ad edendum hic quoque stimulus, quod apparet ex Nizolio esse quasdam sententiarum periodos, et, quae nostro tempore velut nova producuntur, jam olim plurima a doctis viris magna cum contentione agitata esse. Ita detexit Telescopium, viam lacteam esse conseriem insensibilium stellarum, idem dudum conjecerat Democritus. Ejusdem Democriti Vaticinatio erat, Nili incrementa esse a pluviis Aethiopiae, quae sententia a coaevis et propinquis scriptoribus irrisa, nunc peregrinationibus vera deprehensa est; Epicuri et Lucretii Atomi, quam magna nunc contentione refodiuntur! Hyppothesis terreni motus Pythagorae fuisse dicitur, et illuc inclinasse Archimedem non obscura sunt vestigia in libello de Numero arenae. Illustris Digbaei pulverem sympatheticum Antonius Deusingius et Joh. Fried. Helvetius contendunt veterem esse. Circulationem sanguinis per totum corpus non ab Harvaeo primum observatam, sed dudum deprehensam legi in manuscriptis cujusdam religiosi, quae nunc quoque Venetiis monstrentur, refert in absolutissimo Institutionum Anatomicarum opere Thomas Bartolinus. Habeo ex narratione doctissimorum virorum, ipsum illum magnum Cartesium non mediocriter confusum fuisse, quum esset ei monstratum, complura ejus philosophemata, quae noviter inventa putabat, in Platone et Aristotele, quorum tamen ille contemtum praeferebat, tum in naturalibus, tum in civilibus clare tradita, contineri; Keckermannus ostendit ex collatione verborum parallelismo quodam sibi oppositorum pleraque Petri Rami dogmata dudum vidisse Ludovicum Vivem. Addo ego, quae nunc nostro tempore a scriptoribus praeclaris Hobbesio, Cartesio, Jungio, Claubergio, Raeo, Antonio Arnoldo Theologo, quem Gallicae Logicae, libelli sane elegantissimi autorem ferunt, acerrime urgetur terminorum technicorum ad populares reductio, eam jam tum Nizolio nostro in votis ac scopo unice fuisse, longe meliore, quam Rami consilio, qui Aristoteleis subversis alios terminos technicos substituit, multiplicavitque non scientiam, sed laborem.

XXV. Restat nunc, ut errores quoque et vitia Nizolii nostri ne dissimulemus. Et ex vitiis potissimum mihi vituperationem mereri videtur maledicentia, qua in Aristotelem, in Platonem ipsum, in Galenum, in Aristotelis interpretes Graecos, in Scholasticos sine discrimine (nam Thomam Aquinatem, quum mollissime tractatum cupit, appellat monoculum inter caecos lib. 4. cap. 7.) invehitur, qua etiam consentientes sibi in plerisque Vallam, Vivem, Rudolphum Agricolam ob levissima quaedam sententiarum discrimina proscindit. Optassem deleta e libro talia ne lectores vel cum puritate dictionis simul procacitatem discerent, vel saltem in percurrendo offenderentur, non sum ausus tamen in alieno opere quicquam immutare.

XXVI. Errores in Nizolio et multi sunt, et magni, quorum plures in breviculis notis quas minutiori typo insertas adjeci, sunt tacti, aliquorum vero extantiorum etiam hic mentio facienda est. Nimirum ille palmarius est, quod Scholasticorum vitia Aristoteli imputat, et modestiores se viros, Johannem Picum, Leonicenum, Rudolph. Agricolam, Vivem, etiam conviciis lacessit, et adulationis insimulat, quod eximere Aristotelem conentur; quum tamen nostro seculo post tot in Aristotelem doctissimorum et prioris barbariei dissimillimorum interpretum curas nihil sit compertius, quam Aristotelem omnis illius ineptiae purum et insontem esse, qua scholastici passim inquinantur. Errores ejus quicunque sunt, tales tamen sunt, ut facile internoscas lapsus viri magni et in rerum luce versati, a vertiginosis deceptionibus imperiti alicujus claustralis. Hoc demonstratum satis dedere primum superiore seculo Itali interpretes: Augustin. Niphus, Angelus Mercenarius, Alexander et Franciscus Piccolominaei, Caesar Cremoninus, M. Antoninus Zimara, Simon Simonius, Jacobus Zabarella, Franc. Vicomercatus, et tot alii. Hoc vero seculo illustrati Aristotelis Germanis maxime laus debetur. Nam partem de demonstratione, quae vulgo Aristotelis adversariis pro menstruo est, Corn. Martini, et Jungius et Joh. a Felden non mediocriter illustrarunt, quanquam enim Feldeni in Topicis et analyticis Aristotelis ad usum transferendis eruditissimae albique lapidis calculo dignissimae meditationes nondum sint editae, speramus tamen quamprimum eas ab ipso autore editum iri; ad Metaphysicam Aristotelis solide comprehendendam plurimum

contribuere Sonerus et Dreierus, ille in Academia Altorfina, hic in Regiomontana professor: Soneri institutiones non ita dudum, autore jam olim mortuo, prodiere. Dreieri Sapientia universalis seu prima philosophia ex Graecoram potissimum interpretum sententiis ad praeclaram harmoniam concinnata est, ex qua intelligi satis potest, quam gravi consilio sua agressus sit Aristoteles, quam praeclaro ordine collocaverit, quam denique magnifice sit exequutus. Philosophia Aristotelis naturalis generalis (nam quae particularis est, ejus realitas per se lucet) ad usum maxime et solidas de rerum natura nationes traducta est a solidissimo Viro Abdia Trew Mathematicarum scientiarum professore Altorfino, qui Physicam Aristotelis generalem ad morem mathematicum traditam scripsit. Et certe Aristotelem a surdis illis et nullum intellectum patientibus dogmatibus, quae ei publica superiorum temporum ignorantia affinxit longissime affuisse, illas tot formalitatum realitates prorsus ignorasse, notiones tantum generalissimas tradidisse, satis ostendunt, quicunque nunc in Aristotele cum Recentioribus conciliando operam ponunt, quod partim acutissimus Thomas Anglus ad mentem tamen illustris Digbaei, partim Clarissimus Raeus ostendere in se susceperunt. Quod consilium quum sit optimum, et rei literariae necessarium, ne utilia cum vanis aboleantur, et nonnullorum somnia de abjiciendo prorsus Aristotele in animis incautae juventutis invalescant; visus est hic locus opportunus, cui excerpta quaedam mea ex prolixa aliqua Epistola non ita dudum ad celeberrimum Peripateticum Germanum, Virum praeter accuratissimam philosophiae cognitionem (aliquot jam praeclaris speciminibus orbi declaratam, et quod opto, multo pluribus, quorum illi ingens copia suppetit, declarandam) in omni eruditione exquisitissimum data, adjiciantur: quae proinde praefationi huic nostrae statim subnectemus[1]), nihil veriti, ne post praefationem jam tum prolixam, patientia lectoris abutamur. Qui si aequus est in re tam necessaria etiam prolixiores nos facile feret; sin iniquus, sciat nihil ad nos judicia sua pertinere. In Morali ac Civili philosophia Aristotelem profundius assequuti sunt prae caeteris πολυμαθέστατος Conringius, Joh. a Felden ICtus, notis in Grotium, et Elementis Jurisprudentiae universalis et Analysi politicorum Aristotelis celebris, ac denique Clarissimus Vir Jacobus Thomasius, cum in multis varii argumenti diatribis, tum inprimis in Tabulis philosophiae practicae exquisitissimis ac plane a caeterarum inanitate alienis, ut de Heinsii paraphrasi nihil dicam: (cujus etiam in physica Aristotelica tum praeclara introductio, tum de origine formarum disquisitio, tum de laudibus Aristotelis oratio insignis extat) libros Aristotelis politicos disjectos et hiatibus deformes, in alium longe ordinem redegit, eumque ipsius Aristotelis fuisse multis argumentis acutissimis ostendit, ut de caeteris ejus in illa philosophiae parte scriptis limatissimis nihil dicam. Hos jam quos dixi interpretes, qui adhibebit, sine fidiculis, credo, fatebitur, longe alium Aristotelem esse, quam qui vulgo depingitur, nec cum Valla, Nizolio, Bassone, aliisque Aristotelomastigibus, refundi in autorem textus debere, quae interpretum vel imperitia, vel si tempora spectemus, quibus vixere, infelicitas peccavit.

XXVII. Nam nec illud praetereundum est, iniquos esse, qui illorum temporum lapsus tam acerbe perstringunt; tu si illic sis, aliter sentias. Quum historia et civilis et philosophica delitesceret, quum scriptores optimi non nisi pessime translati haberentur, quum typographiae beneficio destitutis aut sumtuosissime omnia aut molestissime transscribenda essent, et unius inventa ad caeterorum notitiam raro, nec nisi tarde pervenirent (unde fit, ut nunc saepe ex collatione scriptorum deprehendantur, quae etiam coaevi ignorarunt) non mirum fuit graviter et saepe labi, miraculi potius instar fuit vel mediocriter aliquid in literis et vera philosophia praestare. Quare etiam, sicubi mihi aliquid durius hic currente calamo excidit, id de temporum magis miserabili fato, quam hominum ignavia intellectum volo. Illi potius culpandi sunt, qui nunc quoque, inventa fruge, glandibus vesci malunt, et pertinacia potius quam ignorantia peccant. Nec vereor dicere, Scholasticos vetustiores nonnullis hodiernis et acumine et soliditate et modestia et ab inutilibus quaestionibus circumspectiore abstinentia longe praestare: hodierni enim nonnulli quum vix quicquam dignum typis addere veteribus possint, hoc unum faciunt, ut allegata opinionum cumulent, et innumeras frivolas quaèstiones excogitent, et unum argumentum in multa partiantur, et mutent methodum, et terminos fingantque atque refingant. Ita illis tot tamque grandes libri nascuntur.

XXVIII. Quam vero longe sint acumine inferiores superioribus superioris et hujus seculi Scholastici, documento esse potest secta Nominalium, omnium inter Scholasticas profundissima, et hodiernae reformatae philosophandi rationi congruentissima: quae quum olim maxime floreret, nunc, apud scholasticos quidem, extincta est. Unde conjicias decrementa potius quam augmenta acuminis. Quum

[1]) sc. Ep. ad Thomas., p. 84. huj. ed.

autem ipse Nizolius noster se Nominalem exserte profiteri non dubitet (prope finem capitis sexti libri primi) et vero in realitate formalitatum et universalium evertenda nervus disputationis ejus omnis potissimum contineatur, pauca quaedam de Nominalibus subjicere operae pretium duxi. Nominales sunt, qui omnia putant esse nuda nomina praeter substantias singulares, abstractorum igitur et universalium realitatem prorsus tollunt. Primum autem nominalium aiunt fuisse nescio quem Rucelinum Britonem, cujus occasione cruenta certamina in academia Parisiensi fuerunt excitata. Refert in eum ejusmodi Epigramma Aventinus:

Quas Ruceline doces, odit Dialectica voces,
Jamque dolens de se, non vult in vocibus esse;
Res amat, in Rebus cunctis vult esse diebus.
Voce retractetur, res sit, quod voce docetur;
Plorat Aristoteles nugas tradendo seniles,
Res sibi subtractas per voces intitulatas;
Porphyriusque gemit, quia res sibi lector ademit;
Qui res abrodit, Ruceline, Boetius edit.
Non argumentis, nulloque Sophismata sentis
Res existentes in vocibus esse manentes.

Diu autem jacuit in tenebris secta Nominalium, donec maximi vir ingenii, et eruditionis pro illo aevo summae, Wilhelmus Occam Anglus, Scoti discipulus, sed mox oppugnator maximus, de improviso eam resuscitavit; consensere Gregorius Ariminensis, Gabr. Biel, et plerique ordinis Augustinianorum, unde et in Martini Lutheri scriptis prioribus amor Nominalium satis elucet, donec procedente tempore erga omnes Monachos aequaliter affectus esse coepit. Generalis autem regula est, qua Nominales passim utuntur: Entia non esse multiplicanda praeter necessitatem. Haec regula ab aliis passim oppugnatur quasi injuria in Divinam ubertatem, liberalem potius quam parcam, et varietate ac copia rerum gaudentem. Sed, qui sic objiciunt, non satis mihi nominalium mentem cepisse videntur, quae, etsi obscurius proposita, huc redit: Hypothesin eo esse meliorem, quo simpliciorem, et in causis eorum quae apparent reddendis eum optime se gerere, qui quam paucissima gratis supponat. Nam qui aliter agit, eo ipso naturam, aut potius autorem ejus Deum ineptae superfluitatis accusat. Si quis Astronomus rationem phaenomenorum coelestium reddere potest paucis suppositis, meris nimirum motibus simplicibus circularibus, ejus certe hypothesis ejus hypothesi praeferenda erit, qui multis orbibus varie implexis ad explicanda coelestia indiget. Ex hac jam regula Nominales deduxerunt, omnia in rerum natura explicari posse, etsi universalibus et formalitatibus realibus prorsus careatur; qua sententia nihil verius, nihil nostri temporis philosopho dignius, usque adeo, ut credam ipsum Occamum non fuisse Nominaliorem, quam nunc est Thomas Hobbes, qui, ut verum fatear, mihi plusquam nominalis videtur. Non contentus enim cum Nominalibus universalia ad nomina reducere, ipsam rerum veritatem ait in nominibus consistere, ac, quod majus est, pendere ab arbitrio humano, quia veritas pendeat a definitionibus terminorum, definitiones autem terminorum ab arbitrio humano. Haec est sententia viri inter profundissimos seculi censendi, qua, ut dixi, nihil potest esse nominalius. Idem dicendum est de nostri temporis philosophiae Reformatoribus, eos si non plusquam Nominales tamen Nominales esse fere omnes. Tanto igitur aptior his temporibus Nizolius erit.

XXIX. Nunc ad Nizolii errores redeundum est, ex quibus, post Aristotelem interpretibus confusum, palmarius est omnimoda illa Dialecticae et Metaphysicae abolitio, quum tamen et Nominales iisdem licet principiis nixi retinuerint. Et vero quis neget, esse quaedam praecepta tum artis cogitandi seu scientiae de mente, tum pietatis naturalis, seu scientiae de summa rerum, id est Metaphysicae; nam etsi iliam ad Oratoriam seu artem dicendi, hanc ad Physicam seu scientiam naturae pertinere velit, eo argumento quod et veteres tantum tres fecerint Encyclopaediae partes, Logicam, Physicam et Ethicam (quo facile effecerit, ne Mathematicas quidem scientias peculiares esse): nihil tamen prohibet accuratius partes subdistinguere, et dialecticae separatam a Rhetorica, ut et grammaticae datur, Metaphysicae seu Theologiae separatum a Physica, ut et Mathesi datur, locum assignare. Illud quoque minime ferendum est, quod demonstrationem, qualem descripsit Aristoteles, prorsus e natura rerum tollit, levibus certe argumentis, ex quibus potissimum est: quod universalia non sint in rerum natura, (quum tamen sufficiat ad demonstrandum: nomina esse universalia); deinde quod exemplum ejus hactenus interpretes magno conatu frustra quaesiverint. Ego vero contra arbitror, passim in libris Aristotelis, imo et ipsius Nizolii, occurrere accuratas et perfectas demonstrationes. Quod ipsum demonstrare, et a non intelligentium objectionibus nobilissimam artem demonstrandi vindicare, peculiari operae servo.

XXX. Quod item contendit genuina Aristotelis opera nunc non haberi, idque locis potissimum Ciceronis, mihi nunquam persuaserit. Nam quid mirum est, hominem politicum et infinitis curis obrutum, qualis erat Cicero, nonnunquam

subtilissimi cujusdam Philosophi sententias, fugiente oculo lectas, non satis assequi? qui credit Aristotelem in veris suis operibus Deum appellasse Καῦμα οὐρανοῦ, ardorem coeli, nae is Aristotelem fatuum putat; et quum sapientem et ingeniosum habeamus, per vim nobis ineptum et stultum obtrudit. Novum hoc Criticae artis genus est, in dignoscendis scriptis autoris omnium confessione ingeniosi, quaedam pro supposititiis habere, quia stultum aliquid autori a conviciatoribus impositum (nam nec Cicero nisi alia sibi persona Aristoteli iniqua imposita haec loquitur) in iis non reperitur. Mihi genuitatem operum Aristoteleorum, quicquid dicant Joh. Francisc. Picus in Examine Vanitatis doctrinae gentium, quicquid Nizolius, quicquid Petrus Ramus, quicquid Patricius, quicquid in Apologia magnorum virorum Magiae suspectorum, ubi et hunc Nizolius librum citat, Naudaeus, satis superque persuadet perspecta hypothesium inter se harmonia, et aequalis ubique methodus velocissimae subtilitatis.

XXXI. Ultimo loco gravis aliquis error Nizolii circa universalium naturam dissimulari non debet; potest enim lectorem non satis cautum a vero philosophandi tramite penitus abducere. Persuadere conatur nobis, universale nihil aliud esse quam omnia singularia collective simul sumta; et quum dico: omnis homo est animal, sensum esse: omnes homines sunt animalia. Hoc quidem vere, sed hinc non sequitur: universalia esse totum collectivum. At probat Nizolius: Omne totum est aut continuum aut discretum. Universale autem est totum, non continuum vero, discretum igitur. Totum autem discretum est collectivum, et eadem est ratio generis hominum, quae gregis. Et par est ratio hujus propositionis, omnis homo (seu totum genus humanum) est rationalis, quae hujus: omnes pecudes quae hic pascuntur sunt albae, vel totus grex est albus. At erras, Nizoli; datur enim aliud totius discreti genus praeter collectivum, nimirum: distributivum. Quum igitur dicimus: omnis homo est animal, seu omnes homines sunt animalia, sensus est distributivus, sive illum, (Titium) sive hunc (Cajum) etc. sumseris, reperies, esse animal, seu sentire. Et si Nizoliano more omnis homo, seu omnes homines sunt totum collectivum, et idem quod totum genus humanum, sequetur absurda loquutio. Nam si eadem sunt, age in propositione ista: omnis homo est animal, vel omnes homines sunt animalia, substituamus totum genus humanum, orietur haec propositio, plus quam inepta: totum genus humanum est animal; similiter de grege est propositio: omnes pecudes, quae hic pascuntur, seu universale ab iis abstractum, idem est cum toto ex iis collecto, grege, ut vult Nizolius; vera erit haec propositio: totus grex est ovis, vel saltem si succurrere ei velis: totus grex est oves, quod ipsum tamen satis vere non dicitur. Sed et aliud exemplum minus postremo effugio commodum videamus; ICti veteres quos Nizolius opinor non negavit Latine simul et accurate loquutos, genus legatum aiunt, si quis sic leget: Titio equum meum do lego. Jam Nizolii sensu, quum genus sit totum ex singularibus collectum, erit idem ac si dixisset: Titio omnes equos meos do lego. Egregio, si diis placet, jurisprudentiae specimine. Contra, substituto toto distributivo, plana res est, sensus enim erit: Titio illum aut illum equum do lego. Addamus hoc quoque: cum dico omnis homo est animal, si genus de specie dicitur, et genus est universale, universale totum genus ex singularibus collectum, substituamus voci animalis omnia animalia simul sumta; orietur haec propositio: Homo est omnia animalia simul sumta. Quum sufficiat homini esse quoddam animal, seu aliquod ex universo animalium genere.

XXXII. Nec vero error hic Nizolii levis est, habet enim magnum aliquid in recessu. Nam si universalia nihil aliud sunt quam singularium collectiones, sequetur, scientiam nullam haberi per demonstrationem (quod et infra colligit Nizolius), sed collectionem singularium, seu inductionem. Sed ea ratione prorsus evertuntur scientiae, et Sceptici vicere. Nam nunquam constitui possunt ea ratione propositiones perfecte universales; quia inductione nunquam certus es, omnia individua a te tentata esse; sed semper intra hanc propositionem subsistes, omnia illa, quae expertus sum, sunt talia; quum vera non possit esse ulla ratia universalis, semper manebit possibile, innumera, quae tu non sis expertus, esse diversa. At, inquies, ignem (id est corpus quoddam lucidum, tremulum, tenue) ex lignis ordinario modo suscitatum urere, dicimus universaliter, etiamsi nemo sit omnes tales ignes expertus, sed quia in iis, quos experti sumus, res comperta est. Ita est: hinc conjicimus, et morali etiam certitudine credimus: omnes ignes ejusmodi urere, et usturos te si manum admoveas. Sed haec moralis certitudo non fundata est in sola inductione, ex ea enim nullis eam fidiculis collegeris: sed ex additione seu adminiculo harum propositionum universalium non ab inductione singularium, sed idea universali seu definitione terminorum pendentium: (1) Si eadem vel per omnia similis est causa, idem vel per omnia similis est effectus. Et hujus (2) existentia rei, quae non sentitur, non praesumitur; et denique hujus: (3) Quicquid non praesumitur, in praxi habendum est pro nullo, antequam probetur. Ex his conficitur certitudo practica vel moralis hujus propositionis, quod omnis ille ignis uret. Nam esto ignis ille talis quicunque qui mihi nunc offeratur; aio esse per omnia (quantum ad rem pertinet) similem prioribus, quia, per hypothesin, non sentio dissimilitudinem ad rem facientem, jam quod non sentitur, non praesumitur, per adminiculum 2. Quod non praesumitur, est in praxi tenendum pro nullo, per adminiculum 3. Ergo per omnia similem esse, (quantum ad rem pertinet) est in praxi tenendum. Jam per omnia similis effectus, per adminiculum 1. nimirum ustio, per hypothesin: Ergo ignem talem quemcunque oblatum, seu omnem illum ignem usturum, est in praxi tenendum. Quod erat demonstrandum. Hinc jam patet, inductionem per se nihil producere, ne certitudinem quidem moralem, sine adminiculo propositionum non ab inductione, sed ratione universali pendentium; nam si essent et adminicula ab inductione, indigerent novis adminiculis nec haberetur certitudo moralis in infinitum. Sed certitudo perfecta ab inductione sperari plane non potest, additis quibuscunque adminiculis, et propositionem hanc: totum majus esse sua parte, sola inductione nunquam perfecte sciemus. Mox enim prodibit, qui negabit ob peculiarem quandam rationem in aliis nondum tentatis veram esse, quemadmodum ex facto scimus Gregorium a S. Vincentio negasse, totum esse majus sua parte, in angulis saltem contactus; alios in infinito; et Thomam Hobbes, (at quem virum!) coepisse dubitare de propositione illa Geometrica a Pythagora demonstrata, et hecatombae sacrificio digna habita; quod ego non sine stupore legi. Atque hi sunt potissimi Nizolii nostri errores, alios partim notulis inspersis tetigimus, partim tales esse judicavimus, ut ab attento lectore, qui haec nostra praemittere dignatus sit, deprehendi non magno negotio possint. Nunc igitur loquacissimae, sed, ni fallor, necessariae, praefationi finis imponendus est. Si quis metuit, ne domus porta elabatur, cogitet aditum nostrum tam vastum, domum tam parvam esse, quia coepta est tantum; si post Logicam, caeterarum quoque partium similis repurgatio accesserit, tum faxo ut in justam omnia symmetriam redeant, nec quisquam amplius de magnitudine atrii, parvitate areae conqueratur. Quod superest, vale, Lector benevole, et studium tuis commodis consulendi boni consule.

VI.
DE VITA BEATA.

(Autographum Leibnitii nondum editum, quod in scriniis Bibliothecae Regiae Hanoveranae reperitur.)

Vita beata est, animo perfecte contento ac tranquillo frui; ad quam acquirendam necesse est ut quilibet:

1. Conetur ingenio suo quam poterit optime uti ad ea, quae in vitae casibus facere vel fugere debeat, cognoscenda; breviter: ut assidue quid dictet ratio cognoscat. Hinc Sapientia.

2. Sit semper in firmo ac constanti proposito ea omnia faciendi, quae sua ratio ipsi suadebit, nec passionibus aut appetitibus ab hoc abduci se permittat; breviter: ut cognitum quod in sua potestate est, quicquid ut contrarium affectus suadeat, assequatur; hinc Virtus.

3. Attendat quod, quamdiu ex ratione quantum fieri potest se gerit, bona illa, quibus tunc caret, omnia sint absolute extra suam potestatem, atque hoc ratione ipsis non cupiendis assuescat: breviter: ut, assecutus cognita et cum ratione expedita et in potestate existentia, nulla de re conquerendo acquiescat; hinc Animi tranquillitas.

PARS I.
DE SAPIENTIA.

Sapientia est perfecta earum rerum, quas homo novisse potest, scientia, quae et vitae ipsius regula sit et valetudini conservandae artibusque omnibus inveniendis inserviat. Ut vero discamus recte agere rationem ad detegendas veritates quas ignoramus, sequentes observationes proderunt:

1. Ut nihil unquam veluti verum admittamus nisi quod tam clare et tam distincte rationi no-

strae patet, ut nullo modo in dubium possit revocari.

2. Ut omnem praecipitantiam atque anticipationem in judicando quam diligentissime vitemus, nihilque complectamur in conclusione amplius quam quod in praemissis continetur.

3. Ut difficultates, quos examinaturi sumus in tot partes dividamus, quot expedit ad illas commodius resolvendas.

4. Ut cogitationes omnes, quas veritati impendimus, certo semper ordine promoveantur, incipiendo scilicet a rebus simplicissimis et cognitu facillimis, ut sic paulatim, et quasi per gradus, ad difficiliorum et magis compositorum cognitionem ascendamus.

5. Ut in aliquem etiam ordinem mente ea disponamus, quae se mutuo ex natura sua non praecedunt.

6. Ut tum in quaerendis mediis, tum in difficultatum partibus percurrendis tam perfecte singula enumeremus, et ad omnia circumspiciamus, ut nihil a nobis omitti certi simus.

Cum autem usus harum observationum ab exercitatione maxime pendeat, consultum est, ut ad has regulas in usum referendas diu nos in facilibus simplicibusque quaestionibus, cujusmodi sunt mathematicae, exerceamus, cui fini utilis Algebra est. Et postquam in veritate harum quaestionum detegenda, aliquam facilitatem nacti erimus, serio nos applicabimus verae philosophiae, hoc est studio sapientiae. Porro haec philosophia velut arbor est, cujus radices metaphysica, truncus physica, rami ex eo pullulantes omnes aliae scientiae, quae ad tres praecipue revocantur, Mechanicam, Medicinam et Ethicam. Utile autem erit hunc observare in studiis modum, ut paucas horas iis studiis demus, quae imaginationem exercent, paucissimas illis, quae solo intellectu percipiuntur, reliquum tempus vitae et relaxandis sensibus et corporis exercitiis et animi quieti demus; tantum enim abest, ut ingenium nostrum nimio studio perpoliatur, ut contra ab eo obtundatur.

PARS II.
DE VIRTUTE.

Virtus est vigor quidam mentis, quo ad ea quae bona esse credimus facienda ferimur.

Ut vero discamus certo firmare voluntatem nostram ad dirigendas actiones nostras in eo vitae genere, quod profitemur, sequentes observationes observandae:

1. Cum voluntas non determinetur ad aliquid persequendum vel fugiendum, nisi quatenus ei ab intellectu exhibetur tanquam bonum vel malum, sufficiet, si semper recte judicemus, ut recte semper faciamus.

2. Quoties circa aliquid, quid revera sit optimum, agnoscere non possumus, illud debemus sequi quod optimum videtur, vel certe etsi e duobus unum altero verisimilius non appareat, alterutrum tamen eligere. Nec vero est, cur poenitentia ducatur, qui illud fecit, quod optimum esse judicavit, eo tempore quo se ad actionem determinare debuit, quamquam idem postea cum otio secum reputans se errasse judicet, imo si res felicem non sortiatur successum. Nostrarum enim duntaxat cogitationum rei peragi possumus, neque porro natura hominis ea est, ut omnia sciat, praeterea etiam optima consilia non semper felicissima sunt.

3. Ut abstineamus a judicio ferendo de quacunque re quae nobis exhibetur, quamdiu passionibus et maxime ira agitamur, vel si hoc non fieri possit, ut sequamur rationes contrarias illis, quas passio suggerit, etsi minus validae appareant. Quoniam affectus bona, quae nobis offerunt, semper majora repraesentant, quae postea a nobis spe minora deprehendi solent. Cum igitur nullam amplius fidem habeamus ei, a quo aliquoties decepti fuimus, licet quam blandissime nobiscum agat, sic nulla tutior contra affectus cautio, quam ut, ubi sentitur ea sanguinis commotio, praemoneri ac meminisse oporteat, omnia quae se imaginationi offerunt, non alio spectare, quam ad animae deceptionem augendasque nimium rationes, quae objectum affectus commendant, aut contrarias debilitandas.

4. Quod, quamvis quivis nostrum personam constituit aliis diversam, nihilominus cogitare debemus, non posse quempiam per se solum consistere, sed concipi unumquemque debere velut partem universi et hujus reipublicae, societatis, familiae, quicum ortu, domicilio sacramento conjuncti sumus. Hinc enim voluptas nobis erit, omnibus prodesse, quia totius, cujus pars sumus, bonum privato bono debet anteponi. Quin et hoc nostra quoque intererit; certum est enim eos, qui officiosi habentur, multa etiam ab aliis, etiam quibus non profuerunt, amica officiacia accipere, laboresque quos in aliorum gratiam suscipiant, minores esse quam commoda quae ex eorum amicitia percipiunt. Non enim exspectantur a nobis nisi officia ea, quae commode possumus praestare, neque alia ab aliis exspectamus; saepe tamen fieri potest, ut quod aliis minimo constat, nobis maxime prosit, imo et vitam servare possit.

5. Sunt quaedam res in quibus vulgi exemplo potius et consuetudine, quam ulla certa ratione ducimur, unde fit, ut illud idem quod nobis maxime placuit ante decem annos, et forte post decem annos rursum placebit, nunc displiceat, et hinc quicquid ab hominum moribus abludat, statim pro ridiculo atque inepto habeatur. Erunt proinde examinandi sigillatim locorum, in quibus degimus, mores, ut exploratum habeamus quousque sunt imitandi, ne cum agendum erit unquam dubii simus; sola enim dubitatio aegritudinem et poenitentiam parit. Videndum autem, ut nos gubernemus juxta opiniones quam maxime moderatas et ab omni extremitate remotas. Unde aliis quoque indicabimus non optima in se ac perfectissima, sed ipsis utilissima, ac captui audientium accomodata, ne nosmet ipsos prostituamus. Nostra enim maxime interest (ad aliquos certe usus) a vulgo, sine quo vivere non possimus, aestimari. Cavendum etiam, ne promissionibus facile nobis libertatem mutandae postea voluntatis adimamus, omnia enim in mundo vicissitudinibus obnoxia sunt, ita ut, quod hodie optimum, brevi, mutato rerum statu, pessimum censeri possit. Nec denique in publicis aliquid reformare tentemus, nihil enim a vulgo aegrius fertur, quam eorum mutatio quibus assuevit. Caeterum certo nobis persuasum esse debet, vias justas et honestas esse omnium tutissimas et utilissimas, maximamque omnium esse astutiam, nulla astutia uti.

6) Tam arctam esse unionem inter animam et corpus, ut cogitationes illae, quae aliquos corporis motus ab ineunte aetate comitatae sunt, illos etiam nunc comitentur. Itaque eosdem motus, ab externa quacunque causa in corpore iterum excitatos easdem etiam in anima cogitationes reducere, et vicissim easdem cogitationes recurrentes eosdem etiam motus denuo producere: prodest tamen scire, quod licet hi motus animi et corporis natura et consuetudine sic juncti sint, posse tamen per habitum separari et jungi aliis valde differentibus. Unde evidens est, etiam eos ipsos, qui imbecilliores animas habent, posse acquirere imperium absolutissimum in omnes suas passiones, si satis industriae adhibeant. Quae licet initio molestissima videantur, consuetudine tamen fiunt dulcissima. Utile autem erit, quam diu nullis passionibus agitamur, ut nos ipsos exerceamus in considerandis bonis et malis, quae toto vitae nostrae cursu nobis obtingere possunt, justumque eorum pretium ponderemus, ut deinceps de illis solida judicia formemus, firmiterque statuamus haec fugere et illa quaerere, non obstantibus cogitationibus aut rationibus novis, quas passiones nobis suggerere possunt. Quia enim non possumus ad unum et idem animum perpetuo advertere, hinc fit ut quantumcunque clarae et evidentes fiant rationes quae aliquam nobis veritatem suaserunt, mox tamen falsis speciebus ab ea credenda abducamur, nisi crebra meditatione in habitum converterimus.

PARS III.
DE ANIMI TRANQUILLITATE.

Animi tranquillitas est mentis gaudium et satisfactio interna, producens in nobis summam ac solidissimam vitae nostrae voluptatem. Ut autem discamus bene dirigere cupiditatem, ut ad ea paratam se extendat, quae efficiunt, ut ex omnibus laetitia percipiatur, sequentes annotationes erunt observandae:

1. Inter res quas desiderare possumus, sunt quae omnino a nobis pendent, quae si ex vera boni cognitione procedant et ad nos perfectiores reddendos faciant, non possunt nimis fervide desiderari, eo quod ea, quae ad bonum tantum tendunt, quo vehementiora eo meliora: quae vero nullo modo a nobis pendent quantumvis bona queant esse, numquam fervide appetenda sunt, non solum quia possunt non inveniri et eo magis cruciare quo vehementius ea concupiverimus, verum praecipue quia, occupando nostras cogitationes, mentem studiumque nostrum abducant ab illis rebus, quarum acquisitio pendet a nobis; proderit quoque hic, si nobiscum reputemus, quod, exceptis illis rebus, quas Deus per suum decretum a nostro libero arbitrio dependere voluerit, impossibile sit, aliquid provenire alio modo, quam ab aeterno determinavit haec providentia, idque quod sic evenit, ideo optimum ac justissimum esse, adeo ut non absque gravi errore cupere possimus, ut aliter eveniat, nec cum ita accidat tristari, multo minus querimonias hinc instituere. Verum quia major pars cupiditatum nostrarum se extendit ad res, quae totae a nobis non pendent, nec totae ab aliis, debemus exacte distinguere in illis id, quod non nisi a nobis pendet, ut ad id solum nostram cupiditatem protendamus. Et quoad residuum, etsi ejus successum censere debeamus fatalem et immutabilem, nec circa illud se occupet nostra cupiditas; considerandae tamen sunt rationes, ex quibus plus vel minus sperari possit ut inserviant dirigendis nostris actionibus; atque sic fit, ut, quoniam desideriorum nostrorum impletio non nisi a nobis pendet, semper nobis plenam satisfactionem dare possint.

2. Sapientis esse, se fortunae imperio ita subducere ut, licet illis quae sese offerunt commodis amplectendis non desit, tamen putet minime se infecilem si denegentur, atque iis resistendo aut permittendo duplici fruetur voluptate magisque

gustabit hujus vitae dulcedines, in quibus alius, non recte adhibitis, acerbissima potest ac amara quaeque experiri.

3. Consideranda est *mentis nostrae* (hoc est substantiae quae in nobis conscia est) *natura*, quatenus absque corpus consistet atque illo longe nobilior est et innumerarum quae in hac vita non occurrunt voluptatum capax. Hinc enim nos ut immortales considerando summarumque voluptatum capaces, inde autem nos mortalibus et caducis corporibus, multis infirmitatibus obnoxiis, et paucos intra annos perituris, conjunctos esse, equidem nihil omittemus quo nobis fortunam in hac vita aequam reddamus, de caetero tamen, comparatione aeternitatis, hac vita non magis affici debemus quam si comoediarum exitum spectemus.

4. *Deum esse* cogitemus, hoc est ens summe perfectum, a quo rerum omnium existentia singulis momentis dependet, qui una cogitatione quicquid fuit, est, erit, aut esse potest tuetur, cujus perfectiones sunt infinitae, potestas immensa, decreta infallibilia; a hac enim ratione docemur, casus nostros aequo animo accipere utpote a Deo nobis haud temere immissos, et quia verum amoris objectum est perfectio, si quando mentem nostram ad ejus naturam spectandam elevamus, nos ad ejus amorem tam naturaliter proclives deprehendimus, ut ex nostris etiam afflictionibus gaudium percipiamus, reputantes voluntatem ejus impleri hoc ipso quod in illas incidamus. [Deum consideremus ut Ens summe perfectum, hoc est cujus perfectiones nullum terminum involvunt, hinc enim clarum fiet, non minus repugnare cogitare Deum (h. e. ens summe perfectum) cui desit existentia (hoc est cui desit aliqua perfectio), quam cogitare montem cui desit vallis. Ex hoc enim solo, absque ullo discursu, cognoscemus Deum existere, eritque nobis non minus per se notum, tam necessario ad ideam Entis summe perfecti pertinere existentiam, quam ad ideam alicujus numeri aut figurae pertinere, quod in ea clare percipimus. Unde simul, quisnam Deus sit, quantum naturae nostrae fert infirmitas agnoscemus, ad ideam enim ejus ingenitam tantum respicientes inveniemus *providentiae ejus* incircumscriptam extensionem, per quam una cogitatione quicquid fuit, est, erit aut esse poterit intuetur, *decretorum infallibilem certitudinem*, quae nequaquam mutari possunt, *potentiae immensas vires*, quas perspectas habebimus, si de Dei operibus digne statuamus vastamque illam de idea universi ideam habeamus, quam praestantes philosophi veteres novique animo concepere, cogitemusque tantae molis existentiam singulis momentis ab eo dependere. Horum itaque omnium consideratio hominem eorum probe gnarum tanto gaudio perfundet, ut jam satis se vixisse arbitraturus sit, ex quo tales ei cogitationes Deus indulserit. Et quoniam verum amoris objectum est perfectio, si quando mentem suam ad naturam ejus speculandam elevat, se ad ejus amorem naturaliter tam proclivem deprehendit, ut ex *suis* etiam afflictionibus gaudium percipiat, reputans voluntatem ejus hoc ipso impleri, seque cum illo voluntate sua conjungens tam perfecte eum amat, ut nihil prius habeat in votis, quam ut Dei voluntas fiat]. Inde fit, ut talia considerans mortem, dolores, aerumnas metuere desinat, cum sciat nihil posse sibi accidere, quod non Deus decreverit divinumque illud decretum tam justum ac necessarium existimet, tamque se illi subjici debere perspectum habeat, ut etiam cum ab illo mortem aut aliquid mali exspectat, etiamsi (quod impossibile est) supponeretur posse, tamen nollet immutare. Sed si mala calamitatesque non refugit, quippe quae sibi a providentia immittuntur, certe longe minus bona repudiat licitasque voluptates, quibus in hac vita frui potest, cum ab eadem providentia proficiscantur, atque ita dum bona laetus amplectitur, malorum omnium metu vacuus, suo in Deum amore beatur.

5) Ut accurate constet quanti sit quidlibet ad beatitudinem nostram, *attendendum* est, *ex quibusnam causis voluptas nostra oriatur*: hujus enim potissimum rei cognitio virtutis exercitium facilius efficere potest. Sciendum est itaque, omnes animae nostrae actiones, quae aliquid nobis perfectionis acquirunt, secundum virtutem esse, totam autem voluptatem nostram positam esse in perfectionis alicujus nostrae conscientia, quo posito sequitur, nullam unquam virtutem exerceri posse, hoc est numquam fieri posse a nobis quod ratio dictat, quin id nos voluptate profundat. Unde possibile est ex labore et cura multo majorem quam ex risu et quiete voluptatem percipi. Sic etiam quo difficiliores superatu sunt affectus nostri, hoc majore animum voluptate implent, est enim menti maximo oblectamento, suas ita vires experiri. Sic denique generatim oblectatur mens persentiscendo affectus in se qualescunque commoveri, modo maneat ejus in illos imperium. Nulli quoque hinc eventus adeo tristes sunt, et vulgi judicio absolute mali, ex quibus non rationis ope aliquid utilitatis percipi possit, quique ullam habere possint nocendi animae nostrae vim, modo satis semperque habeat apud se unde contenta sit, sed potius augere ejus laetitiam, si observet, se ab illis laedi non posse, quod facit ut magis agnoscat perfectionem suam. Verum cum voluptates corporis sint quae, imaginationi se confuse offerentes, ap-

parent saepe longe majores quam revera sunt, praesertim antequam possideantur, quae malorum omnium omniumque in vita errorum origo est, observandum (ne specie illarum decipiamur) voluntatem ex magnitudine perfectionis illam producentis esse aestimandam. Ut itaque anima nostra perfecte contenta sit, nihil aliud debet quam virtutem exacte sectari; quicunque enim ita agit, ut conscientia sua exprobrare ei nequeat, ipsum unquam neglexisse ea facere, quae meliora judicavit (quod est sectari virtutem), inde habet satisfactionem, quae tam potens est ad efficiendam felicitatem, ut violentiores etiam affectuum motus nunquam sat habeant virium ad turbandam animi tranquillitatem.

EPILOGUS.

Haec in habitum conversa generant *generositatem*, quae efficit, ut homo se existimet quantum potest legitime. Haec autem in eo consistit, partim ut norit nihil revera suum esse excepta hac libera dispositione suarum voluntatum, nec se laudari aut vituperari debere nisi quod illa bene aut male utatur, partimque quod sentiat in se ipso firmum ac constans propositum ea bene utendi, id est numquam carendi voluntate, suscipiendi et exequendi omnia quae judicaverit meliora esse, quod est perfecte sequi virtutem. Qui hoc de se norunt et sentiunt, illi sibi facile persuadent, singulos alios homines idem de se ipsis sentire aut sentire posse, quoniam in eo nihil est, quod ab alio et non ab ipsis pendeat. Idcirco neminem unquam contemnent et etsi videant alios admittere sphalmata, quae ostendunt eorum imbecillitatem, sunt tamen proniores ad eos excusandos, quam carpendos, et ad credendum, eos potius ex notitiae quam bonae voluntatis defectu peccare, et quamvis odio habeant vitia, non ideo tamen oderunt eos, quos illis vident obnoxios, sed solum eorum miserentur. Ac prout non se putant multo inferiores iis, qui plura bona aut honores possident, aut qui ingenio, eruditione, formave praepollent, vel alios caeteros superant in aliis quibusdam perfectionibus, ita nec se multo superiores existimant iis, quos similiter in his praecellunt, quod haec omnia illis videantur haud magna consideratione digna prae bona illa voluntate, ex qua sola se aestimant.

Ac sic generosiores solent humiliores quoque esse; *humilitas* autem consistit in ea reflexione, quam facimus supra infirmitatem nostrae naturae, et errores quas olim potuimus et deinceps possumus committere, qui non minores sunt iis qui ab aliis committi possunt, efficitque, ut nos nemini praeferamus, reputantes caeteros qui pollent nobiscum suo libero arbitrio aeque bene ac nos eo posse uti. Qui hoc modo generosi sunt, naturaliter ad magna patranda feruntur, sic tamen, ut nihil suscipiant, cujus se non capaces sentiant, et quoniam nihil magis reputant quam bene facere aliis hominibus proprio saepe commodo contento, hic perfecte *humani*, *affabiles*, *officiosi* erga unumquemque sunt. Affectibus autem suis, sed inprimis invidiae ac zelotypiae dominantur, quod reputent nihil cujus acquisitio a se non pendeat tanti esse, ut multum debeat exoptari, et *odio* erga homines quia omnes aestimant, et *metui*, quod fiducia propriae virtutis sint securi, et *irae*, quod parvi pendentes quaecunque pendent ex aliis, numquam tantum concedant suis adversariis, ut se ab illis laesos agnoscant. Denique numquam quaerelas ducunt neque enim perfecte contentus est, qui habet adhuc, de quo conqueratur.

VII.

DIALOGUS

DE

CONNEXIONE INTER RES ET VERBA, ET VERITATIS REALITATE.

1677.

(Oeuvres philosophiques latines et françaises de feu Mr. de Leibniz tirées de ses manuscrits, qui se conservent dans la bibliothèque Royale à Hanovre et publiées par Mr. Rud. Eric Raspe. Amst. et Leipz. 1765. 4. p. 505.).

A. Si filum Tibi daretur, quod ita flectere debeas, ut in se redeat et quantum plurimum spatii comprehendat, quomodo id flecteres?

B. In orbem. Ostendunt enim Geometrae circulum esse capacissimum figurarum ejusdem ambitus: et si duae sint insulae, una orbicularis, altera quadrata, quae aequali tempore circumiri possint, orbicularem plus agri continere.

A. Hoccine verum esse putas, etiamsi a Te non cogitetur?

B. Imo, antequam vel Geometrae id demonstrassent, vel homines observassent.

A. Ergo in rebus non in cogitationibus veritatem ac falsitatem esse putas?

B. Ita sane.

A. An res aliqua falsa est?

B. Non res puto, sed cogitatio vel propositio de re.

A. Itaque falsitas est cogitationum, non rerum?

B. Cogor fateri.

A. Nonne ergo et veritas?

B. Videtur; subdubito tamen an valeat consequentia.

A. Nonne proposita quaestione, antequam sententiae certus sis, dubitas verumne aliquid vel falsum sit?

B. Certe.

A. Agnoscis ergo idem esse subjectum veritatis et falsitatis capax, donec alterutrum ex particulari quaestionis natura constet?

B. Agnosco et fateor, si falsitas sit cogitationum etiam veritatem esse cogitationum non rerum.

A. Sed hoc illi contradicit, quod supra dixisti, verum esse etiam quod a nemine cogitatur?

B. Perplexum me reddidisti.

A. Tentanda tamen conciliatio est. Putasne omnes cogitationes, quae fieri possent, reapse formari, vel ut clarius jam dicam, putasne omnes propositiones cogitari?

B. Non puto.

A. Vides ergo veritatem esse propositionum seu cogitationum, sed possibilium, ita ut illud saltem certum sit, si quis hoc aut contrario modo cogitet, cogitationem ejus veram aut falsam fore?

B. Recte nos expediisse videris ex lubrico loco.

A. Sed quoniam caussam aliquam adesse necesse est, cur cogitatio aliqua vera aut falsa futura sit, hanc ubi quaeso quaeremus?

B. In natura rerum puto.

A. Quid si ea oriatur ex natura Tua?

B. Certe non ex sola; nam necesse est et meam et rerum, de quibus cogito, naturam talem esse, ut, quando methodo legitima procedo, propositionem, de qua agitur, seu veram seu falsam concludam.

A. Pulcre respondes. Sunt tamen difficultates?

B. Quaenam obsecro?

A. Quidam viri docti putant veritatem oriri ab arbitrio humano et ex nominibus seu characteribus?

B. Valde paradoxa haec sententia est.

A. Sed eam ita probant. Nonne definitio est principium demonstrationis?

B. Fateor, nam ex solis definitionibus inter se junctis propositiones aliquae demonstrari possunt.

A. Talium ergo propositionum veritas pendet a definitionibus?

B. Concedo.

A. At definitiones pendent ab arbitrio nostro?

B. Quid ita?

A. Nonne vides in arbitrio esse Mathematicorum uti voce Ellypseos ut significet figuram quandam? Et in arbitrio Latinorum fuit, voci Circulus imponere significationem, quam exprimit definitio?

B. Quid tum? Cogitationes fieri possunt sine vocabulis.

A. At non sine aliis signis. Tenta quaeso an ullum arithmeticum calculum instituere possis sine signis numeralibus? (Cum Deus calculat et cogitationem exercet fit mundus).

B. Valde me perturbas, neque enim putabam characteres vel signa ad ratiocinandum tam necessaria esse.

A. Ergo veritates Arithmeticae aliqua signa seu characteres supponunt?

B. Fatendum est.

A. Ergo pendent ab hominum arbitrio?

B. Videris me quasi praestigiis quibusdam circumvenire.

A. Non mea haec sunt, sed ingeniosi admodum scriptoris.

B. Adeone quisquam a bona mente discedere potest, ut sibi persuadeat veritatem esse arbitrariam et a nominibus pendere, cum tamen constet eandem esse Graecorum, Latinorum, Germanorum Geometriam?

A. Recte ais. Interea difficultati satisfaciendum est.

B. Hoc unum me male habet, quod nunquam a me ullam veritatem agnosci, inveniri, probari animadverto nisi vocabulis vel aliis signis in animo adhibitis.

A. Imo si characteres abessent, nunquam quicquam distincte cogitaremus, neque ratiocinaremur.

B. At quando figuras Geometriae inspicimus, saepe ex accurata earum meditatione veritates eruimus.

A. Ita est; sed sciendum etiam has figuras habendas pro caracteribus, neque enim circulus in charta descriptus verus est circulus, neque id opus est sed sufficit eum a nobis pro circulo haberi.

B. Habet tamen similitudinem quandam cum circulo, eaque certe arbitraria non est.

A. Fateor, ideoque utilissimi characterum sunt figurae. Sed quam similitudinem esse putas inter denarium et characterem 10?

B. Est aliqua relatio seu ordo in characteribus, qui in rebus, imprimis si characteres sint bene inventi.

A. Esto, sed quam similitudinem cum rebus habent ipsa prima elementa, verbi gratia o. cum nihilo, vel a. cum linea? Cogeris ergo admittere, saltem in his elementis nulla opus esse similitudine. Exempli causa in lucis aut ferendi vocabulo, tametsi compositum Lucifer relationem ad lucis et ferendi vocabula habeat ei respondentem, quam habet res, Lucifero significata, ad rem vocabulis lucis et ferendi significatam?

B. At Graecum φώσφορος eandem habet relationem ad φῶς et φέρω.

A. Poterant Graeci non hac sed alia voce uti.

B. Ita est; sed hoc tamen animadverto, si characteres ad ratiocinandum adhiberi possint, in illis aliquem esse situm complexum ordinem, qui rebus convenit, si non in singulis vocibus (quamquam et hoc melius foret) saltem in earum conjunctione et flexu, et hunc ordinem, variatum quidem in omnibus linguis, quodammodo respondere. Atque hoc mihi spem facit exeundi e difficultate. Nam etsi characteres sint arbitrarii, eorum tamen usus et connexio habet quiddam, quod non est arbitrarium, scilicet proportionem quandam inter characteres et res diversorum characterum, easdem res exprimentium, relationes inter se. Et haec proportio sive relatio est fundamentum veritatis. Efficit enim ut sive hos sive alios characteres adhibeamus, idem semper sive aequivalens seu proportione respondens prodeat, tametsi forte aliquos semper characteres adhiberi necesse sit ad cogitandum.

A. Euge: praeclare admodum Te expediisti. Idque confirmat calculus analyticus arithmeticusve. Nam in numeris eodem semper modo res succedet, sive denaria sive, ut quidam fecere, duodenaria progressione utaris et postea quod diversimodo calculis explicasti, in granulis aliave materia numerabili exsequaris; semper enim idem provenit. Et in Analysi, etsi diversis characteribus facilius appareant diversae rerum habitudines, semper tamen basis veritatis est in ipsa connexione atque collocatione characterum; ut si quadratum ab a dicas a^2 pro a ponendo $b+c$ habebis quadratum $\begin{matrix}+b^2\\+c^2\end{matrix} + 2\,bc$; vel pro a ponendo $d - e$ quadratum habebis $\begin{matrix}+d^2\\+e^2\end{matrix} - 2\,de$. Priori modo exprimitur relatio totius a ad suas partes bc. Posteriore modo partis a ad totum d ejusque supra partem a excessum e. Rem autem semper eodem redire apparet substituendo. Nam in formula $d^2 + e^2 - 2de$ in locum ipsius d substituamus eius valorem $a+e$ tunc pro d^2 habebitur $a^2 + e^2 + 2ae$ et pro $-2\,de$ habebi-

tur $-2ae-2e^2$. Ergo in unum addendo:

$$\begin{array}{rll} +\,d^2 & \text{aequal.} & a^2+e^2+2ae \\ +\,e^2 & \text{aequal.} & +\,e^2 \\ -2de & \text{aequal.} & -2e^2-2ae \\ \hline \end{array}$$

prodibit summa - - - a^2

Vides utcunque pro arbitrio sumantur characteres, modo tamen in eorum usu certus ordo et modus servetur, semper omnia consentire. Quanquam ergo veritates necessario supponant aliquos characteres, imo aliquando de ipsis characteribus loquantur (ut Theoremata de abjectione noverarii agentia) non tamen in eo, quod in iis est arbitrarium, sed in eo, quod est perpetuum, relatione nempe ad res, consistunt, semperque verum est sine ullo arbitrio nostro, quod positis talibus characteribus talis ratiocinatio sit proventura, et positis aliis, quamquam nota ad priores relatio sit alia quidem, sed etiam relationem servans ad priores, ex characterum relatione resultantem, quae substituendo vel comparando apparet.

VIII.
EPISTOLA AD HERMANNUM CONRINGIUM
DE
CARTESIANA DEMONSTRATIONE EXISTENTIAE DEI.

1 6 7 8.

(**Theod. Guil. Rittmeieri dissertat. de praecipuis errorum causis in prima philosophia. Helmst. 1727 §. 29. annot. a. — Leibn. Opp. ed. Dutens Tom. II. P. 1. p. 264**).

Renatus Cartesius adgressus est demonstrare existentiam Dei, et immaterialitatem nostrae mentis, ejusque ratiocinationes in formam mathematicam redegit Benedictus Spinosa, idem ille, qui Tractatum Theologico-politicum de libertate philosophandi, passim refutatum, scripsit. Examinavi diligenter Cartesiana ratiocinia. Detectum est tandem a me, hoc saltem ex ratiocinationibus illis adcurata demonstratione evinci, quod Deus necessario existat, si modo possibilis esse ponatur. Sed hoc dudum ostenderunt et scholastici, et hinc tantum praesumtio, non vero certitudo existentiae divinae haberi potest. Cartesius autem sophismate quodam vel probare hanc existentiae divinae possibilitatem, vel ab ea probanda se liberare conatus est. Et tamen sophisma illud speciosum et Cartesium pariter ac sectatores ejus decepit, quia rigorem demonstrandi coeptum quidem, non tamen ad finem perduxere.

IX.
MEDITATIONES
DE
COGNITIONE, VERITATE ET IDEIS.

1 6 8 4.

(**Acta Eruditorum Lipsiensium ann. 1684. Nov. p. 537. — Leibn. Opp. ed. Dutens Tom. II, P. 1. p. 14.**)

Quoniam hodie inter viros egregios de veris, et falsis ideis controversiae agitantur, eaque res magni ad veritatem cognoscendam momenti est, in qua nec ipse Cartesius usquequaque satisfecit; placet quid mihi de discriminibus atque criteriis idearum et cognitionum statuendum videatur, explicare paucis. Est ergo cognitio vel obscura, vel clara; et clara rursus vel confusa vel distincta; et distincta, vel inadaequata, vel adaequata: item vel symbolica, vel intuitiva: et quidem si simul adaequata, et intuitiva sit, perfectissima est.

Obscura est notio, quae non sufficit ad rem repraesentatam agnoscendam, veluti si utcunque meminerim alicujus floris, aut animalis olim visi, non tamen quantum satis est, aut oblatum recognoscere, et ab aliquo vicino discernere possim; vel si considerem aliquem terminum in scholis parum explicatum, ut entelechiam Aristotelis, aut causam prout communis est materiae, formae, efficienti, et fini, aliaque ejusmodi, de quibus nullam certam definitionem habemus: unde propositio quoque obscura fit, quam notio talis ingreditur. Clara ergo cognitio est, cum habeo unde rem repraesentatam agnoscere possim, eaque rursum est vel confusa, vel distincta. Confusa, cum scilicet non possum notas ad rem ab aliis discernendam sufficientes separatim enumerare, licet res illa tales notas, atque requisita revera habeat, in quae notio ejus resolvi possit: ita colores, odores, sapores, aliaque peculiaria sensuum objecta satis clare quidem agnoscimus, et a se invicem discernimus, sed simplici sensuum testimonio, non vero notis enuntiabilibus; ideo nec caeco explicare possumus, quid sit rubrum, nec aliis declarare talia possumus, nisi eos in rem praesentem ducendo, utque ut idem videant, olfaciant, aut gustent efficiendo, aut saltem praeteritae alicujus perceptionis similis eos admonendo: licet certum sit, notiones harum qualitatum compositas esse, et resolvi posse, quippe cum causas suas habeant. Similiter videmus pictores aliosque artifices probe cognoscere, quid recte, quid vitiose factum sit, at judicii sui rationem reddere saepe non posse, et quaerenti dicere, se in re, quae displicet, desiderare nescio quid. At distincta notio est qualem de auro habent Docimastae per notas scilicet et examina sufficientia ad rem ab aliis omnibus corporibus similibus discernendam: tales habere solemus circa notiones pluribus sensibus communes, ut numeri, magnitudinis, figurae, item circa multos affectus animi, ut spem, metum, verbo, circa omnia, quorum habemus definitionem nominalem, quae nihil aliud est, quam enumeratio notarum sufficientium. Datur tamen et cognitio distincta notionis indefinibilis, quando ea est primitiva, sive nota sui ipsius, hoc est, cum est irresolubilis, ac non nisi per se intelligitur, atque adeo caret requisitis. In notionibus autem compositis, quia rursus notae singulae componentes interdum clare quidem, sed tamen confuse cognitae sunt, ut gravitas, color, aqua fortis, aliaque quae auri notas ingrediuntur, hinc talis cognitio auri licet distincta sit, inadaequata est tamen. Cum vero id omne quod notitiam distinctam ingreditur, rursus distincte cognitum est, seu cum analysis ad finem usque producta habetur, cognitio est adaequata, cujus exemplum perfectum nescio an homines dare possint: valde tamen ad eam accedit notitia numerorum. Plerumque autem, praesertim in analysi longiore, non totam simul naturam rei intuemur, sed rerum loco signis utimur, quorum explicationem in praesenti aliqua cogitatione compendii causa solemus praetermittere, scientes, aut credentes nos eam habere in potestate: ita cum chiliogonum, seu polygonum mille aequalium laterum cogito, non semper naturam lateris, et aequalitatis, et millenarii (seu cubi a denario) considero,

sed vocabulis istis (quorum sensus obscure saltem, atque imperfecte menti obversatur) in animo utor loco idearum, quas de iis habeo, quoniam memini me significationem istorum vocabulorum habere, explicationem autem nunc judicio necessariam non esse; qualem cogitationem *caecam*, vel etiam symbolicam appellare soleo, qua et in Algebra, et in Arithmetica utimur, imo fere ubique. Et certe cum notio valde composita est, non possumus omnes ingredientes eam notiones simul cogitare: ubi tamen hoc licet, vel saltem in quantum licet, cognitionem voco *intuitivam*. Notionis distinctae primitivae non alia datur cognitio, quam intuitiva, ut compositarum plerumque cogitatio non nisi symbolica est.

Ex his jam patet, nos eorum quoque, quae distincte cognoscimus, ideas non percipere, nisi quatenus cogitatione intuitiva utimur. Et sane contingit, ut nos saepe falso credamus habere in animo *ideas* rerum, cum falso supponimus aliquos terminos, quibus utimur, jam a nobis fuisse explicatos: nec verum, aut certe ambiguitati obnoxium est, quod ajunt aliqui, non posse nos de re aliqua dicere, intelligendo quod dicimus, quin ejus habeamus ideam. Saepe enim vocabula ista singula utcunque intelligimus, aut nos antea intellexisse meminimus, quia tamen hac cogitatione caeca contenti sumus, et resolutionem notionum non satis prosequimur, fit ut lateat nos contradictio, quam forte notio composita involvit. Haec ut considerarem distinctius, fecit olim argumentum, dudum inter scholasticos celebre, et a *Cartesio* renovatum, pro existentia Dei, quod ita habet: Quicquid ex alicujus rei idea, sive definitione sequitur, id de re potest praedicari. Existentia ex Dei (sive Entis perfectissimi, vel quo majus cogitari non potest) idea sequitur. (Ens enim perfectissimum involvit omnes perfectiones, in quarum numero est etiam existentia). Ergo existentia de Deo potest praedicari. Verum sciendum est, inde hoc tantum confici, si Deus est possibilis, sequitur quod existat; nam definitionibus non possumus tuto uti ad concludendum, antequam sciamus eas esse reales, aut nullam involvere contradictionem. Cujus ratio est, quia de notionibus contradictionem involventibus simul possent concludi opposita, quod absurdum est. Soleo autem ad hoc declarandum uti exemplo motus celerrimi, qui absurdum implicat; ponamus enim rotam aliquam celerrimo motu rotari, quis non videt, productum aliquem rotae radium extremo suo celerius motum iri, quam in rotae circumferentia clavum; hujus ergo motus non est celerrimus, contra hypothesin. Interim prima fronte videri possit nos ideam motus celerrimi habere; intelligimus enim utique quid dicamus, et tamen nullam utique habemus ideam rerum impossibilium. Eodem igitur modo non sufficit nos cogitare de Ente perfectissimo, ut asseramus nos ejus ideam habere, et in hac allata paulo ante demonstratione possibilitas Entis perfectissimi aut ostendenda, aut supponenda est, ut recte concludamus. Interim nihil verius est, quam et nos Dei habere ideam, et Ens perfectissimum esse possibile, imo necessarium; argumentum tamen non satis concludit, et jam ab *Aquinate* rejectum est.

Atque ita habemus quoque discrimen inter *definitiones nominales*, quae notas tantum rei ab aliis discernendae continent, et *reales*, ex quibus constat rem esse possibilem, et hac ratione satisfit *Hobbio*, qui veritates volebat esse arbitrarias, quia ex definitionibus nominalibus penderent, non considerans realitatem definitionis in arbitrio non esse, nec quaslibet notiones inter se posse conjungi. Nec definitiones nominales sufficiunt ad perfectam scientiam, nisi quando aliunde constat rem definitam esse possibilem. Patet etiam, quae tandem sit *idea vera*, quae *falsa*, vera scilicet cum notio est possibilis, falsa cum contradictionem involvit. *Possibilitatem* autem rei vel a priori cognoscimus, vel a posteriori. Et quidem a priori, cum notionem resolvimus in sua requisita, seu in alias notiones cognitae possibilitatis, nihilque in illis incompatibile esse scimus: idque fit inter alia, cum intelligimus modum, quo res possit produci, unde prae caeteris utiles sunt *Definitiones causales*: a posteriori vero, cum rem actu existere experimur; quod enim actu extitit, id utique possibile est. Et quidem quandocunque habetur cognitio adaequata, habetur et cognitio possibilitatis a priori; perducta enim analysi ad finem, si nulla apparet contradictio, utique notio possibilis est. An vero unquam ab hominibus perfecta institui possit analysis notionum, sive an ad *prima possibilia*, ac notiones irresolubiles, sive (quod eodem redit) ipsa absoluta attributa Dei, nempe causas primas, atque ultimam rerum rationem, cogitationes suas reducere possint, nunc quidem definire non ausim. Plerumque contenti sumus, notionum quarundam realitatem experientia didicisse, unde postea alias componimus ad exemplum naturae.

Hinc ergo tandem puto intelligi posse, non semper tuto provocari ad ideas, et multos specioso illo titulo ad imaginationes quasdam suas stabiliendas abuti; neque enim statim ideam habemus rei, de qua nos cogitare sumus conscii, quod exemplo maximae velocitatis paulo ante ostendi. Nec minus *abuti* video nostri temporis homines jactato illo

principio: *quicquid clare, et distincte de re aliqua percipio, id est verum, seu de ea enuntiabile*. Saepe enim clara, et distincta videntur hominibus temere judicantibus, quae obscura et confusa sunt. Inutile ergo axioma est, nisi clari et distincti *criteria* adhibeantur, quae tradidimus, et nisi constet de veritate idearum. De caetero non contemnenda veritatis enuntiationum criteria sunt regulae *communis Logicae*, quibus et Geometrae utuntur, ut scilicet nihil ad mittatur pro certo, nisi accurata experientia, vel firma demonstratione probatum [1]; firma autem demonstratio est, quae praescriptam a Logica formam servat, non quasi semper ordinatis scholarum more syllogismis opus sit (quales *Christianus Herlinus*, et *Conradus Dasypodius* in sex priores *Euclidis* libros exhibuerunt) sed ita saltem ut argumentatio concludat vi formae, qualis *argumentationis in forma* debita conceptae exemplum etiam calculum aliquem legitimum esse dixeris; itaque nec praetermittenda est aliqua praemissa necessaria, et omnes praemissae jam ante, vel demonstratae esse debent, vel saltem instar hypotheseos assumtae, quo casu et conclusio hypothetica est. Haec qui observabunt diligenter, facile ab ideis deceptricibus sibi cavebunt. His autem satis congruenter ingeniosissimus *Pascalius* in praeclara dissertatione de ingenio Geometrico (cujus fragmentum extat in egregio Libro celeberrimi Viri *Antonii Arnaldi* de arte bene cogitandi) Geometrae esse ait definire omnes terminos *parumper* obscuros, et comprobare omnes veritates *parumper* dubias. Sed vellem definiisset limites, quos ultra aliqua notio aut enuntiatio non amplius parumper obscura, aut dubia est. Veruntamen quid conveniat ex attenta eorum, quae hic diximus, consideratione erui potest, nunc enim brevitati studemus.

Quod ad controversiam attinet, utrum omnia videamus in Deo, (quae utique vetus est sententia, et si sano sensu intelligatur, non omnino spernenda) an vero proprias ideas habeamus, sciendum est, etsi omnia in Deo videremus, necesse tamen esse ut habeamus et ideas proprias, id est non quasi icunculas quasdam, sed affectiones sive modificationes mentis nostrae, respondentes ad id ipsum, quod in Deo perciperemus: utique enim aliis cogitationibus subeuntibus aliqua in mente nostra mutatio fit; rerum vero actu a nobis non cogitatorum ideae sunt in mente nostra, ut figura Herculis in rudi marmore. At in Deo non tantum necesse est actu esse ideam extensionis absolutae, atque infinitae, sed et cujusque figurae, quae nihil aliud est, quam extensionis absolutae modificatio. Caeterum cum colores, aut odores percipimus, utique nullam aliam habemus, quam figurarum et motuum perceptionem, sed tam multiplicium, et exiguorum, ut mens nostra singulis distincte considerandis in hoc praesenti suo statu non sufficiat, et proinde non animadvertat perceptionem suam ex solis figurarum, et motuum minutissimorum perceptionibus compositam esse; quemadmodum confusis flavi et caerulei pulvisculis viridem colorem percipiendo, nil nisi flavum et caeruleum minutissime mixta sentimus, licet non animadvertentes, potius novum aliquod Ens nobis fingentes.

[1]) Saepissime eos *Leibnitius* laudat, qui axiomata demonstrare conantur. Prae ceteris locum notamus e Commercio epistolico cum Jo. *Bernoullio* excerptum. Cui a. MDCXCVI. m. Aug. ita *Leibnitius* scribit: [v. Virr. cel. G. G. *Leibn.* et Jo. *Bern.* Commerc. philos. et math. Lausannae et Genevae 1745. Tom. I. p. 96.]: „Quod dixi, omnis Axiomatis a me demonstrationem desiderari, non temere dictum est: idque animadvertis opinor, si quando vacabit inspicere meditationes quasdam meas de ideis, quae extant in Lipsiensium Actis. Excipio tamen Axiomata illa, quae sunt indemonstrabilia, ipsas scilicet identicas propositiones. Caetera omnia, quae scilicet possunt demonstrari, etiam utile est demonstrari, cum aliqua magnimomenti Theoremata in iis fundantur. Idque etiam veteres viderunt. Unde Apollonius (in scriptis deperditis) et Proclus et alii Axiomata ab Euclide assumta demonstrare sunt conati. Eamque rem fructu non carere facile opinor concedes, quem tamen non vident, qui scientiarum utilitatem vulgari modulo metiuntur. Interim vides, ea limitatione, quam addidi et quam addendam esse praevideri poterat, non esse cur progressum in infinitum vereare in demonstrando. Unum addo: multum apud me interesse inter haec duo, in dubium vocare propositionem, et demonstrationem ejus expetere; quod dum a te hic pro eodem habetur, hinc jam video, cur quae dixeram de Axiomatibus demonstrandis mira tibi sint visa. Si Cartesius hoc tantum voluisset, cum de omnibus dubitandum dixit, quod ego desidero, nullo jure reprehenderetur; sed ille dupliciter peccavit nimis dubitando et nimis facile a dubitatione discedendo. Illud ipsum quod objicis Axioma: Totum esse majus parte, opportune a Te offertur. Id certe numquam in dubium vocavi et tamen aliquando demonstrationem ejus expetii, imo inveni uno syllogismo comprehensam, innixo definitioni minoris et majoris et Axiomati identico: *Minus* enim definio, quod alterius (*majoris*) parti aequale est. Axioma autem identicum quod adhibeo est: Unumquodque aequale esse sibi ipsi, seu a = a. Hoc enim tamquam indemonstrabile sumo. Sic ergo argumentor in syllogismo primae figurae:

Quidquid est aequale parti totius, id toto minus est (per Definitionem *Minoris*).

Pars totius est aequalis parti totius, (nempe sibi ipsi per Axioma identicum).

Ergo pars totius toto minor est. Quod erat demonstrandum. Ita vides quomodo omnium demonstrationum a priori duo sint principia ultima, definitiones et Propositiones identicae, quod etiam alibi a me notatum est. Atque haec paulo latius deducere operae pretium putavi ut pro aequitate Tua facilius me absolvas in posterum, si qua forte dicam obiter, quae primo aspectu insibidiora videbuntur, aut speciem suterfugii habebunt, cum nihil sint minus.

X.

EPISTOLA AD LUDOVICUM DE SECKENDORFF

DE

LOCO QUODAM ARISTOTELIS.

1 6 8 4.

(*Seckendorff* Christenstaat. Leipzig 1685. 8. p. 108. — *Leibn.* Opp. ed. *Dutens.* Tom. II., P. 1. p. 264).

Praeclarus est locus *Aristotelis* in eundem c. 14. quem citas, et recte ab illo dictum est, esse aliquid in nobis agens ratione praestantius imo divinum: quanquam rationes, quas affert de Enthusiasmis et successibus imperitorum parum validae sint. Idem, et multo potioribus argumentis, demonstrari potest ex ipsa mentium natura. *Aristoteles* autem vereor ne hic in animo habuerit sententiam perniciosam, cujus sese alibi suspectum reddidit: de intellectu agente universali, qui solus et in omnibus hominibus idem, post mortem supersit, quam sententiam renovarunt *Averroistae.* Sed omisso hoc pessimo additamento, ipsa sententia per se pulcherrima est et rationi ac Scripturae conformis. Deus est enim lumen illud, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Et veritas quae intus nobis loquitur, cum aeternae certitudinis theoremata intelligimus, ipsa Dei vox est, quod etiam notavit D. *Augustinus.*

XI.

DE SCIENTIA UNIVERSALI

SEU

CALCULO PHILOSOPHICO.

(E schedis *Leibnitianis* nondum editis, quae Hanoverae in bibliotheca Regia asservantur.)

Omnia quae certe cognoscimus, vel demonstrationibus, vel experimentis constant et in utroque dominatur ratio. Nam ipsa ars instituendi experimenta, iisque utendi certis rationibus nititur, quatenus scilicet a casu sive fortuna non pendet.

Missis nunc experimentis, quippe quae sumtibus et apparatu indigent, quin et fortuna adjuvantur, dicamus tantum de perficiendis scientiis, quatenus ratione nituntur.

Progressus artis inventoriae rationalis pro magna parte pendet a perfectione artis characteristicae. Causa, cur non nisi in solis numeris et lineis, et rebus quae his repraesentantur, demonstrationes quaeri ab hominibus soleant, nulla alia est, quam quod *characteres tractabiles notionibus respondentes* extra numeros non habentur. Quae causa est etiam, cur ne Geometria quidem hactenus analytice tractata sit, nisi quatenus ad numeros revocatur per analysin speciosam, in qua numeri generales literis designantur. Datur tamen alia *analysis geometriae sublimior* per proprios characteres, qua multa pulchrius breviusque quam per Algebram praestantur, cujus et specimina habeo.

Et dari demonstrationes etiam extra magnitudines, vel *Logicorum formae* documento esse

possunt, quin et ICti in Digestis quaedam exhibent vere demonstrata, cujus rei specimina produxi *dissertatione de Conditionibus,* et *Joh. Suisset,* dictus Calculator, aliique post ipsum, etiam in *Metaphysicis,* dedere demonstrationes de gradibus intensionibusque formarum; et quaedam a Platonicis et Aristotelicis dicuntur, quae non difficulter demonstrationis forma indui possunt. Si daretur vel *lingua* quaedam exacta (qualem quidam *Adamicam* vocant, vel saltem genus *scripturae vere philosophicae,* qua notiones revocarentur ad *Alphabethum quoddam cogitationum humanarum,* omnia, quae ex datis ratione assequi, inveniri possent *quodam genere calculi,* perinde ac resolvuntur problemata arithmetica aut geometrica.

Atque ea vera foret sive *Cabbala* vocabulorum mysticorum, sive *Arithmetica* numerorum Pythagoricorum, sive *Characteristica* Magorum, hoc est Sapientum.

Rei tantae suspicionem aliquam hausi paene adhuc puer, et qualemcunque descriptionem obiter inserui libello ab adolescente olim edito *de arte Combinatoria.*

Possibile esse. imo facile, et intra aliquot annos ab aliquot intelligentibus, conspirantibusque pro suo primo gradu absolvendum, geometrica sane certitudine possum demonstrare.

Verissima pulcherrimaque compendia *Analytices hujus generalissimae humanarum cogitationum* exhibuit mihi inspectio Analyseos mathematicae, cui tanto studio incubui, ut nescio an sint hodie multi, qui plus in ea operae posuerint.

Certe abdita quaedam in Mathesi a me primum fuisse evicta cum applausu summorum Mathematicorum, constat inter eos qui studiis istis impensius delectantur.

Loco *axiomatum et theorematum* Euclidaeorum de magnitudine et proportione inveni ego alia multo majoris momenti, ususque generalioris, de *coincidentibus, congruis, similibus, determinatis,* de *causa et effectu,* sive de *potentia,* de *relationibus in universum,* de *continente et contento,* de eo quod per se et per accidens fit, de generali natura substantiae, deque perfecta *spontaneitate* et *ingenerabilitate* et *incorruptibilitate* substantiarum, deque *unione rerum* et conspiratione substantiorum, inter se. Unde et arcanum *unionis inter animam et corpus* intercedentis in lucem prodit, modusque quo operantur substantiae, et *concursus* Dei, et causa mali et libertas conciliata providentiae certitudinique seu determinatae contingentium veritati, et *metamorphosis* pro metempsychosi.

Duobus utor in demonstrando *principiis,* quorum unum est: falsum esse quod implicat contradictionem; alterum est: omnis veritatis (quae immediata sive identica non est) reddi posse *rationem,* hoc est, notionem praedicati semper notioni sui subjecti vel expresse vel implicite inesse, idque non minus in denominationibus extrinsecis quam intrinsecis, non minus in veritatibus contingentibus quam necessariis locum habere.

Discrimen inter *veritates necessarias* et *contingentes* vere idem est, quod inter numeros commensurabiles et incommensurabiles: ut enim in numeris commensurabilibus resolutio fieri potest in communem mensuram, ita in veritatibus necessariis demonstratio, sive reductio ad veritates identicas locum habet. At quemadmodum in surdis rationibus resolutio procedit in infinitum, et acceditur quidem utcunque ad communem mensuram, ac series quaedam obtinetur, sed interminata, ita eodem pariter processu veritates contingentes infinita analysi indigent, quam solus Deus transire potest. Unde ab ipso solo a priori ac certe cognoscuntur. Etsi enim semper ratio reddi posset status posterioris ex priore: hujus tamen rursus ratio reddi potest, neque adeo ad ultimam rationem in serie pervenitur. Sed ipse progressus in infinitum habet rationis locum, quod, suo quodam modo, extra seriem, in Deo, rerum autore poterat statim ab initio intelligi, a quo priora aeque ac posteriora, et magis quam a se invicem dependent. Quaecunque igitur veritas analyseos est incapax, demonstrarique ex rationibus suis non potest, sed ex sola divina mente rationem ultimam ac certitudinem capit, necessaria non est. Talesque sunt omnes, quas voco *veritates facti.* Atque haec est radix contingentiae, nescio an hactenus explicatae a quoquam.

Discrimen inter notionem obscuram et claram, confusam et distinctam, adaequatam et inadaequatam, suppositivam et intuitivam jam in schediasmate quodam Actis Lipsiansibus inserto a me est explicatum.

Sed ut redeam ad expressionem cogitationum per characteres, ita sentio numquam controversias finiri, neque *sectis* silentium imponi posse, nisi a ratiocinationibus complicatis ad *calculos* simplices, a vocabulis vagae incertaeque significationis ad *characteres* determinatos, revocemur.

Id scilicet efficiendum est, ut omnis paralogismus nihil aliud sit quam *error calculi,* et ut *sophisma,* in hoc nova scripturae genere expres-

sum, revera nihil aliud sit quam *soloecismus* vel *barbarismus*, ex ipsis grammatices hujus philosophicae legibus facile revincendus.

Quo facto, quando orientur controversiae, non magis disputatione opus erit inter duos philosophos, quam inter duos Computistas. Sufficiet enim, calamos in manus sumere, sedereque ad abacos, et sibi mutuo (accito si placet amico) dicere: *calculemus*.

Ne quis autem a me impossibilia jactari aut sperari putet, sciendum est, hac arte ea tantum (convenienti studio adhibito) posse obtineri, *quaecunque ex datis quantocunque ingenio possint elici*, sive quae ex datis sunt determinata; prorsus ut in problematibus Geometriae, quae vere facti sunt, et a fortuna vel casu pendent, catenus ad artem inveniendi non pertinere manifestum est.

Et ne quis porro post hanc limitationem existimet, exigui igitur usus hanc artem fore in illis omnibus, ubi opus est conjecturis, ut in indagationibus historiarum civilium vel naturalium, in arte examinandi corpora naturalia vel personas intelligentes, adeoque in vita communi, in medicina, jure, militaribus et reipublicae gubernatione, — sciendum est: quantum in illis omnibus valet ratio (valet autem plurimum) tantum et multo magis posse hanc artem, quae nihil aliud est, quam summa quaedam exaltatio, et *compendiosissimus per symbola notasve usus* humanae rationis.

Itaque, quando ex datis quaesitum non est determinatum aut exprimibile, tunc alterutrum hac analysi praestabimus, ut vel *in infinitum appropinquemus*, vel, quando conjecturis agendum est, demonstrativa saltem ratione *determinemus ipsum gradum probabilitatis*, qui ex datis haberi potest; sciamusque quomodo datae circumstantiae in rationes referri debeant, et quasi in bilancem, acceptis expensisque similem, redigi queant, ut quod maxime rationi consentaneum sit eligamus. In quo etsi fallamur aliquando, ut is qui perfectissime etiam mistos rationi aleae ludos novit, agemus tamen quicquid ratio jubet, et plerumque optatum consequemur, quemadmodum boni lusores, fortunaeque ipsius fabri, quos, ut proverbio dicitur, pilae talique quaerunt. Et hoc ipsum judicabimus quod non tantum verisimilius sed et *tutius* sit, et quatenus conveniat spem pretio emere, periculove. Quibus sane nihil majus ab humana ratione postulari potest. Itaque inter caetera molior ego Logicae partem quandam, hactenus prope intactam, de *aestimandis gradibus probabilitatis* et statera probationum, praesumtionum, conjecturarum, indiciorum. Possum etiam ostendere, quomodo non minus in calculo generali quam in calculo numerico *examina* sive indicia veritatis excogitari possint objectioni novenariae, talibusque aliis similibus respondentia, prorsus quemadmodum objectio haec per me a numeris communibus ad Algebram translata est.

In hoc tamen semper discrimen manebit inter ingenia etiam post inventam et vulgatam hanc analysin, ut alii aliis promtius et majori extemporalitate ratiocinentur. Quemadmodum, reperta licet Arithmetica et eo perfectionis redacta, ut pro communi usu nihil magnopere requiratur, nihilo minus sunt quidam, qui pene sine calculis aut calamo sola vi mentis maximas operationes promtissime absolvunt. Atque in his etiam dominabitur semper *experientia*, et homines in usu versati etiam tunc, cum haec ars prostabit, prae aliis, minus exercitatis, ingenio et scientia paribus, valebunt. Ut enim, qui saepe calculavit certo quodam modo (exempli gratia per florenos et solidos) is memoria tenens proventus quos saepe expertus est, multo promtius computos tales absolvet, quam qui in aliis monetis magis quam in hac sunt versati; ita qui multa in aliquo genere experti sunt, illi, memoria eventorum, saepe ratiocinandi necessitatem praevenire possunt, atque adeo extemporalitate praepollent. Interim certum est, si haec ars analytica generalis vera aliquando absoluta et in consuetudinem traducta haberetur, homines ejus intelligentes atque exercitatos tantum aliis praestituros, caeteris paribus, quantum sciens ignaro, doctus rudi, geometra praestans tironi, Algebrista insignis vulgari calculatori: ita enim debita intelligentia adhibita possunt tandem reperiri omnia a quovis et methodo certa, quantum ratione ex datis a maximo etiam ingenio atque exercitatissimo obtineri possent, solo promtitudinis discrimine manente, cujus magis in agendo quam in meditando inveniendoque momentum est. Plerumque enim, praesertim cum de scientiis augendis agitur, res meditandi moram ferunt. Quin et in agendo saepe homines festinatione peccant culpa sua, et, ut fit, mora priore festinandi necessitatem sibi imponentes, ut proverbio etiam increbuerit, pigros semper festinare. Nempe qui rebus agendis vacant, nimia meditationis dilatione in ultimos agendi articulos, qua si ex re capturi consilium praecipitando deinde deliberationis necessitatem inconsultam sibi imponunt.

Et ut finiam, si inventio Telescopiorum et Microscopiorum tantum cognitioni naturae lucis attulit, facile intelligi potest, quantum praestare debeat *novum hoc organon*, quo ipse mentis oculus, quantum in humana potestate est, instruetur.

Equidem temerarium foret promittere a primis aggressionibus postremam tantae artis perfectionem, quae crescet cum ipsa hominum experientia, prout (ipsa hac arte manuducente) plura semper et potiora *Data* eruentur. Quemadmodum tamen apud Sinenses ferunt, qui aliquot characterum millena norit, eum potissima scribere posse, caeteris magis reconditis vel cuique proprio artifici, vel majori Magistro servatis, ita hic quoque, proportione progressuum sive hominis cujusque, sive totius generis humani, *fructus* quoque artis unius major sentietur.

Interim hoc consequemur ut semper *certa serie progredi valeamus* quantum in potestate est, et, quod hactenus minime factum est, ex datis, quicquid fieri potest, elicientes, thesauris jam repertis ac divinis beneficiis ad sanitatem corporis ac perfectionem mentis, *utamur et fruamur*, quantum fas est.

XII.

INITIA SCIENTIAE GENERALIS

DE NOVA RATIONE INSTAURATIONIS ET AUGMENTATIONIS SCIENTIARUM, ITA UT EXIGUO TEMPORE ET NEGOTIO, SI MODO VELINT HOMINES, MAGNA PRAESTARI POSSINT AD FELICITATIS HUMANAE INCREMENTUM.

(E schedis Leibnitianis ineditis, quae in Regia bibliotheca Hanoverana asservantur.)

Ostenditur magnam partem miseriae nobis contingere, aut felicitatis abesse, non defectu virium, sed vel scientiae vel bonae voluntatis, et ipsam scientiam nobis deesse solere culpa nostra; certe plerasque veritates, ad vitam utiles, esse in humana potestate, et ex datis sive notis certa constantique methodo posse deduci, si modo homines viribus notitiisque a Deo concessis, secundum rectae rationis methodum, id est secundum praecepta scientiae generalis hic traditae, uti velint.

Scientia generalis duas continet partes, quarum prior pertinet ad instaurationem scientiarum, judicandumque de jam inventis, ne praejudiciis decipiamur; posterior destinatur ad augendas scientias, inveniendaque, quae nobis desunt.

Prior ergo tradit Elementa veritatis, sive notas quasdam indisputabiles, quarum ope in omnibus materiis haberi possunt demonstrationes evidentes, mathematicis pares, quarum certitudo velut manu tangi, oculisque usurpari possit, ita ut omne argumentum legitima forma procedat ad instar calculi numerorum, et si quis error subrepsit, non difficilius deprehendi aliisque ostendi possit, quam error calculi solet. Quali forma argumentandi introducta, controversiae in ratiocinando non possent non cessare. Quando autem non sunt sufficientia data ad demonstrandam veritatem, poterimus tamen semper demonstrare probabilitatem majorem, an quid ex duobus oppositis rationi sit probabilius et secundum prudentiae regulas in praxi tenendum. Atque ita rectam rationem semper quantum possumus sequemur. Et cum secus agamus, erit id vel negligentiae nostrae, vel interdum necessariae festinationi distractionibusque imputandum. Quibus tamen post hanc artem constitutam rarius quam ante ingrediemur, quia multo promtius faciliusque veritatum aut probabilitatis gradum assequi dabitur, postquam meditationes nostrae non casu sed constanti lege ac calculi ritu procedent. Quanti hoc sit non tantum in scientiis sed et in communis vitae deliberationibus, manifestum est, quando utrimque multa magnaque stant incommoda, spesque et metus, quae velut in statera expendere in hunc usque diem docuit nemo. Cum tamen facile ostendi queat, omnes errores humanae prudentiae vitabiles ab hujus scientiae ignoratione vel neglectu proficisci.

Pars altera est *Ars inveniendi*, non quidem ut in priore parte, utrum propositio vel ratiocinatio oblata sit vera, sed, quod est difficilius, qualis ipsa sit formanda, seu quomodo resolvi possit aliquod problema, quod continet propositionem imperfe-

ctam, a solvente supplendam. Jta definire utrum Machina proposita effectum propositum praestare queat, tantum judicii est, at comminisci proposito effectu, excogitare machinam, non tantum judicii est, sed inventionis. Hujus duae sunt partes, prior synthetica seu combinatoria, posterior analytica. Ostenditur, quae sint artis combinatoriae leges, et ea quae vulgo analytica censentur, saepe combinatoria esse; combinatoriam id quod quaerit, inter caetera invenire, et aliis notitiis uti, analyticam omnia ex solo problemate emere, illam ad integras scientias earumve portiones constituendas, hanc ad problemata, a reliquo corpore separata, si opus est, solvenda pertinere. Ostenditur ergo, qua methodo omnia problemata solvi possint, siquidem ea humano ingenio possibile est solvi ex datis, aut posse demonstrari insolubilitatem. Quomodo possint institui exactae enumerationes, quomodo difficultas dividi possit in partes, non quomodo libet, sed quarum singula minus habeat difficultatis, quam antea totum, seu quomodo problema possit deduci ad aliud problema facilius, unum vel plura. De regula, quae incognitum considerat instar cogniti. De modo inveniendi plurium datorum proprietatem communem etc.

XIII.

DE NATURA ET USU SCIENTIAE GENERALIS.


(E schedis Leibnitianis nondum editis quae in Bibliotheca Regia Hanoverana asservantur.)

Scientiam generalem dico, quae modum docet, omnes alias scientias ex datis sufficientibus inveniendi et demonstrandi; itaque illae cognitiones quae casu tantum inveniri potuerunt, ab hac scientia non pendent, exempli causa quod lapillus aliquis, Magnetis nomine notus, sese ad polos Telluris convertat: hoc enim nullo ingenio potuit praevideri, licet usus et consequentiae hujusmodi quoque cognitionum a scientia generali pendeant. Nam habita semel ista Magnetis proprietate, statim et pyxidis nauticae constructio et usus in navigando patere debuit; aut si homines, cognita veritate, usum ejus nauticum diu ignoravere, hoc non nisi ignorantiae Artis inveniendae tribuendum est. Quemadmodum eidem tribuendum est, quod Telescopium et Microscopium nostro demum saeculo prodiere, cum tamen principia dudum habuerint homines, ex quibus haec instrumenta facile poterant duci, si vera methodo usi fuissent. Ignorantia etiam hujus artis, aut saltem meditandi impotientia, plerique errores in communi vita contingunt, quae sive circa sanitatem sive circa fortunas hominum committuntur, plerumque enim cum eventus nobis oculos operuit, agnoscimus, sero licet, nos jam dudum praevidere malum et praecavere potuisse.

Data, sufficientia ad veritates inveniendas, sunt principia quae jam sunt in promtu, et ex quibus solis sive aliis assumtis concludi potest id, de quo agitur. Sint tres veritates A. B. C. ex quibus concludi possit quarta D., dico: si tres illae veritates sint principia, id est, quae non ratiocinatione sed observatione discere opus fuit, et quae proinde tum a se invicem, tum ab aliis, saltem quoad praesentem nostram cognitionem, independentia sunt, deinde si nulla harum veritatum, caeteris manentibus, omitti possit salva ratiocinatione, denique si nullam aliam hujusmodi veritatem ad integrandam ratiocinationem tribus illis adjici necesse sit; — his inquam positis dico, tres illas veritates A. B. C. esse data sufficientia ad invemendam quartam D.

Habemus autem indicium, cujus ope praevideri potest quaenam data sint sufficientia, ita: si res talem inter se connexionem habeant, ut uno vel duobus vel tribus pluribusve determinatis, aliud quiddam etiam sit determinatum sive unicum, sequitur, in prioribus illis data esse sufficientia. Exempli

gratia, quia non nisi unicus circulus per tria puncta A. B. C. duci potest, sequitur illis tribus punctis datis, quaesiti circuli centrum, seu punctum quod eodem modo se haberet ad puncta A et B et C, determinate posse reperiri, quod fiet si tam ex medio ipsius A B educatur perpendicularis F G, (hujus enim quodlibet punctum aeque respiciet tam punctum A, quam punctum B) et ex medio ipsius BC educatur perpendicularis HK, cujus iterum quodlibet punctum eodem modo respiciet puncta B et C, ergo si duo perpendiculares se secent in D, (quod fit si non sint parallelae, seu si A. B. C. non sint in eadem recta) punctum commune (in quo solo se secare possunt), aeque respiciet puncta A. et B. et C. et proinde erit centrum.



Idem exemplo artis cryptographicae intelligi potest. Aliquando enim tam pauca verba alphabeto incognito scripta habentur, ut prorsus impossibile sit, humano ingenio clavem reperiri, imo ut fieri possit eadem verba occulte scripta modis innumeris secundum diversas claves recte posse explicari: interdum vero contra non tantum sufficientia, sed etiam plus quam sufficientia sunt data, quo facto idem diversis viis invenire, et non tantum veritatem sed et Probam quam vocant sive examen veritatis, habere possumus.

Dari autem scientiam hujusmodi, demonstrandum est a priori, quanquam sciam vulgus hominum in talibus non nisi demonstrationes a posteriori, id est ab eventu, capere. Dico igitur, si qua veritas aut si quod artificium etiam ab angelo nobis possit demonstrari ex illis solis principiis quae jam habemus, idem invenire nos potuisse per nos ipsos ope hujus scientiae generalis, si modo nobis aut veritatis hujusmodi inquisitionem, aut artificii talis modum quaerendum proposuissemus. Cujus rei ratio brevis est, quod de re aliqua nihil nobis demonstrari potest, ne ab angelo quidem, nisi quatenus requisita ejus rei intelligimus; jam in omni veritate omnia requisita praedicati continentur in requisitis subjecti, et requisita effectus, qui quaeritur, continent artificia necessaria ad eum producendum. Qua demonstratione cum totum hujus scientiae artificium contineatur, quae sequentur omnia inservient ad eam explicandam.

Quodsi talis scientia absoluta haberetur, non puto quicquam post pietatem et justitiam et amicitiam et sanitatem ea reperiri melius et ad felicitatem efficacius in rebus humanis, quanquam ausim dicere, ipsam pietatem et justitiam semper, amicitiam autem et sanitatem plerumque ex hujus scientiae possessione secuturas. Nam qui hanc scientiam tenebit, ante omnia sibi certis demonstrationibus satisfaciet circa ea, quae de Deo atque anima reperiri possunt; ad hoc enim data sufficientia nos jam habere necesse est; idem Deum amabit super omnia, cum ejus pulchritudinem intelligat, et non contentus tantum, sed et totus erit eventis omnibus, cum pro demonstrato habeat omnia optime esse ordinata, et in bonum cedere Deum amanti; itaque liber et solutus erit illis anxietatibus futurorum, quibus infirmiores animae, servili metu Deum colentes, misere terrentur. Intellecta etiam Dei perfectione et harmonia rerum, non ignorabit quid Deus a se exigat et quae sint officia vitae; deprehendetque maxima sua voluptate nihil esse jugo Dei suavius, et quod nobis ipsis maxime utile est, id Deo maxime gratum esse. Unde jam conciliatio egregia sequitur justitiae et prudentiae, divinique et proprii amoris, honesti denique atque utilis, quae sola hominum ignorantia atque errore sibi opponuntur. Et conscientia a scrupulis liberabitur, quibus fit, ut saepe homines, cum justa agunt, agant injuste, ignari, quomodo actiones recta intentione capiant bonitatem. Nihil autem homini homine est utilius, nihil amicitia suavius, nihil anima rationali apud Deum pretiosius, atque amare omnes, etiam nobis inimicos, odisse neminem, etiam cui cogimur nocere, non Christi magis quam supremae rationis praeceptum est. Qui vero ita animatus est, cum semper candide agat, cumque ob rerum singularium scientiam, quam possessione scientiae generalis sibi peperit, multis prodesse possit, et amicos facile et fortunas parabit. Nam tanta res est candor animi, ut nemo etiam eorum, qui maxime callidi sunt, non candidum sibi amicum malit. Fortunis autem carere non potest qui amicos habet, et seposito amicorum favore, qui egregia artificia invenire potest, quibus humana vita sublevetur, etiam apud Turcos et Sinos in honore erit, et modo inter illos agat a quibus intelligatur, et qui non egent ipsi, nunquam non illis rebus abundabit, quibus opus est ad bene beateque vivendum. Denique cum ea, quae corpus nostrum bene maleve afficiunt, hujus scientiae generalis adminiculo tam accurate cognoscantur, quam ex datis jam experimentis fieri potest, modusque etiam appareat nova experimenta non casu tantum sed et, quoad licet, consilio inveniendi, nec sanitas caeteraque vitae suavis bona deerunt quousque sunt in humana potestate, aut quousque sapienti placebit demittere animam ad corporis curam.

Haec scientia generalis, fateor, nondum a quoquam tradita est, neque etiam credo possessa, neque a me nisi ejus initia traduntur, hoc est prae-

cepta elementaria, ex quibus certum sit arcanas regulas non usque adeo difficulter invenire posse. Quod cum in sequentibus demonstraverim et ope solorum initiorum specimina ediderim, quae humanam cognitionem in rebus Geometricis et mechanicis in immensum provehant ultra ea quae hactenus fuere in potestate, physica autem vera, consensu peritorum, solis Geometricis et mechanicis rationibus contineatur, non puto me temere omnes viros rerum intelligentes appellare posse, ut in eandem curam mecum conspirent, quo genus humanum tantae felicitatis, saltem ex insigni parte, ipsis potius vivis quam extractis, compos fiat.

XIV.

SYNOPSIS LIBRI, CUI TITULS ERIT:

SCIENTIA NOVA GENERALIS

PRO INSTAURATIONE ET AUGMENTIS SCIENTIARUM AD PUBLICAM FELICITATEM.

(E schedis Leibnitianis ineditis, quae in Bibliotheca Regia Hanoverana reperiuntur.)

1. Rationes quae autorem ad scribendum impulerunt, ubi et, cur nomen dissimulavit. Magnorum principium familiaritas ob cogitationes concordes.

2. Historia litereria.

3. Da statu praesenti eruditionis, seu reipublicae literariae.

4. De malis, quibus hominis laborant sua culpa. De his quae utiliter inventa sunt ad vitam humanam sublevandam.

5. De procuranda hominum felicitate.

6. De scholarum emendatione et ratione studiorum, ubi et de ludis.

7. De scientiarum instauratione, ubi de systematibus et Repertoriis, et de Encyclopaedia demonstrativa condenda. De linguis et Grammatica rationali.

8. Elementa veritatis aeternae, et de arte demonstrandi in omnibus disciplinis ut in Mathesi.

9. De novo quodam calculo generali cujus ope tollantur omnes disputationes inter eos qui in ipsum consenserint, et Cabbala sapientum.

10. De arte inveniendi.

11. De Synthesi seu arte combinatoria.

12. De Analysi.

13. De combinatione speciali, seu scientia formarum, sive qualitatum in genere sive de simili et dissimili. De characteristicis.

14. De Analysi speciali seu scientia quantitatum in genere, seu de magno et parvo.

15. De Mathesi generali ex duabus praecedentibus composita.

16. De Arithmetica.

17. De Algebra.

18. De Geometria.

19. De optica.

20. De phorographia (cujus species Tornatoria) seu de motuum vestigiis.

21. Dynamica seu de motuum causa, sive de causa et effectu, ac potentia et actu.

22. De consistentia solidorum.

23. De motibus fluidorum.

24. Mechanica ex praecedentium complexu et usu. (Nautica ubi rhomborum legis novae. Rechnung von Lamae Schiff).

25. Elementa physices de causis qualitatum et modo sentiendi.

26. Astronomia physica de systemate mundi, seu corporum principiis.

27. Physica specialis de rebus quae circa nos sunt.

28. De Meteoris.

29. De terris et re minerali.

30. De plantis.

31. De animalibus.

32. De medicina. Medicina provisionalis.

De variis opificiis:

De natura mentis et de passionibus animi.

Politica seu de regendis hominibus.

De sufficientia rerum, et commerciis ac manufi-

cies seu Oeconomica. (Ubi an debeat instrumenta reperire, ubi pauci multis aequivalent?)

De re bellica:

De jurisprudentia, ubi de jure naturae ac gentium, itemque legibus positivis variis, inprimis de jure Romano et de jure Ecclesiastico, de jure publico ac re faeciali. De optima republica.

Theologia naturalis:

De veritate religionis Christianae.

De Concordia Christianorum et conversione Gentilium.

De societate Theophilorum.

XV.

GUILIELMI PACIDII

PLUS ULTRA

SIVE INITIA ET SPECIMINA SCIENTIAE GENERALIS, DE INSTAURATIONE ET AUGMENTIS SCIENTIARUM AC DE PERFICIENDA MENTE RERUMQUE INVENTIONIBUS AD PUBLICAM FELICITATEM. — OECONOMIA OPERIS.

(Fragmentum ineditum e scriniis Bibliothecae Regiae Hanoveranae.)

Introductione praemissa, dicendum erit, qua ratione inciderim in artis tam mirabilis fundamentum. Dicendum erit quoque de statu praesenti eruditionis. — Ut appareat discrimen meorum principiorum a Cartesianis, operae pretium erit, praemittere excerpta ex Objectionibus virorum doctorum ad Cartesii Meditationes, Cartesiique Responsionibus, quibus subjiciam meas Replicationes, et quomodo a me suppleantur quae viri illi egregii frustra a Cartesio desiderabant. Subjiciam et Analysin judiciorum homanorum vulgarem, seu principia quibus vulgo hominum opiniones nituntur, non contemnenda quidem, sed dialectica. Quae tamen non adeo necesse esset revocare ad certiora, si nihil aliud quam jam nota confirmare, propositum esset, sed quia ab analysi veritatis seu correctione judiciorum nostrorum pendet totum arcanum artis inveniendi, quo humana scientia in immensum produci posset, ideo utile est, nos ad ultimam usque analysin progredi. Sequuntur ipsa elementa veritatis aeternae, ubi exponitur modus, in omnibus dandi demonstrationes plane rigorosas et Mathematicis pares, imo superiores, quia Mathematici multa supponunt, quae hic poterunt demonstrari. Itaque profertur hic calculus quidam novus et mirificus, qui in omnibus nostris ratiocinationibus locum habet, et qui non minus accurate procedit quam Arithmetica aut Algebra. Quo adhibito semper terminari possunt controversiae quantum ex datis eas determinari possibile est, manu tantum ad calamum admoto, ut sufficiat duos disputantes omissis verborum concertationibus sibi invicem dicere: calculemus, ita enim perinde ac si duo Arithmetici disputarent de quodam calculi errore; ipsa proscripta methodus etiam ignorantibus vel invitis exitum dabit. Ostenditur enim modus disputandi in forma, conveniens tractationi rerum, a taedio Scholasticorum syllogismorum vacuus, et supra distinctiones illas positus, quibus in scholis alter alterum eludit.

Specimina subjicienda erunt novae artis, nempe mea Mathesis generalis, nova mechanica fundamenta hactenus incognita. Demonstrationes physicae generalis et tentamenta quaedam physicae specialis cum medicina provisionali. Elementa scientiae moralis et civilis jurisque naturae et utilitatis publicae. Ubi et de subditis, oneratu magna parte levandis, majore principum utilitate, et scientia militari. Subsequitur Metaphysica et theologia rationalis; denique fundamenta rei literariae seu humanarum literarum et hinc ductae demonstrationes historicae pro theologia revelata. Subjicitur paraenensis ad viros dignitate doctrinaque egregios de humana felicitate exiguo tempore (si velimus modo) in immensum augenda.

XVI.

GUILIELMI PACIDII

INITIA ET SPECIMINA

SCIENTIAE GENERALIS.

(Fragmentum *Leibnitianum* nondum editum e scriniis Bibliothecae Regiae Hanoveranae.)

Quo magis appareat omnibus, librum hunc a me non famae, quam tamen neque contemno, neque fortasse contemnendam habeo dudum, sed communis utilitatis causa publicari, nomen meum non nisi commutatum praefigere decrevi; eoque liberius quaedam ad hujus operae commendationem pertinentia dicere potero, quae alioqui jactantiae poterant imputari, a cujus tamen suspicione me fortasse lectores aequi rerumque intelligentes absolverent. Ante omnia igitur cogor profiteri, quod res est: inter tot viros egregios nostri temporis, cum quibus ego neque de ingenio neque de doctrina certaverim, neminem facile majore studio sinceroque magis in veritatem, lucrique et ambitionis puro, affectu per omne disciplinarum genus publico generis humani bono laborasse. Illam enim et mecum statui dudum, et multo hominum usu certissimam deprehendi verae pietatis notam: in his maxime eniti in his sua compendia, suam voluptatem collocare, quae in publicam salutem redundant, commoveri penitus aliorum malis, et si occurrere possis non modo non incommodis sed neque periculis deterreri. Quod hominum genus scio parum politicum illis videri, quibus finis laborum censetur, hanc vitam jucunde transigere, aut qui cuncta referunt ad suam magnitudinem, suas commoditates quibus vellent, si opus sit, omnium aliorum miseria serviri. Sed sequatur quisque rationes suas; mihi videtur, futurae quoque vitae prudenti curam habendam (de quo multi velut de somnio tantum et obiter cogitant) et homini spectandum esse, quid dignum sit homine, quid naturae creatrici consentaneum, quid faciat ad veram perfectionem et harmoniam rerum; scilicet exornare Spartam tuam, et quam late possis beneficientiam extendere. Verâ autem hominis perfectio in animi vertutibus sita est, quae a recta ratione sive cognitione viritatis proficiscuntur, unde potentia quoque nostra tum in corpus humanum, tum in corpora circumjecta angetur. Veritatem ergo invenire et inveniendae modum ostendere fons esse videtur omnis humanae felicitatis, quae non tantum barbaros a cultis sed et bonos a malis distinguit, imo si conspirantibus naturae et religioni credendum est, aliquando felices a miseris discriminabit. Nam a cognitione Dei et amore profluunt justitia et caritas, documenta veritatis, cujus doctor Christus fuit. Quin et si leges civitatum spectamus, in nulla publica re privatus homo innocentius et minore reprehensionis ac turbarum periculo versatur, quam in scientiarum instauratione ac profectu, non minus enim publici juris est veritas quam aër, quem haurimus, et lux quam percipimus, neque ullis armis validius coguntur homines ad bonam frugem, quam demonstratione, ut recte apud Esdram dictum sit, nihil veritate fortius esse. Quomodo autem palpabiles demonstrationes, calculis Arithmeticorum aut Geometrarum diagrammatis pares, in omni genere rerum confici possint, quibus vel veritas absoluta vel saltem, cum sufficientia data nondum habentur, maxima probabilitatis gradus ex datis infallibiliter concludatur hoc loco ostendemus traditis *Elementis veritatis aeternae*, quae hactenus non aliter fuere inter homines, quam olim frumentum silvestre, antequam ratione coleretur. Cum enim multi egregii viri extra Mathematicas vulgo habitas disciplinas hoc inprimis saeculo demonstrationes edere tentaverint, semper tamen deprehensum est, aliquid ad earum vim deesse. Cumque insignes Geometrae in ipso Euclide non errores quidem, at in demonstrando defectus deprehenderint ac partim suppleverint, qui tamen in Geometria fere periculo erroris vacant, cum pleraque ab eo omissa ipso sensu communi innumerabilibusque experimentis confirmentur, quid de illis dicemus, qui longe absunt ab hac acribeia et tamen in argumentis versantur, ubi facilis deceptio est, difficileque examen per experimenta. Modum ergo tradere aggredior, quo semper homines ratiocinationes suas in omni argumento ad calculi formam exhibere controversiasque omnes finire possunt, ut non jam clamoribus rem agere necesse sit, sed alter alteri dicere possit: Calculemus. Et cum ab utraque parte rationes validae erunt, quod sit in rebus concretis, ubi utrimque commoda at-

que incommoda reperiuntur, modus habebitur magnitudinem cujusque explorandi atque aestimandi ut, comparatis utrimque, velut accepti expensique tabulis, de summa potioris pronuntietur. Haec sunt illa pondera, hi moduli, quibus rationem uti dixit poëta, sed hactenus parum exactis, nec signatis publicave autoritate aut certa nota comprobatis. Caeterum, quemadmodum judicii est in magno argumentorum multiplicium, ab aliis forte prolatorum, conflictu, rationum rite aestimatarum tabulas evidenter ordinare ad conclusionem habendam, ita inventionis est ex rerum visceribus nemine admonente eruere argumenta, quibus quaestio proposita definitur, imo et ad artem inveniendi pertinet nosse formare quaestiones, vel quod eodem redit, nosse instituere observationes, nosse sumere experimenta. Hujus artis nondum traditae vim atque amplitudinem eo perspexi magis, quo majore studio ab ineunte aetate solitus sum res proprio Marte investigare, cum singulari felicitate pene infans, lenitate praeceptorum usus, meo ipso consilio atque impetu bonos autores jam legebam, qui huic aetati plane interdicuntur.

XVII.

IN SPECIMINA PACIDII

INTRODUCTIO HISTORICA.

(E schedis ineditis *Leibnitii*, quae in Bibliotheca Regia Hanoverana asservantur.)

Wilhelmus Pacidius (nam ab hoc homine ordiendum mihi est, cum saepe a minimis maxima proficiscantur) natione Germanus, patria Lipsiensis amisso maturius parente, vitae rectore, impetu quodam animi ad literarum media delatus, pari in iis libertate versabatur. Nam cum domesticae bibliothecae opportunitatem haberet, abdebat se in ea totos saepe dies octannis puer, et vixdum latine balbutiens, obvios quosque libros nunc arripiebat nunc deponebat, et sine delectu aperiens claudensque nunc libabat aliquid, nunc transsiliebat, prout claritate dictionis aut jucunditate argumenti invitabatur. Credidisses eum fortuna pro praeceptore uti, atque illud Tolle Lege sibi dictum putare. Erat enim alieno consilio per fortunam carenti propria per aetatem necessaria temeritas, cui succurrere Deus solet. Et certe tulit casus, ut in veteres primum incideret, in quibus ille initio nihil, paulatim aliquid, denique quantum satis esset, intelligebat; utque in sole ambulantes etiam aliud agendo colorantur, tincturam quandam non dictionis tantum, sed et sententiarum contraxerat. Unde ad recentiores delato sordebant quae tunc in officinis regnabant tumentes ampullae nihil dicentium, aut fracticentones repetentium aliena: sine gratia, sine nervis ac lacertis, sine ullo ad vitam usu; putares alteri cuidam mundo scribi, quem illi jam tum modo rempublicam, modo Parnassum appellabant; cum veterum cogitata mascula et ingentia et excitata et velut supereminentia rebus et omnem vitae humanae tractum velut in tabula complexa, dictionem autem naturalem et claram et profluentem et rebus parem, longe alios motus animis ingenerare meminisset. Fuit hoc discrimen tam notabile, ut ex eo tempore duo sibi axiomata constitueret: quaerere semper in *verbis* caeterisque animi signis claritatem, in *rebus* usum. Quorum illud postea omnis *judicii*, hoc inventionis basin esse didicit, et plerosque errasse, quod suas sibi voces non satis distincte explicassent, atque in ultima elementa resolvissent, alios etiam experimentis, quae in manu habebant, — quod arte combinatoria mediorum ac finium carerent, quod illud: *dic cur hic*, illud *cui bono*, illud *Respice finem* non constanter exercerent, — uti nescivisse.

Ita animatus ille, cum in coetum aequalium de more venisset, pro monstro erat. Nam philosophiam ac theologiam scholasticam, qualis tunc pro sapientiae fastigio vulgo habebatur, facilem ac, verba tantum comesta tenenti, expositam exemplo suo ostendebat, qui in arcana ejus non alio praesidio, penetrasset; caeterum ut superficiariam profectuique humano inutilem contemnebat.

Interea feliciter accidit ut consilia magni viri

Francisci Baconi, Angliae Cancellarii de augmentis scientiarum et cogitata excitatissima Cardani et Campanellae et specimina melioris philosophiae Kepleri et Galilei et Cartesii ad manus adolescentis pervenirent.

Tum vero ille, ut postea amicis saepe praedicavit, velut in alium orbem delatus, Aristotelem et Platonem et Archimedem et Hipparchum et Diophantum aliosque magistros generis humani coram intueri et compellare sibi visus est. Et agnoscens nulli saeculo deesse viros magnos, et ingenio qui susciperent, et judicio qui intelligerent praeclara et recta, confirmatus in proposito coeptis instare decrevit; cum paulo ante, expertus omnes quibus collocutus erat a se dissentientes, de rerum emendatione desperasset.

Et quia ea, quam sibi sumserat, omnia degustandi libertate, rudem quidem ideam, at harmoniae universali, intelligendisque artium inter se nexarum coordinatis in unum finibus, suffecturam sibi paraverat, de eo quod optimum factu esset deliberavit.

Id enim in omnibus rebus faciendum esse docuerat eum Ars combinatioria, quam fecerat ipse sibi, inter cujus principia erat, investigandum esse in unoquoque genere summum. Ita Gecmetriae ad usum vitae accomodatae esse, determinari nobis lineas figurasque brevissimas, ut sunt rectae, longissimas ut sunt volutae, suomet pondere minime gravatas ut sunt apud Galilaeum parabolicae, radiis colligendis aptissimas ut sunt apud Cartesium hyperbolicae. Mechanicae referre, exponi rationem procurandi motum celerrimum ad molendina, tardissimum ad horologiorum durationem, regularissimum (qualis penduli est) ad certitudinem eorundem, corpus gravissimum, corpus levissimum, corpus exacte medium inter utrumque, corpus omnium maxime violentum. His enim ita digestis media maxime promta et efficacia suffore in omnes usus.

Ergo de potissimo vitae consilio et velut ratione status privati deliberans, ante omnia constituebat id demum optimum privato videri debere quod publice fructuosissimum esset, quod ad gloriam Dei pertineret, quod effici non facientis minus quam generis humani interesset: mediorum autem homini ad praeclara nullum esse homine praestantius, et inter homines Rege, vicario Dei, non potentia minus quam sapientia, si quem rara temporum felicitas talem tulisset.

XVIII.
FUNDAMENTA
CALCULI RATIOCINATORIS.

(Fragmentum e schedis *Leibnitii* nondum editis, quae n Bibliotheca Regia Hanoverana asservantur.)

Omnis humana ratiocinatio signis quibusdam sive characteribus perficitur. Non enim tantum res ipsae, sed et rerum ideae, semper animo distincte obversari neque possunt neque debent, et itaque compendii causa signa pro ipsis adhibentur.

Si enim Geometra, quoties hyperbolam aut spiralem aut Quadratricem inter demonstrandum nominat, semper earum definitiones sive generationes et rursus terminorum, eos ingredientium, definitiones sibi exacte praefigurare cogeretur, tardissime ad nova detegenda perveniret; si Arithmeticus inter calculandum omnium notarum sive ciphrarum quas scribit valores unitatumque multitudinem continuo cogitaret, numquam prolixos calculos absolveret perinde ac si totidem lapillis uti vellet; et ICtus aliquis, quoties actiones aut exceptiones aut juris beneficia memorat requisita harum rerum essentialia saepe prolixa semper mente percurrere non potest; neque opus est. Hinc factum est ut nomina contractibus figuris variisque rerum speciebus, signaque numeris in Arithmetica, magnitudinibus in Algebra sint assignata, ut, quae semel vel experiendo vel ratiocinando de rebus comperta sunt, eorum signa rerum illarum signis tuto in posterum conjungantur. Signorum igitur numero comprehendo vocabula, literas, figuras chemicas, Astronomicas, Chinenses, Hieroglyphicas, notas Musicas, stenographicas, arithmeticas, algebraicas aliasque omnes quibus inter cogitandum pro rebus utimur.

Signa autem scripta, vel delienata vel sculpta *characteres* appellantur. Porro tanto utiliora sunt signa, quanto magis notionem rei signatae exprimunt, ita ut non tantum repraesentationi, sed et ratiocinationi inservire possint. Tale nihil praestant characteres chemicorum aut astronomorum, nisi quis cum Johanne Dee, autore monadis hieroglyphicae, mysteria nescio quae in illis venari posse speret. Nec puto Chinensium figuras aut Aegyptiorum inveniendis veritatibus multum prodesse posse. Lingua Adamica vel certe vis ejus, quam quidem se nosse et in nominibus ab Adamo impositis essentias rerum intueri posse contendunt, nobis certe ignota est. Linguae vulgares etsi plurimum prosint ad ratiocinandum, attamen innumeris aequivocationibus sunt obnoxia, nec officium calculi facere possunt nempe ut errores ratiocinationis ex ipsa vocabulorum formatione et constructione detegi possint, tamquam soloecismi et barbarismi. Quod sane admirabile beneficium hactenus solae praestant notae Arithmeticorum et Algebristarum, ubi ratiocinatio omnis in usu characterum consistit et idem est error animi qui calculi.

Mihi vero rem altius agitanti dudum manifeste apparuit, omnes humanas cogitationes in paucas admodum resolvi tamquam primitivas. Quod si his characteres assignentur, posse inde formari characteres notionum derivatarum, ex quibus semper omnia earum requisita notionesque primitivae ingredientes, et ut verbo dicam definitiones sive valores, et proinde et affectiones ex definitionibus demonstrabiles, erui possent. Hoc uno autem praestito, quisquis characteribus hujusmodi inter ratiocinandum scribendumque uteretur, aut numquam laberetur, aut lapsus suos ipse non minus atque alii semper facillimis examinibus deprehenderet, inveniret praeterea veritatem quantum ex datis licet, et sicubi data ad inveniendum quaesitum non essent sufficientia, videret quibusnam adhuc experimentis vel notitiis esset opus quin saltem accedere posset veritati, quantum ex datis possibile est sive appropinquando, sive gradum majoris probabilitatis determinando; sophismata autem et paralogismi nihil hic aliud forent quam quod errores calculi in Arithmeticis, et soloecismi et barbarismi in linguis. Cum igitur hac arte characteristica cujus ideam animo concepi, verum organon scientiae generalis omnium, quae sub humanam ratiocinationem cadunt, sed perpetuis calculi evidentis demonstrationibus vestitum, contineatur, opus erit ipsam quoque characteristicen nostram, seu artem signis exacto quodam calculi genere utendi, quam generalissime exhiberi. Cum autem nondum constituere licuerit, quomodo signa formari debeant, interdum pro ipsis in futurum formandis exemplo Mathematicorum utamur literis Alphabeti aliisve notis arbitrariis quibuscunque, quas progressus aptissimas suppeditabit. Qua ratione etiam apparebit ordo scientiarum characteristice tractatarum, et res ipsa docebit, Arithmaticam elementarem esse elementis calculi Logici, de figuris modisque agentis, priorem simplicioremque.

Esto character quilibet A vel B, vel alia nota.

Compositum ex pluribus characteribus vocetur *Formula*.

Si formula quaedam aequivaleat characteri, ita ut sibi mutuo substitui possint, ea formula dicetur *valor* characteris.

Valor primigenius characteris, qui scilicet pro arbitrio ei assignatur nec probatione opus habet, est ejus *significatio*.

Inter ea quorum unum alteri substitui potest salvis calculi legibus, dicetur esse *aequipollentiam*.

Praeter aequipollentiam dantur aliae *relationes* complures, quas res ipsa monstrabit, v. g. inclusiones, similitudines, determinationes, de quibus suo loco. Et proinde relationes sunt ad characteres atque formulas, ut enuntiationes se habent ad notiones, sive secunda mentis operatio ad primam.

Calculus vel operatio consistit in relationum productione, facta per transmutationem formularum, secundum leges quasdam praescriptas factis. Quanto autem plures leges sive conditiones calculaturo praescribuntur, eo magis compositus est calculus et characteristica quoque illa minus est simplex. Patet igitur, formulas (sub quibus, tamquam simplicissimos, licet comprehendere ipsos characteres) relationes et operationes se habere ut notiones, enuntiationes et syllogismos.

Character dicetur *ingredi* formulam, in qua expresse ponitur, *involvi* autem dicetur, si saltem per substitutionem aequipollentium effici potest, ut tum demum ingrediatur.

Characteres formulam ingrediuntur vel *absolute* seu simpliciter, vel sub *modificatione* certa, sive relatione ad alium characterem, verbi gratia si sit formula A (B). C, cum A et C ingrediuntur recte, at B oblique sub A. Fieri etiam potest ut omnes characteres formulam sub modificatione ingrediantur ut si sit: $\overline{A.B.C.}$ $\overline{L.M.N.}$ ubi A.B.C. simul, certo modo concurrentes constituunt demum characterem rectum ex ipsis conflatum sive compositum, itemque faciunt L.M.N. quodsi character absolute positus sit expressus aliter quam

per modificatos, dicetur **rectus**, modificatus autem dicetur **obliquus**: Characteres alii formulam ita ingrediuntur ut distingui inter se non possint, alii secus, ita Continens vel Aggregatum est compositum uniforme, seu formula quae in nullas formulas, nisi arbitrarie, dividitur, ut A.B. et A.B.C. Compositio omnis est aequiformis vel disquiformis. Aequiformis ut AB vel A.B.C.D., vel $\overline{A.B.}\ \overline{C.D.}\ \overline{E.F.}$, ubi semper quae eodem vinculo connectuntur, uniformiter vinculum ingrediuntur, (ubi rursum interest, eodem modo connectantur A et B suo vinculo, quo C et D continentur suo, et an A et B eodem modo $\overline{A.B}$ et $\overline{C.D}$). Si duo unum vinculum disquiformiter ingrediantur ut A ⊢ B, et unum ex ipsis, A, cum proximo C formulam ingrediente uniformiter ingrediatur in novum vinculum ut A ⊢ B C, erit A directum, B obliquum etc.

XIX.

NON INELEGANS SPECIMEN DEMONSTRANDI

IN ABSTRACTIS.

(Fragmentum autographum Leibnitii, quod in Bibliotheca Regia Hanoverana asservatur.)

Definitio 1. Eadem sunt quorum unum potest substitui alteri salva veritate. Si sint A et B, et A ingrediatur aliquam propositionem veram, et ibi in aliquo loco ipsius A pro ipso substituendo B fiat nova propositio aeque itidem vera, idque semper succedat in quacunque tali propositione, A et B dicuntur esse eadem; et contra, si eadem sint A et B, procedet substitutio quam dixi. (Eadem etiam vocantur coincidentia, aliquando tamen A quidem et A vocantur idem, A vero et B vocantur coincidentia).

Defin. 2. Diversa sunt, quae sunt non eadem, seu in quibus substitutio aliquando non succedit.

Coroll. Unde etiam, quae non sunt diversa, sunt eadem.

Charact. 1. A ∞ B significat A et B esse eadem vel coincidentia.


Charact. 2. A non ∞ B, vel B non ∞ A, significat A et B esse diversa.

Defin. 3. Si plura simul sumta coincidant uni plurium, quodlibet dicitur inesse vel contineri in uno isto, ipsum autem unum dicetur continens, (et contra: si quid insit alteri, erit inter plura simul coincidentia illi alteri). Ut si A et B simul sumta coincidant ipsi L, A ut et B dicetur inexistens vel contentum, at L dicetur continens.

Scholium: Non omne inexistens est pars, nec omne continens est totum, e. gr. quadratum inscriptum et diameter circulo inest, et quadratum quidem est pars circuli, diameter vero non est pars ejus. Addendum est ergo aliquid ad notionem totius et partis accurate explicandam, quod non est hujus loci. (Et vero non insunt tantum sed et detrahi possunt ea quae partes non sunt, e. gr. Centrum ex circulo, ita ut in residuo sint omnia puncta praeter centrum; id enim residuum erit locus omnium punctorum intra circulum, quorum distantia a circumferentia est minor radio, cujus loci differentia a circulo est punctum, nempe centrum. Ita locus omnium punctorum quae moventur, sphaerâ, duobus ejus punctis diametro distantibus immotis, motâ fit si a sphaera detrahas axem seu diametrum per duo puncta immota transeuntem). Iisdem positis A et B simul sumta dicuntur constituentia, L autem constitutum.

Charact. 3. A + B ∞ L significat A inesse ipsi L, vel contineri a L.


Scholium: Etsi A et B habeant aliquid commune, ita ut ambo simul sumta sint majora ipso L, nihilominus locum habebunt quae hoc loco diximus aut dicemus. Exemplo rem declarare utile erit: L significet rectam



RX, et A partem ejus rectam scilicet RS, et B aliam ejus partem rectam scilicet XV; ponatur quaelibet harum partium RS vel XV major esse dimidio totius RX, nam revera quia VS est pars communis ipsorum RS et XV erit RS + XV aequ RX + SV, et tamen vere dici potest, rectas RS et XV simul coincidere rectae RX.

Defin. 4. Si aliquid N insit ipsi A, itemque insit ipsi B, id dicetur ipsis commune, ipsa autem dicantur communicantia; si vero nihil commune habeant ut A et N (verbi gratia RS et XS.), dicentur incommunicantia.

Defin. 5. Si ipsi L. insit A, et efficiatur aliud N, in quo omnia manent, quae sunt in L, exceptis iis quae etiam sunt in A quorum nihil manere debet in N, dicitur A detrahi vel removeri ab L, at N dicetur residuum.



Charact. 4. Si sit L — A ∞ N, significatur L esse continens a quo si detrahas A, residuum sit N.

Defin. 6. Si unum aliquod pluribus simul positis aut remotis coincidit, plura illa dicuntur constituentia.

Scholium......

Defin. 7. Constitutio (hoc est positio vel detractio) vel expressa est, vel tacita.....

Defin. 8. Compensatio est, cum idem ponatur et detrahatur in eodem. Destructio est cum quid .... abjicitur, ut non amplius exprimatur, ut pro M — M ponendo Nihil [1]).

Axioma 1. Si idem secum ipso sumatur, nihil constituitur novum, seu A + A ∞ A.

Scholium: Equidem in numeris 4 + 4 facit 8, seu bini nummi binis additi faciunt quatuor nummos, sed tunc bini additi sunt alii a prioribus, si iidem essent, nihil novi prodiret et perinde esset ac si joco ex tribus ovis facere vellemus sex numerando primum 3 ova, deinde uno sublato residua 2, ac denique uno rursus sublato residuum.

Axioma 2. Si idem ponitur et detrahitur, quicquid inde in alio constituitur, coincidit Nihilo.

Postulatum 1. Plura quaecunque simul sumi possunt ad unum constituendum ut si sint A et B, potest inde fieri A + B, quod appellari potest L.

Postul. 2. Detrahere aliquid A ab eo cui inest, nempe ab A + B seu L, reliqua dentur ut B, quae cum ipso A constituunt continens L, seu iisdem positis invenire residuum L — A.

Scholium: Ope hujus postulati postea medium dabimus inveniendi differentiam inter duo quorum unum A alteri, L, inest, licet reliqua quae cum illo hoc constituunt, non dentur, seu medium inveniendi L — A, seu A + B — A, licet solum dentur L et A, non vero B.

THEOREMA I.

Quae sunt eadem uni tertio, eadem sunt inter se.

Si A ∞ B et B ∞ C, erit A ∞ C. Nam si in propositione A ∞ B (vera ex hypothesi) substituatur C in locum B (quod facere licet per def. 1. quia B ∞ C ex hyp.), fiet A ∞ C. Q. E. Dem.

THEOREMA II.

Si duorum quae sunt eadem inter se unum diversum sit a tertio, etiam alterum ab eo erit diversum.

Si A ∞ B et B non ∞ C, erit A non ∞ C. Nam si in propositione B non ∞ C (vera ex hyp.) substituatur A in locum B (quod facere licet per def. 1 quia A ∞ B ex hyp.) fiet A non ∞ C. Q. E. Dem.

Not. Hic inseri posset Theorema tale: Quod inest uni coincidentium, etiam alteri inest. Si A est in B et B ∞ C, etiam A est in C, nempe in prop. A est in B (vera ex hyp.) substituendo C in locum ipsius B.

THEOREMA III.

Si eidem addantur coincidentia fiunt coincidentia.

Si A ∞ B, erit A + C ∞ B + C. Nam si in propositione A + C ∞ A + C (quae est vera per se) pro A semel substituas B (quod facere licet per def. 1. quia A ∞ B) fiet A + C ∞ B + C. Q. E. Dem.

Coroll. Si coincidentibus addantur coincidentia, fiunt coincidentia. Si A ∞ B, et L ∞ M, erit A + L ∞ B + M. Nam (per praesens theorema) quia L ∞ M, erit A + L ∞ A + M, et in hac assertione pro A semel ponendo B (quia A ∞ B ex hyp.) fiet A + L ∞ B + M. Q. E. Dem.

[1]) Cum Def. 6—8 et Scholion in margine Autographi scripta sint tam parvis literis iisdemque partim deletis, ut vix cerni, nedum legi queant, non potui quin aliqua verba omitterem. Not. Ed.

THEOREMA IV.

Contentum contenti est contentum continentis, seu si id cui aliud inest, insit tertio, id quod ei inest, eidem tertio inerit, vel si A est in B et B est in C, etiam A erit in C. Nam A est in B (ex hyp.). Ergo est aliquid, cui nomen imponemus L tale, ut sit A+L ∞ B (per def. 3. vel charact 3), similiter quia B est in C (ex hyp.) erit B+M ∞ C, in qua assertione pro B ponendo A+L (quo coincidere ostendimus) fiet A+L+M ∞ C. Jam pro L+M ponendo N (per postul. 1.) fiet A+N ∞ C. Ergo A est in C (per def. 3.) Q. E. Dem.

THEOREMA V.

Cui singula insunt, etiam ex ipsis constitutum inest.

Si A est in C, et B est in C, etiam A+B (Constitutum ex A et B def. 4.) erit in C. Nam quia A est in C, erit aliquod M tale ut possit fieri A+M ∞ C (per def. 3) similiter quia B est in C, poterit fieri B+N ∞ C, quae conjungendo (per coroll. Theorematis 3) fiet A+M+B+N ∞ C, et preinde (per def. 3) A+B est in C. Q. E. Dem.

THEOREMA VI.

Constitutum ex contentis inest constituto ex continentibus.

Si A est in M et B est in N, erit A+B in M+N. Nam A est in M (ex hyp.) et M est in M+N per def. 3). Ergo N est in M+N (per def. 3). Ergo B est in M+N (per theor. 4) jam si A est in M+N., et B est in M+N, etiam (per th. 5) erit A+B in M+N. Q. E. Dem.

THEOREMA VII.

Si quid additur ei cui inest, nil constituitur novi.

Si B est in A erit A+B ∞ A. Nam si B est in A, potest fieri B+C ∞ A (def. 3). Ergo per (theor. 3) A+B ∞ B+C+B ∞ B+C (per axiom. 1) ∞ A (per dicta hic). Q. E. Dem.

CONVERSUM THEOREMATIS PRAECEDENTIS.

Si quid addendo alteri nil constituitur, ipsum alteri inest.

Si A+B ∞ A, tum B erit in A, nam B est in A+B (def. 3) et A+B ∞ A (ex hyp.). Ergo B est in A (per insertum inter theor. 2 et 3). Q. E. Dem.

Aliud est detractio in notionibus, aliud negatio, v. g. Homo non rationalis est absurdum seu impossibile. Sed licet dicere: simia est homo, nisi quod non est rationalis, ut in jambo Grotii. Homo — Rationalis aliud quam homo non rationalis. Nam Homo — Rationalis ∞ Brutum. Sed homo non rationalis est impossibile. Homo — Animal — Rationalis est Nihilum. Hinc detractiones possunt facere nihilum seu non Ens simplex imo minus nihilo, sed negationes possunt facere impossibile.

THEOREMA IX.

1) Ex compensatione expressa sequitur destructio compensati si nihil sit in compensatione destruenda, quod tacite repetitum constitutionem ingrediatur extra compensationem; 2) item si quicquid est hoc repetitum, ingrediatur et se et positionem et detractionem extra compensationem; 3) si horum neutrum contingat, destructio pro compensatione substitui non potest.

Casus 1. Si A+N — M — N est ∞ A — M, et A, N, M sunt incommunicantia, ita enim nihil est in compensatione destruenda A+N — N quod sit extra ipsam in A vel M seu quod in +N ponitur id, quotiescunque hic ponitur, continetur in +N et quod in — N detrahitur, id, quotiescunque hic detrahitur, continetur in — N, ergo (per ax 2) pro +N — N poni potest Nihilum.

Casus 2. Si A+B — B — G ∞ F et omne quod tam A et B, quam G et B commune habeant sit M, erit F ∞ A — G. Ponamus praeterea, omne quod A et G commune habent, esse E si quod habent, ita ut si nihil communicassent E sit ∞ Nih., ita erit A ∞ E+Q+M B ∞ N+M et G ∞ E+H+M et fiet F ∞ E+Q+M+N+M — N — M — E — H — M qui termini omnes (E, Q, N, M, H) sunt incommunicantes, ideo (per casum praecedentem) sit F ∞ Q — H ∞ E+2+M — E — H — M ∞ A — G.

Casus 3. Si A+B — B — D ∞ C, et id quod commune est ipsi A et B non coincidit cum eo, quod commune est ipsis B et D, non erit C ∞ A — D; sit enim B ∞ E+F+G, et A ∞ H+E et D ∞ K+F, sic ut haec ingredientia non sint amplius communicantia nec ulteriore adeo resolutione sit opus, fiet C ∞ H+E+E+F+G — E — F — G — K — F, id est (per casum 1) C ∞ H — K, quod non est ∞ A — D, id enim est ∞ H+E — K — J, nisi ponitur E ∞ F, seu commune inter B et A idem cum communi inter B et D contra hyp. Eadem demonstratio foret etsi A et D habuissent aliquid commune inter se.

THEOREMA X.

Detractum et residuum sunt incommunicantia.

Sit L — A ∞ N. Dico A et N nihil habere commune. Nam ex definitione detracti et residui omnia quae sunt in L, manent in N praeter ea quae sunt in A, quorum nihil manet in N.

Problema. Efficere ut ex non coincidentibus, ad data coincidentia additis, constituantur tamen coincidentia.

Sit A ∞ A, dico reperiri posse duo B et N sic ut B non sit ∞ N et tamen A+B sit ∞ A+N. Solutio: Sumatur aliquid quod insit ipsi A, ut M, et sumto N pro arbitrio, sic tamen ut neque M sit in N, neque contra N in M, fiat B ∞ M+N; et factum erit quod quaeritur. Nam quia B ∞ M+N ex hyp., et M atque N sibi non insunt ex hyp., et tamen A+B ∞ A+N, quia per th. 7. convers A+B ∞ A+M+N, at hoc (per th. 7. quia M est in A ex hyp.) ∞ A+N.

THEOREMA XI.

In duobus communicantibus id, cui inest quicquid, utrique commune est et duo propria sunt tria incommunicantia inter se.

Sint A et B communicantia et A ∞ P+M et B N+M, sic ut quicquid est in A et B sit in M, nihil vero ejus in P et N, dico P, M, N esse incommunicantia, nam tam P quam N sunt incommunicantia cum M, quia quod est in M, est in A et B simul, at nihil tale est in P aut N. Deinde P et N sunt incommunicantia inter se, alioqui itidem quod ipsis commune est, foret in A et B.

THEOREMA XII.

In incommunicantibus quae coincidentibus addita faciunt coincidentia ea ipsa sunt coincidentia.

Seu, si A+B ∞ C+D et A ∞ C, erit B ∞ D, modo A et B itemque C et D sint incommunicantia. Nam A+B — C ∞ C+D — C (per th. 8), jam A+B — C ∞ A+B — A (ex hyp. quod A ∞ C) et A+B — A ∞ B (per th. 9. cap. 1. quia A et B incommunicantia) et (per eandem rationem) C+D — C ∞ C. Ergo B ∞ C. Quod Erat Dem.

THEOREMA XIII.

Generaliter, si coincidentibus addendo alia fiant coincidentia, addita sunt inter se communicantia.

Sint coincidentia vel eadem A et A, fiatque A+B ∞ A+N, dico B et N esse communicantia. Nam si A et B sunt incommunicantia, item A et N, erunt B ∞ N (per praeced.). Ergo communicantia sunt B et N. Sin A et B sint communicantia, sit A ∞ P+M et B ∞ Q+M ponendo M quicquid commune est inter A et B et nihil tale in P et Q. Ergo (per ax. 1) A+B ∞ P+Q+M ∞ P+M+N, jam P, Q, M sunt incommunicantia (per th. 11). Ergo si etiam N cum A, seu cum P+M est incommunicans, ex P+Q+M ∞ P+M+N fiet (per praeced.) Q ∞ N. Ergo N est in B. Ergo N et B sunt communicantia; si vero iisdem positis, nempe P+Q+M ∞ P+M+N, seu A communicante cum B, N etiam communicet cum P+M seu A, tunc N vel communicabit cum M, quo facto communicabit etiam cum B, (cui inest M) et habebitur intentum, vel N communicabit cum P. Ergo faciamus similiter P ∞ G+H et N ∞ F+H sic ut G, H, F sint incommunicantia (secundum th. 11) et ex P+Q+M ∞ P+M+N fiet G+H+Q+M ∞ G+H+M+F+H. Ergo (per praec. th.) fit Q ∞ F. Ergo N (∞ F+H) et B (∞ Q+M) habent aliquid commune. Q. E. D.

Porisma. Ex demonstratione hac discimus: si eidem, vel coincidentibus addantur aliqua et fiant coincidentia, sintque addita utraque ei cui adduntur incommunicantia ipsa coincidere inter se (quod et patet ex th. 12). Sin unum sit communicans eidem illi cui utrumque additur, alterum vero non, tunc incommunicans erit in communicante; denique si ambo sint communicantia cum eo cui addantur, ad minimum communicabunt inter se (quanquam alioqui non sequatur, quae communicant eidem tertio, communicare inter se). In notis: A+B ∞ A+N si A et B incommunicantia item A et N incommunicantia, erit B ∞ N; si A et B communicantia et A et N incommunicantia, N erit in B; denique si B communicet cum A et N itidem communicet cum A, tunc B et N ad minimum communicabunt inter se.

XX.

ADDENDA

AD

SPECIMEN CALCULI UNIVERSALIS.

(E scheda Leibnitiana nondum edita, quae Hanoverae in Bibliotheca Regia asservatur.)

Ut calculi hujus natura intelligatur, notandum est, quicquid a nobis enuntiatur in quibusdam literis, quas pro arbitrio assumsimus, idem intelligendum enuntiari posse eodem modo in aliis quibusvis assumtis. Ut, cum dico, propositionem hanc ab est a semper esse veram, intelligo non tantum hoc exemplum: animal rationale est animal, esse verum ponendo animal significari per a et rationale per b, sed intelligo etiam hoc exemplum, animal rationale est rationale, esse verum, ponendo rationale significari per a et animal per b. Et idem in quolibet alio exemplo procedere, ut corpus organicum est organicum, ac proinde etiam pro ab est a, dici poterit bd est a.

Terminus est a. b. ab. bcd ut: homo, animal, animal rationale, rationale mortale visibile. Propositionem universalem affirmativam sic designo: a est b, seu (omnis) homo est animal, semper enim hic signum universalitatis intelligi volo, ubi a subjectum et b praedicatum. Est: copula.

Postulatum: Permissum esto supponere literam uni literae vel pluribus simul aequivalere, ut d aequivalere ipsi a et alterum in alterius locum substitui posse vel d aequivalere termino ab, verbi gratia, homo idem quod animal rationale: Hoc intellige, si nihil his suppositionibus contrarium jam suppositum sit.

Propositiones per se verae; 1) a est a, animal est animal, 2) ab est a, animal rationale est animal. 3) a non est non-a, animal non est non animal, 4) non-a non est a non-animal non est animal, 5) Qui non est a est non-a qui non est animal, est non-animal, 6) Qui non est non-a, est a, qui non est non-animal, est animal. — Ex his duci possunt plures.

Consequentia per se vera: a est b, et b est c, ergo a est c, Deus est sapiens, sapiens est justus, ergo Deus est justus. Haec catena longius continuari potest, v. g. Deus est sapiens, sapiens est justus, justus est severus, ergo Deus est severus.

Principia calculi 1) Quicquid inclusum in literis quibusdam indefinitis idem intelligi debet conclusum in aliis quibuscunque, easdem conditiones habentibus, ut quia verum est ab est a, etiam verum erit bc est b, imo et bcd est bc, nam pro bc substituendo e (per postulatum) idem est ac si dixissemus ed est e.

2) Transpositio literarum in eodem termino nihil mutat ut *ab* coincidet cum *ba*, seu animal rationale et rationale animal.

3) Repetitio ejusdem literae in eodem termino est inutilis, ut b est aa, vel bb est a homo est animal animal, vel homo homo est animal. Sufficit enim dici a est b, seu homo est animal.

4) Ex quotcunque propositionibus fieri potest una, additis omnibus subjectis in unum subjectum et omnibus praedicatis in unum praedicatum. a est b, et c est d et e est f, inde fiet ace est bdf. Ut Deus est omnipotens, homo est corpore praeditus, Crucifixus est patiens. Ergo Deus homo crucifixus est omnipotens corpore praeditus patiens. Nec refert quod interdum, quae conjunguntur hoc modo, incomputabilia sunt ut: circulus est nullangulus. Quadratum est quadrangulum. Ergo circulus-quadratum est nullangulum quadrangulum. Nam haec propositio vera est ex hypothesi impossibili. Utilis est haec observatio praesertim in Catenis longius productis, verbi gratia hoc modo: Deus est sapiens, sapiens est justus: Deus est omnipotens, justus omnipotens punit malos. Deus non punit aliquos malos in hac vita. Qui punit at non punit in hac vita, ponit in alia vita. Ergo Deus punit in alia vita.

5) Ex quacunque propositione, cujus praedicatum est ex pluribus terminis compositum, possunt fieri plures, quarum quaelibet idem quod ante, habet subjectum; sed loco praedicati habet aliquam prioris praedicati partem. a est bcd, Ergo a est b et a est c, et a est d. Veluti homo est rationalis mortalis visibilis. Ergo homo est rationalis, homo est mortalis, homo est visibilis.

XXI.

DE VERITATIBUS PRIMIS.

(Fragmentum schedae cujusdam Leibnitianae, quae Hanoverae in scriniis Bibliothecae Regiae asservatur.)

Veritates absolute primae sunt inter veritates rationis identicae et inter veritates facti haec, ex qua a priori demonstrari possent omnia experimenta, nempe: Omne possibile exigit existere, et proinde existeret, nisi aliud impediret, quod etiam existere exigit et priori incompatibile est, unde sequitur, semper eam existere rerum combinationem, qua existunt quam plurima, ut, si ponamus A. B. C. D esse aequalia quoad essentiam, seu aeque perfecta, sive aeque existentiam exigentia, et ponamus D esse incompatibile cum A et cum B, A autem esse compatibile cum quovis, praeter cum D, et similiter B et C, sequitur, existere hanc combinationem A. B. C, excluso D, nam si D existere volumus, nonnisi C ipsi poterit coëxistere, ergo existet Combinatio C. D, quae utique imperfectior est combinatione A. B. C., itaque hinc patet, res existere perfectissimo modo. Haec propositio: Omne possibile exigit existere, potest probari a posteriori, posito aliquid existere; nam vel omnia existunt, et tunc omne possibile adeo exiget existere, ut etiam existat, vel quaedam non existunt, tum ratio reddi debet, cur quaedam prae aliis existant. Haec autem aliter reddi non potest, quam ex generali essentiae seu possibilitatis ratione, posito, possibile exigere sua natura existentiam et quidem pro ratione possibilitatis seu pro essentiae gradu. Nisi in ipsa essentiae natura esset quaedam ad existendum inclinatio, nihil existeret, nam dicere, quasdam essentias hanc inclinationem habere, quasdam non habere est dicere aliquid sine ratione [1]), cum generaliter videatur existentia referri ad omnem essentiam eodem modo. Illud tamen adhuc hominibus ignotum est, unde oriatur incompossibilitas diversorum, seu qui fieri possit, ut diversae essentiae invicem pugnent, cum omnes termini pure positivi videantur esse compatibiles inter se.

Veritates secundum nos primae sunt experimenta. Omnis veritas quae non est absolute prima, demonstrari potest ex absolute prima. Omnis veritas aut dtmonstrari potest ex absolute primis (quas indemonstrabiles esse, demonstrabile est) aut ipsa est absolute prima. Et hoc est, quod dici solet, nihil debere asseri sine ratione, imo nihil fieri sine ratione etc.

[1]) Si existentia esset aliud quiddam, quam essentiae exigentia, sequeretur ipsam habere quandam essentiam, seu aliquid novum superaddere rebus, de quo rursus quaeri posset, an haec essentia existat an non existat, et cur ista potius quam alia. Nota Leibnitii.

XXII.

DEFINITIONES LOGICAE.

(Ex Autographis Leibnitii nondum editis, in Bibliotheca Regia Hanoverana asservatis.).

1. A includere B, seu B includi ab A, est: de A, subjecto, universaliter affirmari B, praedicatum. Veluti: sapiens includit justum, hoc est, omnis sapiens est justus.

2. A excludere B, seu B excludi ab A est, de A, subjecto, universaliter negari B, praedicatum. Veluti justus excludit miserum, hoc est nullus justus est miser.

3. Qui negat, A includere B, is de quodam subjecto A negat praedicatum B, seu enuntiat particularem negativam. Seu qui negat justo includi fortunatum, enuntiat quendam justum non esse fortunatum. Nam si omnis justus esset fortunatus, (intellige qui est, fuit, futurusve est), jam dici posset, omni, qui justus est, inesse fortunatum, itaque justus fortunatum includet contra hypothesin.

4. Qui negat A excludere B, is de quodam subjecto A affirmat praedicatum B, seu enuntiat particularem affirmativam. Qui negat a sapiente excludi fortunatum, enuntiat quendam sapientem esse fortunatum.

5. Si ex pluribus enuntiationibus sequatur nova enuntiatio, et haec sit falsa, erit aliqua ex illis falsa. Est collectio per regressum.

6. Contradictoriae (seu quarum una affirmat, quod altera negat) non possunt simul esse vera, nec simul esse falsa et hoc vocant oppositionem.

7. Ex universali sequitur particularis ejusdem naturae quod vocant subalternationem. Nempe si A includit B (seu per num 1) si omne A est B, sequitur quod A non excludat B, seu (per num. 4.) quoddam A esse B. Rursus si excludit B, seu (per num. 2.) si nullum A est B, sequitur quod A non includat B, seu (per num. 3.) quoddem A non esse B.

8. Si A excludit B, vicissim B excludit A. Hoc est fundamentum conversionis simpliciter factae. Nam hinc (per 2.) si nullum A est B, etiam nullam B est A, et (per 4.) si quoddam A est B, etiam quoddam B est A.

9. Si A includit B, hinc (per 1 et 4.) nâscitur conversio per accidens. Omne A est B, ergo quoddam B est A.

10. Notatu tamen dignum est, tam subalternationem quam conversionem posse demonstrari ope syllogismorum.

12. Syllogismus Categoricus simplex est, qui de inclusione vel exclusione duorum terminorum inter se, aliquid per data de inclusione vel exclusione tertii respectu singularum.

13. Includens includentis est includens inclusi, seu si A includit B et B includit C, etiam A includet C.

14. Includens excludentis est excludens exclusi, seu si A includit B et B excludit C, etiam A excludet C.

15. Includens excludentis est exclusum exclusi, seu si A includit B et B excludit C, etiam C excludit A. Sequitur ex praecedente, accedente No. 8. — Hinc mutando C in A, et contra, exclusum (A) inclusi (B) est exclusum includentis (C) B excludit A, et C includit B, Ergo A excludit C.

16. Excludens inclusi est excludens includentis, seu si A excludit B et B includitur in C, etiam A excludit C, seu si A excludit B, et C includit B, utique A excludit C. Patet per se.

17. Si A excludit B et C includit B, etiam C excludit A seu excludens inclusi est exclusum includentis. Sequitur ex praecedente ope 8. Hinc si permutes C et A, fiet; si A includit B et C excludit B, etiam A excludit C (seu includens exclusi est excludens excludentis).

(a un. aff. e un. neg. i part. aff. o part. neg.)

18. Regulam primam sic enunties: Medium subjecto inclusum etiam praedicatum, sibi inclusum (vel exclusum), ei includi (vel excludi) ostendit. Hinc dispositione terminorum existente BC. AB. AC. ex inclusione fit aaa, unde subalternando aai, ex exclusione fit eae, unde subalternando fit eao, sed quia e. BC inferri potest ex e CB, hinc fit e. CB, a. AB, e. AC, et subalternando e. CB, a AB, o AC.

19. Regulam secundam sic enunties: Medium subjecto exclusum etiam praedicatum, se includens, subjecto excludi ostendit. Hinc fit a CB, e AB, e (vel o) AC; qui modus cum per conversionem simpliciter ipsius e AB in e BA se-

quatur, ex isto a CB, e BA, e (vel o) AC etiam iste valebit.

20. Habemus hinc modos 10 ex reg. 1 et 2. Ex quolibet horum fiunt duo per regressum, dum, negando conclusionem et affirmando unam praemissarum, affirmatur altera. Inde praeter hos 10 erunt 20, summa 30. Sed tamen et plures erunt, sumendo pro propositionibus inferentibus eas, ex quibus ipsae sequuntur, id est simpliciter conversas. Cum vero revera non nisi 24 modi dentur, ut alias ostendimus, ideo necesse est, nonnullos bis occurrere.

XXIII.

DIFFICULTATES QUAEDAM LOGICAE.

(Oeuvres philosophiques etc. ed. Raspe p. 513.).

Difficultates quaedam logicae solutu dignae occurrerunt. Qui fit, quod in singularibus procedit oppositio: Petrus Apostolus est miles et Petrus Apostolus non est miles, cum tamen opponatur alias universalis affirmativa et particularis negativa? An dicemus singulare aequivalere particulari et universali? Recte. Itaque et cum objicietur singulare aequivalere particulari, quia in tertia figura conclusio debeat esse particularis et possit tamen esse singularis (v. g. omnis scribens est homo, quidam scribens est Petrus Apostolus, ergo Petrus Apostolus est homo) respondebo, conclusionem revera esse particularem et perinde esse ac si conclusissemus, quidam Petrus Apostolus est homo, nam quidam Petrus Apostolus et omnis Petrus Apostolus coincidunt, quia terminus est singularis.

Major haec est difficultas, quod conversio recepta videtur aliquando inducere falsum, nempe conversio per accidens universalis affirmativa in casu tali, omnis ridens est homo, ergo quidam homo est ridens; nam prior vera est, etiamsi nullus homo rideret, at posterior non vera non est, nisi aliquis homo actu rideat. Prior loquitur de possibilibus, posterior de actualibus. At non occurrit difficultas similis si maneas in terminis possibilium, v. g. omnis homo est animal, ergo quoddam animal est homo. Dicendum ergo conclusionem, quidam homo est ridens, esse veram in regione Idearum, seu si ridentem sumas pro quadam specie Entis possibilis, ut miles est species hominis, seu ut homo est species animalis, ita quidam homo est ridens, veraque erit propositio, etiamsi nullus homo ridens existat. Sane conversio a me demonstratur per Syllogismum tertiae figurae. Omnis ridens est ridens. Omnis ridens est homo. Ergo quidam homo est ridens, intelligo in regione Idearum, si ridens sumatur pro hominis specie non pro ridente actuali. Syllogismus hic in Darapti demonstrari potest ex prima per regressum, seu nihil aliud assumendo quam leges oppositionum, dum scilicet sumatur Syllogismus in prima et assumitur conclusionem falsam esse et unam praemissarum esse veram. Hinc sequitur alteram praemissarum esse falsam. Falsae autem conclusioni opposita est vera.

Leges autem oppositionum primitivae sunt. V. g. omnis homo est animal. Huic ajo opponi: quidam homo non est animal. Nam omnis homo est animal idem est quod A homo est animal, B homo est animal, C homo est animal et ita in caeteris; et quidam homo non est animal, nihil aliud dicit quam B non esse animal vel aliquid tale. Itaque opponuntur: omnis homo est animal et quidam homo non est animal. Sic opponuntur: nullus homo est lapis et quidam homo est lapis; nam nullus homo est lapis significat A homo non est lapis, B homo non est lapis, C homo non est lapis etc. Ergo falso est talis:

B homo est lapis, quae nihil aliud est quam aliquis homo est lapis. Atque hoc est proprie dictum de omni et dictum de nullo, tanquam fundamentum omnis doctrinae syllogisticae, nempe doctrina oppositionum pariter ac primae figurae, veluti: omnis homo est animal; omnis miles est homo; Ergo omnis miles est animal. Jam miles homo et miles coincidunt (quia omnis miles est homo) Ergo coincidunt miles homo est animal et miles est animal.

Itaque recurrimus ad fundamentum illud meum reductionis, quo alias demonstravi leges syllogisticas. Omnis homo est animal, sic interpretabar: Homo animal et homo aequivalent, seu qui dicit Te esse hominem dicit Te esse animal. Quidam se appellabat Grünberg, viridis mons. Sodalis ei dicit, sufficeret ut Te appellares Berg. mons. Quid ita? respondet prior, putasne omnes montes esse virides? Cui sodalis, ita, inquit, nunc certe, nam aestas erat. Ita illi naturalis sensus dictabat haec duo coincidere, omnis mons est viridis et aequivalent viridis mons et mons.

Reductio mea vetus talis fuit. Universalis affirmativa: Omne A est B; id est aequivalent AB et A seu A non B est non-ens. Particularis negativa: quoddam A non est B seu non aequivalent AB et A seu A non B est Ens. At universalis negativa: nullum A est B, erit AB est non-ens, et particularis affirmativa quoddam A est B, erit AB est Ens. Ex hac interpretatione statim patent regulae oppositionum (quibus demonstravi secundam et tertiam ex prima figura) et leges conversionum (quibus demonstravi figuram quartam) ut manifestum est; nam U. A. et P. N. opponuntur quia aequipollentiam, quam una affirmat, altera negat de iisdem; et similiter U. N. et P. A. opponuntur simpliciter, quia entitatem, quam una affirmat, altera negat de eodem. U. N. et P. A. convertuntur simpliciter, nam cum dico AB est non Ens, vel AB est Ens, nihil refert utrum dicam etiam BA est Ens vel BA est non Ens, nam aequivalent AB et BA. Sed U. A. et P. N. non convertuntur simpliciter, nam hae propositiones, AB aequipollet ipsi A vel non aequipollet ipsi A, non eodem modo tractant A et B, nec inde sequitur AB aequipollet vel non aequipollet ipsi B. At conversio per accidens propositionis affirmativae, hoc modo tractatae, praesupponit conversionem simpliciter particularis Affirmativae, iam demonstratam et praeterea demonstrationem subalternationis seu demonstrationem particularis affirmativae ex universali affirmativa. Omne A est B. Ergo quoddam A est B. Demonstratio sic procedit. Omne A est B, i. e. AB aequivalet ipsi A. Sed A est Ens (ex hypothesi) Ergo AB est Ens, i. e. quoddam A est B. Sed quia pari jure etiam poterat dici BA est Ens seu quoddam B est A, hinc habebas jam conversionem per accidens seu talem collectionem: Omne A est B, ergo quoddam B est A.

Universalis negativa etiam converti potest per accidens, sed id alio modo demonstratur, nam converti potest simpliciter et conversae sumi potest subalterna. Conversionem ejus simpliciter permissam jam demonstravimus. Superest ut in ea demonstremus subalternationem. Nullum A est B; Ergo quoddam A non est B. Nempe nullum A est B i. e. AB est non Ens; Ergo AB non aequivalet ipsi A (quia A est Ens) i. e. quoddam A non est B. Caeterum quia nullum A est B. i. e. quia AB est non-Ens et ideo BA etiam est non-Ens, etiam BA non aequivalet ipsi B seu etiam quoddam B non est A. Habemus ergo hinc tam subalternationem quam conversionem per accidens ex universali negativa.

Caeterum venit in mentem, etiam propositiones, universalem negativam et ei oppositam particularem affirmativam reduci posse ad aequipollentiam, hoc modo: Nullum A est B i. e. AB est non-Ens, etiam sic exprimi poterit: non aequivalent AB et AB Ens. Et similiter quoddam A est B i. e. AB est Ens, etiam sic exprimi poterit: AB et AB Ens aequivalent. Hinc ex isto enuntiandi modo etiam habetur U. N. et P. A. oppositio et earundem conversio simpliciter, itemque ex U. N. subalternatio; nam esto nullum A est B, fiet inde AB et AB Ens non aequivalent. Inferendum est hinc, quoddam A non esse B seu non aequivalere A et AB, quia A et A Ens aequivalent ex hypothesi; quodsi ergo A et AB aequivalerent, etiam AB et AB Ens aequivalerent contra assumtum. Ita omnes propositiones logicas categoricas reduximus ad calculum aequipollentiarum.

Caeterum hinc etiam manifestius apparet fons erroris in tali conversione omnis ridens est homo, ergo quidam homo est ridens, cum tamen fieri posset et fieri potuisset ut nullus homo nunc revera rideat, imo nunquam riserit, imo ut nullus homo exstiterit. Omnis ridens est homo i. e. ridens et ridens homo aequivalent. Sed ridens est Ens ex hypothesi. Ergo ridens homo est Ens, seu quidam homo est ridens. Ubi Ens in propositione, homo ridens est Ens eodem modo sumi debet ut in propositione ridens est Ens, si sumatur Ens de possibilitate seu ut sit ridens in regione Idearum; etiam quidam homo est ridens non aliter accipi debet, quam homo ridens est Ens, nempe possibile seu in regione Idearum. Sed si ridens est Ens, pro tali sumi poterit, verumque erit aliquem hominem actu ridere. Idem est si processissemus per modum, quo etiam particularis affirmativa ad aequipollentiam reducitur: Omnis ridens est homo i. e. ridens et ridens homo aequivalent. Porro ridens et ridens Ens aequivalent. Ergo ridens homo et ridens homo Ens aequivalent; Ergo homo ridens et homo ridens Ens aequivalent i. e. quidam homo est ridens, scilicet in regione Idearum seu ut homo ridens sit Ens vel ut homo ridens et homo ridens Ens aequivaleant non ultra, neque quidam homo est ridens significat actu aliquem hominem ridere. Verba ergo linguae ambigua sunt, ambiguitatem vero reductio nostra tollit.

Hinc etiam patet Universalem Affirmativam cum sua opposita P. N. toto coelo differre ab Universali Negativa cum sua opposita, cum in posterioribus Ens assumatur, non in prioribus. In omnibus tamen tacite assumitur, terminum ingredientem esse Ens.

Omne A est B i. e. AB ϱ A.

Quoddam A non est B i. e AB non ϱ A.

Nullum A est B. i. e. AB non est Ens seu AB non ϱ AB Ens.

Quoddam A est B i. e. AB est Ens seu AB ϱ AB Ens.

Ex his patet in omni propositione affirmativa praedicatum esse particulare; sed non aeque patet in omni negativa praedicatum esse universale seu removeri. Generaliter agnoscere poterimus an terminus A vel B sit universalis. Si pro A vel B substitui potest $\surd$ A vel $\surd$ B ubi $\surd$ potest esse quodcunque cum B compatibile velut C F etc. Jam ex AB ϱ A non licet inferre A $\surd$ B ϱ A licet enim B contineatur in A non ideo $\surd$ B continebitur in A. Similiter pro AB ϱ AB Ens non infertur A $\surd$ B ϱ A $\surd$ B Ens. Etsi enim $\surd$ B sit Ens ex hypothesi, non ideo sequitur A $\surd$ esse ens. Itaque hinc patet praedicatum propositionis affirmativae non esse universale. Ostendamus jam simili methodo praedicatum propositionis negativae esse universale. Nempe si AB non ϱ A, etiam A $\surd$ B non ϱ A sive enim $\surd$ B sit ϱ B, aut A $\surd$ ϱ B sive non, res procedit, nam si $\surd$ B ϱ B, vel A $\surd$ ϱ A substitui poterunt pro B vel pro A. Si vero non aequipolleant, multo magis A $\surd$ B et A non aequipollebunt. Idem est in AB non ϱ AB Ens.

Superest ut demonstremus subjectum habere

quantitatem suae propositionis. In U. A. AB ϱ A. Ergo et $\surd$ AB ϱ $\surd$ A. Sed in P. N. si AB non ϱ A non hinc sequitur $\surd$ AB non ϱ $\surd$ A, nam si $\surd$ ϱ B, foret $\surd$ AB ϱ $\surd$ A. Rursus vero in V. N. si AB non est Ens etiam $\surd$ AB non est Ens, seu si AB non ϱ AB Ens, etiam $\surd$ AB non ϱ $\surd$ AB Ens. Sed in P. A. si AB est Ens, non sequitur etiam $\surd$ AB esse Ens; poteste nim sub $\surd$ assumi aliquid incompatibile cum A et B. Itaque ex nostro calculo omnes collegimus regulas distributionum.

Caeterum et in altero illo modo demonstrandi logicas formas, ubi non per Ideas sed per exempla subjecta progredimur, refellenda erit prava illa consequentia: omnis ridens est homo; ergo quidam homo est ridens seu ridet. Sensus est omnis ridens possibilis est homo, ergo quidam homo est ridens possibilis; recte. Hunc sensum ostendit nostra interpretatio, quae conversionem per accidens legitimam reddit. Ridens ϱ ridens homo. Jam ridens ϱ ridens Ens. Ergo ridens homo ϱ ridens homo Ens, qui ridens ϱ ridens Ens.

Haec faciunt me vereri, ut ex interpretatione inductiva haec recte constitui possint. Aristoteles ipse viam idealem secutus videtur, nam dicit animal inesse homini, nempe notionem notioni, cum alias potius homines insint animalibus. Videamus tamen quid ex collectiva ratiocinatione duci possit. Barbara. Omnes homines sunt in animalibus. Omnes milites sunt in hominibus. Ergo omnes milites sunt in animalibus. Celarent. Omnes homines sunt extra lapides. Omnes milites sunt in hominibus. Ergo omnes milites sunt extra lapides. Darii. Omnes homines sunt in animalibus. Quidam intelligentes sunt in hominibus. Ergo quidam intelligentes sunt in animalibus. Ferio. Omnes homines sunt extra lapides. Quaedam substantiae sunt in hominibus. Ergo quaedam substantiae sunt extra lapides. In Darapti. Omnis homo est intelligens. Omnis homo est animal. Ergo quoddam animal est intelligens. Interpretatione collectiva. Omnes homines sunt in intelligentibus. Omnes homines sunt in animalibus. Ergo quaedam animalia sunt in intelligentibus. Transferamus ad hunc Syllogismum, quo conversio per accidens demonstratur: omnis ridens est ridens, omnis ridens est homo, ergo quidam homo est ridens, interpretando: omnes ridentes sunt in ridentibus, omnes ridentes sunt in hominibus, ergo quidam homines sunt in ridentibus. Sed quid si revera nullus homo rideat? Dico hanc propositionem, omnes ridentes sunt in homi-

nibus seu omnes ridentes sunt homines etiam
falsam esse, nam ut vera sit etiam vera
erit: quidam ridentes sunt in hominibus; sed
ea falsa est si nullus homo rideat. At se-
cus est si dicas: omnes, si qui rident, sunt
in hominibus; nam ex hac non sequitur: qui-
dam, qui rident, sunt in hominibus, sed
haec tantum: quidam, si qui rident, seu sup-
positi ridentes, sunt in hominibus. Ita-
que Syllogismus erit talis: omnes suppositi
ridentes sunt suppositi ridentes, (neque
enim licet dicere, omnes suppositi ridentes sunt
actu ridentes) omnes suppositi ridentes sunt ho-
mines. Ergo quidam homines sunt suppositi
ridentes, seu interpretando: omnes suppositi ri-
dentes sunt in suppositis ridentibus, omnes sup-
positi ridentes sunt in hominibus, scilicet sup-
positis, ergo quidam homines suppositi sunt in
suppositis ridentibus. Hinc patet etiam subal-
ternationis consequentiam simili abusui obnoxiam

esse. Omnis ridens est homo, ergo quidam ri-
dens est homo. Revera enim nemine reapse ri-
dente nullus ridens est homo. Itaque patet in
tali objectione propositionem universalem intel-
ligi solere de supposito ridente, particularem de
actuali ridente. Itaque cum dicitur, omnis ri-
dens est homo, ergo quidam ridens est homo,
sensus erit: omnis suppositus ridens est homo,
ergo quidam suppositus ridens est homo. Unde
recte concluditur, quidam homo (nempe suppo-
situs) est suppositus ridens. Sed non inde in-
fertur: ergo quidam homo est actu ridens.
Sed si dicas, omnis actu nunc ridens, est
homo, ponis revera aliquem nunc actu ridere,
eumque esse hominem, adeoque aliquem homi-
nem actu ridere; semper enim assumendum est,
terminum esse verum Ens, at actu nunc ridens
ne quidem Ens erit si falsum sit aliquem actu
ridere.

XXIV.

EXTRAIT

D'UNE

LETTRE A MR. BAYLE

SUR UN PRINCIPE GÉNÉRAL, UTILE A L'EXPLICATION DES LOIX DE LA NATURE.

1687.

(Nouvelles de la république des lettres par Bayle Amst. 1687. Juill.).

J'ai vu ce que le R. S. Malebranche répond à la remarque que j'avais faite sur quelques loix de la nature, qu'il avoit établies dans la recherche de la vérité. Il semble assez disposé à les abandonner lui-même, et cette ingenuité est fort louable; mais comme il en donne des raisons et des restrictions, qui nous feroient rentrer dans l'obscurité dont je crois d'avoir tiré ce sujet, et qui choquent un certain Principe de l'ordre général, que j'ai remarqué, j'espère qu'il aura la bonté de permettre, que je me serve de cette occasion pour expliquer ce principe, qui est de grand usage dans le raisonnement, et que je ne trouve pas encore assez employé, ni assez connu dans toute son étendue. Il a son origine de l'infini, il est absolu nécessaire dans la Géométrie, mais il reussit encore dans la Physique, par ce que la souveraine sagesse, qui est la source de toutes choses, agit en parfait Géomètre, et suivant une harmonie à laquelle rien ne se peut ajouter. C'est pourquoi ce principe sert souvent de preuve ou examen pour faire voir d'abord et par dehors, le défaut d'une opinion mal concertée avant même

que de venir à une discussion interieure. On le peut énoncer ainsi: lorsque la différence de deux cas peut être diminuée au dessous de toute grandeur donnée in datis ou dans ce qui est posé, il faut qu'elle se puisse trouver aussi diminuée au dessous de toute grandeur donnée in quaesitis ou dans ce qui en résulte. Ou pour porter plus familièrement: lorsque les cas (ou ce qui est donné) s'approchent continuellement et se perdent enfin l'un dans l'autre, il faut que les suites ou évenemens (ou ce qui est demandé) le fassent aussi. Ce qui dépend encore d'un principe plus général, savoir: datis ordinatis etiam quaesita sunt ordinata. Mais pour l'entendre il faut des exemples.

L'on sait que le cas ou la supposition d'une ellipse se peut approcher du cas d'une parabole, autant qu'on veut, tellement que la différence de l'ellipse et de la parabole peut devenir moindre qu'aucune différence donnée, pourvu que l'un des foyers de l'ellipse soit assez éloigné de l'autre, car alors les rayons venans de ce foyer éloigné différeront des rayons parallèles aussi peu que l'on voudra, et par conséquent tous les théorèmes géométriques qui se verifient de l'ellipse en général pourront être appliqués à la parabole, en considérant celle-ci comme une ellipse, dont un des foyers est infiniment éloigné ou (pour éviter cette expression) comme une figure, qui diffère des quelque ellipse moins que d'aucune différence donnée. Le même principe a lieu dans la physique, par exemple le repos peut être considéré comme une vitesse infinement petite, ou comme une tardité infinie. C'est pourquoi tout ce qui est véritable à l'égard de la tardité ou vitesse engénéral, doit se vérifier aussi du repos pris ainsi; tellement que la règle du repos doit être considérée comme un cas particulier de la règle du mouvement: autrement, si ce ne reussit pas, ce sera une marque assurée, que les règles sont mal concertées. De même l'égalité peut être considérée comme une inégalité infinement petite et on peut faire approcher l'inégalité de l'égalité autant qu'on veut.

C'est entr' autres fautes de cette considération, que M. Des Cartes tout habile homme qu'il était, a manqué plus d'une façon dans ses prétendues loix de la nature; Car (pour ne pas répéter ici ce que j'ai dit ci-devant de l'autre source de ses erreurs, quand il a pris la quantité de mouvement pour la force) sa première et sa seconde règle par exemple ne s'accordent point; la seconde veut, que deux corps B es C se rencontrant directement d'une vitesse égale, et B étant tant soit peu plus grand, C sera réflechi avec la vitesse première, mais B continuera son mouvement; au lieu que selon la première règle B et C. étant égaux tous deux reflechiront et s'en retourneront d'une vitesse égale à celle qui les avoit amenés. Mais cette différence de ces deux cas n'est pas raisonnable; car l'inégalité des deux corps peut être aussi petite que l'on voudra et la différence qui est dans les suppositions de ces deux cas, savoir entre une telle inégalité, et une égalité parfaite pourra être moindre qu'aucune donnée, donc en vertu de notre principe, la différence entre les résultats au évenemens devroit être aussi moindre qu'aucune donnée; cependant si la seconde règle etait aussi véritable que la première, le contraire arriveroit, car selon cette seconde règle une augmentation aussi petite que l'on voudra du corps B auparavant égal à C fait une grandissime différence dans l'effet, ensorte qu'elle change la réflexion absolue en continuation absolue, ce qui est un grand saut d'une extrémité à l'autre, au lieu qu'en ce cas les corps B dévroit réflechir tant soit peu moins, et le corps C tant soit peu plus qu'au cas de l'égalité, dont à peine ce cas peut être distingué.

Il y a plusieurs autres incongruités semblables, qui resultent des règles Cartesiennes, que l'attention d'un lecteur applicant notre principe, y remarquera aisément, et celle que j'avois trouvée dans les règles de la Recherche de la vérité venoit de la même source. Le R. P. Malebranche avoue en quelque façon, qu'il y a de l'inconvenient, mais il ne laisse pas de croire, que la loix du mouvement dépendante du bon plaisir de Dieu, est réglée par sa sagesse, et les Géomètres seroient presque aussi surpris de voir arriver dans la nature ces sortes d'irrégularités que de voir une parabole, à qui on pourrait appliquer les propriétés de l'ellipse à foyer infinement éloigné. Aussi ne rencontrera-t'on point, je pense, d'éxemple dans la nature de tels inconveniens: plus on la connoît, et plus on la trouve géométrique; il est aisé de juger par là, que ces inconveniens ne viennent pas proprement de ce que le R. P. Malebranche en accuse; savoir de la fausse hypothèse de la parfaite dureté des corps, que j'accorde ne se trouver pas dans la nature. Car quand on y supposeroit cette dureté en la concernant comme un ressort infinement prompt, il n'en resultera rien ici, qui ne se doive ajuster parfaitement aux véritables loix de la nature à l'égard des corps à ressorts en général, et jamais on ne viendra à des rè-

gles aussi peu liées que celles, ou j'ai trouvé à redire. Il est vrai, que dans les choses composées quelquefois un petit changement peut faire un grand effet, comme par exemple une étincelle tombant dans une grande masse de la poudre à canon est capable de renverser toute une ville; mais cela n'est pas contraire à notre principe, et on en peut rendre raison par les principes généraux mêmes, mais à l'égard des principes ou choses simples, rien de semblable ne sauroit arriver, autrement la nature ne seroit pas l'effet d'une sagesse infinie.

On voit par la (un peu mieux que dans ce qui s'en dit communement) comment la véritable Physique doit être puisée effectivement de la source des perfections divines. C'est Dieu qui est la derniére raison des choses, et la connaissance de Dieu n'est pas moins le principe des sciences, que son essence et sa volonté sont les principes des êtres. Les Philosophes les plus raisonnables en demeurent d'accord, mais il y en a bien peu, qui s'en puissent servir pour découvrir des vérités de conséquence. Peut-être que ces petits échantillons réveilleront quelques-uns pour aller bien plus loin. C'est sanctifier la Philosophie, que de faire couler ses ruisseaux de la fontaine des attributs de Dieu. Bien loin d'exclure les causes finales et la considération d'un être agissant avec sagesse, c'ést de là qu'il faut tout déduire en Physique. C'est ce que Socrate dans le Phédon de Platon a déjá admirablement bien remarqué, en raisonnant contre Anaxagore et autres Philosophes trop matériels, lesquels, après avoir reconnu d'abord un principe intelligent au dessus de la matiére, ne l'employent point, quand ils viennent à philosopher sur l'univers, et au lieu de faire voir, que cette intelligence fait tout pour le mieux, et que c'est là la raison des choses, qu'elle a trouvé bon de produire conformement à ses fins, tachent d'expliquer tout par le seul concours des particules brutes, confondant les conditions et les instrumens avec la veritable cause. C'est (dit Socrate) comme si pour rendre raison de ce que je suis assis dans la prison attendant la coupe fatale, et que je ne suis pas en chemin pour aller chez les Béotiens ou autres peuples, oú l'on sait que j'aurais pu me sauver, on disoit, que c'est parceque j'ai des os, des tendons et de muscles, qui se peuvent plier comme il faut pour être assis. Ma foi (dit-il) ces os et ces muscles ne seroient pas ici, et vous ne me verriez pas en cette posture, si mon esprit n'avoit jugé, qu'il est plus digne de Socrate de subir ce que les loix de la patrie ordonnent. Cet endroit de Platon mérite d'être lu tout entier, car il y a des réflexions très-belles et tres-solides. Cependant j'accorde que les effects particuliers de la nature se peuvent et se doivent expliquer mécaniquement, sans oublier pourtant leur fins et usages admirables, que la providence a su ménager, mais les principes généraux de la Physique et de la Mécanique même dépendent de la conduite d'une intelligence souveraine, et ne sauraient être expliqués sans le faire entrer en consideration. C'est ainsi qu'il faut reconcilier la pieté avec la raison, et qu'on pourra satisfaire aux gens de bien, qui apprehendent les suites de la Philosophie mécanique, ou corpusculaire, comme si elle pouvoit éloigner de Dieu et des substences immatérielles, au lieu qu'avec les corrections requises et tout bien entendu, elle nous y doit mener.

XXV.

LETTRE
DE
Mr. LEIBNIZ A Mr. ARNAULD,
DOCTEUR DE SORBONNE,
OU IL LUI EXPOSE SES SENTIMENS PARTICULIERS SUR LA METAPHYSIQUE ET PHYSIQUE.

1 6 9 0.

(Continuation des Mémoires de literature et d'histoire. Paris 1729. Tom. VIII, Partie 1. p. 211. — Leibn. Opp. ed. Dutens. Tom. II. P. 1. p. 45.).

Monsieur!

Je suis maintenant sur le point de retourner chez moi, après un long voyage entrepris par ordre de mon Prince, servant pour des recherches historiques, où j'ai trouve des diplomes, titres et preuves indubitables, propres à justifier la commune origine des Sérénissimes Maisons de Brunsvick et d'Este, que MM. Justel, du Cange et autres avoient grande raison de révoquer en doute, parce qu'il y avoit des contradictions et faussetés dans les Historiens d'Este à cet égard, avec une entiére confusion des tems es des personnes. A présent je pense à me remettre, et à reprendre mon premier train: et vous ayant écrit il y a deux ans, un peu avant mon départ, je prends aujourd'hui cette même liberté, pour m'informer de vôtre santé, et pour vous faire connoître combien les idées de vôtre mérite éminent me sont toûjours présentes dans l'esprit. Quand j'étois à Rome, je vis la dénonciation d'une nouvelle hérésie, qu'on attribuoit à vous ou à vos amis. Et depuis je vis la lettre du R. P. Mabillon à un de mes amis, où il y avoit que l'Apologie du R. P. Le Tellier pour les Missionaires contre la Morale pratique des Jésuites, avoit donné à plusieurs des impressions favorables à ces Péres, mais qu'il avoit entendu que vous y aviez repliqué, et qu'on disoit que vous y aviez annihilé géométriquement les raisons de ce Pére. Tout cela m'a fait juger que vous êtes encore en état de rendre service au Public, et je prie Dieu que ce soit pour long-tems. Il est vrai qu'il y va de mon intérêt; mais c'est un intérêt louable, qui me peut donner moyen d'apprendre, soit en commun avec tous les autres qui liront vos ouvrages, soit en particulier, lorsque vos jugemens m'instruiront, si le peu de loisir que vous avez me permet d'espérer encore quelquefois cet avantage.

Comme ce voyage a servi en partie a me délasser l'esprit des occupations ordinaires, j'ai eu la satisfaction de converser avec plusieurs habiles gens en matiére de sciences et d'érudition, et j'ai communiquée à quelques-uns mes pensées particuliéres, que your scavez, pour profiter de leurs doutes et difficultés; et il y en a eu, qui n'étant pas satisfaits des doctrines communes, ont trouvé une satisfaction extraordinaire dans quelques-uns de mes sentimens: ce qui m'a porté à les coucher par écrit, afin qu'on les puisse communiquer plus aisément; et peut-être en ferai-je imprimer un jour quelques exemplaires sans mon nom, pour en faire part à des amis seulement, afin d'en avoir leur jugement. Je voudrois que vous les puissiez examiner premiérement, et c'est pour cela que j'en ai fait l'abrégé que voici.

Le corps est un aggrégé de substances, et n'est pas une substance à proprement parler. Il faut par conséquent que par-tout dans le corps il se trouve des substances indivisibles, ingénérables et incorruptibles, ayant quelque chose de répondant aux ames. Que toutes ces substances ont toujours été et seront toujours unies à des corps organiques, diversement transformables. Que chacune de ces substances contient dans sa nature legem continuationis seriei suarum operationum, et tout ce qui lui est arrivé et arrivera. Que toutes ses actions viennent de son propre fonds, excepté la dépendance de Dieu. Que chaque substance exprime l'univers tout entier, mais l'une plus distinctement que l'autre, sur-tout chacune la l'égard de certaines choses, et selon son point de vuë. Que l'union de l'ame avec

le corps, et même l'opération d'une substance sur l'autre, ne cousiste que dans ce parfait accord mutuel, établi exprès par l'ordre de la premiére création, en vertu duquel chaque substance, suivant ses propres loix, se rencontre dans ce que demandent les autres; et les opérations de l'une suivent ou accompagnent ainsi l'opération ou le changement de l'autre. Que les intelligences ou ames capables de réflexion, et de la connoissance des vérités éternelles et de Dieu, ont bien des privilèges qui les exemptent des révolutions des corps: que pour elles il faut joindre les loix morales aux physiques. Que toutes les choses sont faites pour elles principalement. Qu'elles forment ensemble la république de l'univers, dont Dieu est le Monarque. Qu'il y a une parfaite justice et police observée dans cette cité de Dieu, et qu'il n'y a point de mauvaise action sans châtiment, ni de bonne sans une récompense proportionnée. Que plus on connoîtra les choses, plus on les trouvera belles et conformes aux souhaits qu'un sage pourrait former. Qu'il faut toujours être content de l'ordre du passé, parce qu'il est conforme à la volonté de Dieu absoluë, qu'on connoit par l'événement; mais qu'l faut tâcher de rendre l'avenir autant qu'il dépend de nous, conforme à la volonté de Dieu présomptive ou à ses commendemens; orner nôtre Sparte et travailler à faire du bien, sans se chagriner pourtant lorsque le succès y manque, dans la ferme créance que Dieu sçaura trouver le tems le plus propre aux changemens en mieux. Que ceux qui ne sont pas contens de l'ordre des choses, ne sçauroient se vanter d'aimer Dieu comme il faut. Que la justice n'est autre chose que la charité du sage. Que la charité est une bienveillance universelle dont le sage dispense l'exécution, conformément aux mesures de la raison, afin d'obtenir le plus grand bien. Et que la sagesse est la science de la félicité, ou des moyens de parvenir au contentement durable, qui consiste dans un acheminement continuel a une plus grande perfection, ou au moins dans la variation d'un même degré de perfection.

A l'égard de la Physique, il faut entendre la nature de la force, toute différente de mouvement, qui est quelque chose de plus rélatif. Qu'il faut mesurer cette force par la quantité de l'effet. Qu'il y a une force absoluë, une force directive, et une force respective. Que chacune de ces forces se conserve dans le même degré dans l'univers [1]) ou dans chaque machine non communiquante avec les autres, et que les deux derniéres forces, prises ensemble, composent la premiére ou l'absoluë. Mais qu'il ne se conserve pas la même quantité de mouvement, puisque je montre qu'autrement le mouvement perpétuel seroit tout trouvé, et que l'effet seroit plus puissant que sa cause.

Il y a déja quelque tems que j'ai publié dans les Actes de Leipsic un Essai Physique, pour trouver les causes physiques des mouvemens des astres. Je pose pour fondement que tout mouvement d'un solide dans le fluide, qui se fait en ligne courbe, ou dont la vélocité est continuellement difforme, vient du mouvement du fluide même. D'ou je tire cette conséquence que les astres ont des orbes déférens, mais fluides. J'ai démontré une peoposition importante générale, que tout corps qui se meut d'une circulation harmonique, (c'est-à-dire, ensorte que les distances du centre étant en pro-

Deinde sciendum est, a me distingui vim absolutam a directiva, quamquam et directivam ex sola consideratione potentiae absolutae deducere et demonstrare possim. Et quidem demonstro, non tantum eamdem conservari vim absolutam, seu quantitatem actionis in mundo, sed etiam eamdem vim directivam, eamdemque quantitatem directionis ad easdem partes, seu eamdem quantitatem progressus, sed progressu in partibus computato, ducta celeritate in molem, non quadrato celeritatis. Haec tamen quantitas progressus in eo differt a quantitate motus, quod duobus corporibus in contrarium tendentibus pro habenda quantitate motus totali (sensu Cartesiano) debent addi quantitates motus singularum (seu facta ex celeritate in motem); sed pro habenda quantitate progressus debent a se invicem detrahi; differentia enim quantitatum motus in tali casu erit quantitas progressus. Itaque cum Cartesius putarit sese ita posse salvare actionem animae in corpus, quod anima quidem non augeat vel minuat quantitatem motus in mundo, augeat tamen vel minuat quantitatem directionis spirituum, lapsus est ignoratione hujus legis nostrae novae de conservanda quantitate directionis, quae non minus pulchra est et inviolabilis, quam conservatis virtutis vel actionis absolutae. Haec autem lex directionis vel potius consectaria ejus mire decepere plerosque; ut videntes ibi locum habere aestimationem ex ductu celeritatis in molem ubique illi locum facerent etiam cum agitur de vi absoluta. Exempli causa experimentis constitit, si duo globi duri seu elastici, A et B, directe et centraliter concurrant inter se celeritatibus quae sunt reciproce proportionales corporibus, eos se mutuo repellere ita ut ambo redeant ex qua venere celeritate. Hujus rei necessitas sequitur ex nostro principio conservandae directionis. Nam ante concursum progressus eorum seu quantitas directionis est aequaiis nihilo, ergo talis etiam debet esse post concursum. Cum vero etiam vis eorum absoluta debeat conservari, demonstratur has duas conservationes virtutis absolutae et directionis simul non posse obtineri nisi dicta repercussione.

[1]) **Liccat addere quae fusius de hac re Leibnitius Bernoullio scripsit d. d. 28. Jan. 1696. v. Comm. epist. supra laudatum Tom. I, p. 122.**

gression arithmétique, les vélocités soient en progression harmonique, ou réciproques aux distances) et qui a de plus un mouvement paracentrique, c'est-à-dire, de gravité ou de lévité à l'égard du même centre, (quelque loi que garde cette attraction ou répulsion) a les aires nécessairement comme les tems, de la maniére que Kepler l'a observee dons les planètes. Puis considerant ex observationibus, que ce mouvement est elliptique, je trouve que les loix du mouvement paracentrique, lequel joint à la circulation harmonique décrit des ellipses, doit être tel que les gravitations soient réciproquement comme les quarrés des distances, c'est-à-dire, comme les illuminations ex Sole.

Je ne vous dirai rien de mon calcul des incrémens ou différences, par lequel je donne les touchantes sans lever les irrationalités et fractions, lors même que l'inconnuë y est enveloppée, et j'assujettis les quadratures et problèmes transcendans á l'analyse. Et je ne parlerai pas non plus d'une analyse toute nouvelle, propre à la Géométrie, et différente entiérement de l'Algèbre; et moins encore de quelques autres choses, dont je n'ai pas encore eu le tems de donner des essais, que je souhaiterois de pouvoir toutes expliquer en peu de mots, pour en avoir vôtre sentiment, qui me serviroit infiniment, si vous aviez autant de loisir que j'ai de déférence pour vôtre jugement. Mais vôtre tems est trop précieux, et ma lettre est déja assez prolixe: C'est pourquoi je finis ici, et je suis avec passion, Monsieur,

Vôtre très-humble et très-obéissant
serviteur, LEIBNIZ.

A Venize, ce 23. de Mars 1690.

XXVI.

DE VERA METHODO

PHILOSOPHIAE ET THEOLOGIAE.

(Autographum Leibnitii nondum editum, quod in scriniis Bibliothecae Regiae Hanoveranae asservatur.)

Cum a sacrorum Canonum et divini humanique juris severioribus studiis ad mathematicas disciplinas animi causa divertissem, gustata semel dulcedine doctrinae pellucis, prope ad Sirenum scopulos obhaesi. Nam et mira quaedam theoremata se offerebant, quae alios fugerant, et aditum videbam dari ad plura et majora, et machinamenta quaedam ludentis animi sub manu nata, etiam fructum promittere videbantur. Quanta autum voluptate afficiat theorema pulchrum, illi demum judicant qui harmoniam illam interiorem purgata mente capere possunt. Saepe tamen sollicitabat animum memoria scientiae diviniorîs, cui parem claritatem atque ordinem deesse ingemiscebam. Videbam summos viros, D. Thomam et S. Bonaventuram et Guilielmum Durandum et Gregorium Ariminensem, et tot alios eorum temporum scriptores non paucas dedisse primae philosophiae propositiones admirandae subtilitatis, quae severissime demonstrari possent, agnoscebam Theologiam naturalem, ab illis praeclare excultam, caligine barbariei opprimi et confuso vocabulorum usu inter distinctionum incerta natare; invitatusque novitate nonnunquam in ipsa Theologia Mathematicum agebam, condebam definitiones atque inde ducere tentabam elementa quaedam nihilo claritate inferiora Euclideis, magnitudine vero fructus etiam superiora. Ita enim mecum ratiocinabar: Geometriam figuras ac motus explicare, inde descriptionem terrarum et siderum vias habere, et superandis ponderibus machinas natas, unde vitae cultus et gentium moratarum a barbaris discrimen. Sed scientiam, qua probus improbo distinguatur, qua mentium arcanismus explicetur, et via ad felicitatem operiatur, negligi, de circulo haberi demonstrationes, de animo conjecturas; esse qui motus leges severitate mathematica scribant,

qui parem ad cogitationis arcana scrutanda diligentiam adhibeat, non esse. Hunc esse fontem miseriae humanae quod de quovis potius quam de summo vitae cogitemus, quemadmodum mercator negligens, qui principio dormitans, crescente jam libro rationum, ordinem lucemque horret, nec omnes accepti expensique tabulas a primis initiis resumere sustinet. Hinc secretum quendam in hominibus atheismum et horrorem mortis et de animae natura dubitationes et pessimas de Deo sententias aut certe fluctuantes, multosque consuetudine potius aut necessitate quam judicio honestos esse.

Videbam novos quosdam philosophos ingentibus pollicitis excidisse quod vel praeoccupata mente scripsissent, vel sermone a mathematica severitate, quam ipsi alibi sequerentur, ad popularem dicendi facilitatem traducto, applausum potius quam assensum obtinuissent. Nam ut unius tantum exemplum adducam, si eximius certe vir Renatus Cartesius vel semel sui ipsius causa meditationes in propositiones, dissertationes in demonstrationes, convertere conatus fuisset, vidisset ipse, pleraque hiare. Patuit hoc, cum amici precibus et tantum non conviciis, demontrationem de existentia Dei, mathemathico habitu vestitam, ei extorsere. Quam si ab ipso pro demonstratione habitam putem, injuriam ejus ingenio me facere autumem.

Sunt qui mathematicum vigorem extra ipsas scientias, quas vulgo mathematicas appellamus, locum habere non putant. Sed illi ignorant, idem esse mathematice scribere, quod in forma, ut logici vocant, ratiocinari, et praeterea distinctionum captiunculas, quibus alioquin tempus teritur una definitione praevenire. Hoc enim unico Scholastici vitio laboravere, quod cum plerumque ordinate satis et, ut sic dicam, mathematice ratiocinentur, vocabulorum usum reliquere in incerto. Unde pro definitione unica multae definitiones, pro demonstratione irrefragabili multae in utramque partem argutationes natae; quibus divina eorum dogmata et admirandae non raro contemplationes, ab homine mathematice docto non difficulter purgentur.

Utilem autem hanc operam eo magis putabam, quod gliscere viderem in animis hominum sententias periculosas, a falsae philosophiae mathematica quadam larva natas, et omnem scholae doctrinam pro nugis explodi. Quotusquisque enim eorum, qui ad saeculi morem docti sunt, has, ut vocant, tricas lectu dignas arbitratur? Ego juventuti meae gratulor, quae occasionem dedit haec quoque studia cognoscendi, antequam mens, imbuta mathematicis, alia fastidiose spernere assuevisset. Sunt quaedam veluti periodi studiorum; erat tempus, cum scholastica Theologia sola principatum obtinebat, cujus hodie vix in religiosorum conventibus reliquiae siti marcentes conservantur. Accensa humaniorum literarum luce itum in contraria est, et de syllaba quadam Plauti et Appuleji non minore quam de universalibus et modali distinctione tumultu certatum. Nunc ab hoc quoque morbo sanati sumus, periculo majoris. Coepimus viri esse, et maturescente judicio crepundia posuimus cum praetexta: perinde ac si mundus ex quo a barbarie revixit, paulatim annis sapientiaque crevisset. Agnovimus, quantopere generis humani intersit, naturam ipsam consuli, legesque figurarum ac motuum constitui, quibus nostrae vires augeantur. Sed, ut in republica plerique aliis laboramus pauci nobis, ita conquisitis experimentis tantum posteritati materiam colligimus, unde multa post saecula veritatis aedificium excitari possit. Et video magnos viros, cum juventutem in mathematicis aut humaniori literatura posuissent, aetatem experimentis naturae aut negotiis impendissent, in flexu vitae jam inclinantis ad scientiam mentis excolendam rediisse, qua propriae felicitati consulitur. Sapienter dictum est a Viro egregio Francisco Bacone, philosophiam obiter libatam a Deo abducere, profundius haustam reddere creatori. Idem saeculo auguror, fore ut pretium sanctioris philosophiae redeuntibus ad se hominibus agnoscatur et mathematica studia tum ad severioris judicii exemplum, tum ad cognoscendam harmoniam ac pulchritudinis velut ideam, naturae vero experimenta ad autoris, qui imaginem idealis mundi sensibili expressit, admirationem, studia denique omnia ad felicitatem, dirigantur.

Interea per anticipationem id agamus, ut animi eorum sanentur, quos blandientis cujusdam philosophiae novitas, mathematicum quiddam ementita, corrupit, periculo diuinae veritatis. Indubitata res est, et Aristoteli quoque agnita, omnia in natura corporea a magnitudine figura et motu repeti debere. Doctrina de magnitudine et figura egregie exculta est, intima motus nondum patent, neglectu primae philosophiae, unde repetenda sunt. Est enim Metaphysicae, tractare de mutatione tempore continuo in universum. Motus enim species tantum mutationis. Non intellecta motus natura fecit, ut insignes philosophi naturam materiae sola extensione circumscripserint, unde nata est corporis antea inaudita notio, non magis naturae phaenomenis, quam fidei mysteriis conciliabilis. Nimirum demonstrari potest, extensum nulla alia accedente qualitate, agendi patiendique incapax esse, omnia summe fluida, id est vacua, fore, unionem corporum et quam in iis sentimus firmitatem explicari non posse, denique leges motuum ab experien-

tia alienas constitui debere. Quae omnia in Cartesii principiis manifeste apparent, nam et motum facit pure relativum, et corporis speciem commentus est nihil ab inani differentem, et unionem firmitatemque ex sola quiete petiit, quasi quae semel in contactu mutuo quievere, postea nulla vi separari possint; et decreta circa motus concursusque corporum promulgavit, certissimis experimentis nunc antiquata. Fidei autem mysteria artificiose declinavit: philosophari scilicet sibi, non theologari propositum esse, quasi philosophia admittenda sit inconciliabilis religioni, aut quasi religio vera esse possit quae demonstratis alibi veritatibus pugnet. Coactus tamen aliquando de Eucharistia loqui pro speciebus realibus, apparentes introduxit, revocata sententia theologorum omnium consensu explosa. Sed hoc parum erat, si existentiam ejusdem corporis in pluribus locis philosophia ejus ferre posset. Nam si corpus et spatium eadem, quis ex diversis spatiis sive locis diversa corpora sequi neget? Qui ad formandam corporis naturam extensioni resistentiam quandam sive impenetrabilitatem, aut ut ipsi loquuntur ἀντιτυπίαν molemve addidere, ut Gassendus, aliique docti viri, rectius paulo philosophati sunt, sed non exhausere difficultates. Primum enim ad ideam corporis absolvendam opus est notione quadam positiva, qualis non est impenetrabilitas, deinde nondum evictum est, penetrationem corporum abesse a natura: argumento est condensatio quae ex quorundam sententia fit penetratione tametsi aliter explicari posse non diffitear. Denique impenetrabilitas absoluta corporum non minus fidei nostrae decretis pugnat quam πολυτοπία, idemque corpus esse in pluribus locis, aut plura in eodem, aeque difficile est.

Quid ergo tandem extensioni nos addamus ad absolvendam corporis notionem? Quid nisi quae sensus ipse testetur. Nimirum tria illa simul renuntiat, et nos sentire, et corpora sentiri, et quod sentitur varium esse, compositumque sive extensum. Notioni ergo extensionis sive varietatis addenda actio est. Corpus ergo est agens extensum, dici poterit esse substantiam extensam, modo teneatur, omnem substantiam agere, at omne agens substantiam appellari. Satis autem ex interioribus metaphysicae principiis ostendi potest, quod non agit, nec existere, nam potentia agendi sine ullo actus initio nulla est. Arcus tensi non modica potentia est; at non agit, inquies; Imo vero agit, inquam, etiam ante displosionem, conatur enim, omnis autem conatus actio. Caeterum de natura conatus et agentis principii, sive ut scholastici vocavere, substantialis formae multa dici possunt egregia et certa, unde magna etiam naturali theologiae lux accendatur, et discutiantur tenebrae mysteriis fidei a philosophorum objectionibus offusae. Patebit, non tantum mentes sed et substantias omnes in loco non nisi per operationem esse, mentes nulla corporum vi destrui posse, omnem agendi vim esse a summa mente, cujus voluntas sit ultima ratio rerum; causa volendi harmonia universalis; Deum creaturae, mentem materiae uniri posse: imo mentem finitam omnem esse incorporatam, ne angelis quidem exceptis, quae sanctorum Patrum sententia verae philosophiae consentanea est. Denique, species a substantia differre; πολυτυπίαν nihil repugnans habere imo ne μετουσιασμόν. Nam, quod mirum videri possit, consubstantiationem corporum resolvi in transsubstantiationem, et qui corpus sub pane esse ajunt, destructam panis substantiam relictis speciebus, asserere nescientes. Quod illi fatebuntur qui veram et inevitabilem substantiae notionem aliquando intelligent. Quanti autem momenti sint haec theoremata ad solida pietatis constituenda fundamenta, ad tranquillitatem animi, ad Ecclesiae pacem, intelligentes aestimabunt.

XXVII.

LETTRE SUR LA QUESTION, SI L'ESSENCE DU CORPS CONSISTE DANS L'ETENDUE.

1 6 9 1.


(Journal des Savans 18. Juin 1691. p. 259. Leibn. Opp. ed. Dutens Tom. II, P. 1. p. 234.)

Vous me demandez, Monsieur, les raisons que j'ai de croire que l'idée du corps ou de la matière est autre que celle de l'étendue. Il est vrai, comme vous dites, que bien d'habiles gens sont prévenus aujourd'hui de ce sentiment, que l'essence du corps consiste dans la longueur, la largeur, et la profondeur. Cependant il y en a encore qu'on ne peut accuser de trop d'attachement à la Scholastique, qui n'en sont pas contens.

Mr. Nicole dans un endroit de ses Essais témoigne être de ce nombre, et il lui semble qu'il y a plus de prévention que de lumière dans ceux qui ne paroissent pas effrayés des difficultés qui s'y rencontrent.

Il faudroit un discours fort ample pour expliquer bien distinctement ce que je pense là-dessus. Cependant voici quelques considérations que je soumets à vôtre jugement, dont je vous supplie de me faire part.

Si l'essence du corps consistoit dans l'étendue, cette étendue seule devroit suffire pour rendre raison de toutes les proprietés du corps. Mais cela n'est point. Nous remarquons dans la matière une qualité que quelques uns ont appellée l'inertie naturelle, par laquelle le corps résiste en quelque façon au mouvement: en sorte qu'il faut employer quelque force pour l'y mettre, (faisant même abstraction de la pesanteur,) et qu'un grand corps est plus difficilement ébranlé qu'un petit corps. Par exemple:

Fig. 1. 

Si le corps A en mouvement rencontre le corps B en repos, il est clair, que si le corps B était indifferent au mouvement ou au repos, il se laisseroit pousser par le corps A sans lui résister, et sans diminuer la vitesse, ou changer la direction du corps A; et après le concours, A continueroit son chemin, et B iroit avec lui de compagnie en le dévançant. Mais il n'en est pas ainsi dans la nature. Plus le corps B est grand, plus il diminuera la vitesse avec laquelle vient le corps A, jusqu'à l'obliger même de réfléchir si B est beaucoup plus grand qu'A. Or s'il n'y avoit dans les corps que l'étendue, ou la situation, c'est à-dire, ce que les Géomètres y connoissent, joint à la seule notion du changement; cette étendue seroit entièrement indifférente à l'égard de ce changement: et les résultats du concours des corps s'expliqueroient par la seule composition Géométrique des mouvemens; c'est-à-dire, le corps après le concours iroit toujours d'un mouvement composé de l'impression qu'il avoit avant le choc, et de celle qu'il recevroit du concourant, pour ne le pas empêcher, c'est-à-dire, en ce cas de recontre, il iroit avec la différence des deux vitesses, et du côté de la direction.

Hinc vero manifestissime intelligitur ex infinitis possibilium combinationibus seriebusque possibilibus existere eam, per quam plurimum essentiae seu possibilitatis perducitur ad existendum. Semper scilicet est in rebus principium determinationis quod a maximo minimove petendum est, ut nempe maximus praestetur effectus minimo ut sic dicam sumtu. Et hoc loco tempus, locus, aut ut verbo dicam, receptivitas vel capacitas mundi haberi potest pro sumtu sive terreno in quo quam commodissime est aedificandum, formarum autem varietates respon-

dent commoditati aedificii multitudinique et elegantiae camerarum. Et sese res habet ut in ludis quibusdam cum loca omnia in tabula sunt replenda secundum certas leges, ubi nisi artificio quodam utare, postremo spatiis exclusus iniquis, plura cogeris loca relinquere vacua, quam poteras vel volebas. Certa autem ratio est per quam repletio maxima facillime obtinetur Uti ergo si ponamus decretum esse ut fiat triangulum nulla licet alia accidenti determinandi ratione, consequens est, aequilaterum prodire; et posito tendendum esse a puncto ad punctum, licet nihil ultra iter determinat, via eligetur maxime facilis seu brevissima, ita posito semel, ens praevalere non-enti, seu rationem esse cur aliquid potius extiterit quam nihil, sive a possibilitate transeundum esse ad actum, hinc, etsi nihil ultra determinetur, consequens est, existere quantum plurimum potest pro temporis locique (seu ordinis possibilis existendi) capacitate, prorsus quemadmodum ita componuntur tessellae ut in proposita area quam plurimae capiantur. Ex his jam mirifice intelligitur, quomodo in ipsa originatione rerum Mathesis quaedam Divina seu Mechanismus metaphysicus exerceatur, et maximi determinatio habet locum. Uti ex omnibus angulis determinatus est rectus in geometria, et uti liquores in heterogeneis positi sese in capacissimam figuram nempe sphaericam componunt, sed potissimum uti in ipsa mechanica communi pluribus corporibus gravibus inter se luctantibus talis demum oritur motus, per quem fit maximus descensus in summa. Sicut enim omnia possibilia pari jure ad existendum tendunt pro ratione realitatis, ita omnia pondera pari jure ad descendendum tendunt pro ratione gravitatis, et ut hic prodit motus, quo continetur quam maximus gravium descensus, ita illic prodit mundus per quem maxima fit possibilium productio.

Atque ita jam habemus physicam necessitatem ex metaphysica, etsi enim mundus non sit metaphysice necessarius, ita ut contrarium implicet contradictionem seu absurditatem logicam, est tamen necessarius physice vel determinatus ita ut contrarium implicet imperfectionem seu absurditatem moralem. Et ut possibilitas est principium essentiae, ita perfectio seu essentiae gradus (per quem plurima sunt compossibilia) principium existentiae. Unde simul patet quomodo libertas sit in autore mundi, licet omnia faciat determinate: quia agit ex principio sapientiae seu perfectionis. Scilicet indifferentia ab ignorantia oritur et quanto quisque magis est sapiens tanto magis ad perfectissimum est determinatus.

At (inquies) comparatio haec mechanismi cujusdam determinantis metaphysici cum physico gravium corporum, etsi elegans videatur, in eo tamen deficit quod gravia nitentia vere existunt, at possibilitates seu essentiae ante vel praeter existentiam sunt imaginaria seu fictitia, nulla ergo in ipsis quaeri potest ratio existendi. — Respondeo, neque essentias istas, neque aeternas de ipsis veritates quas vocant, esse fictitias, sed existere in quadam ut sic dicam regione idearum, nempe in ipso Deo, essentiae omnis existentiaeque caeterorum fonte. Quod ne gratis dixisse videamur, ipsa indicat existentia seriei rerum actualis. Cum enim in ea ratio non inveniatur ut supra ostendimus, sed in metaphysicis necessitatibus, seu aeternis veritatibus sit quaerenda, existentia autem non possint esse nisi ab existentibus, ut jam supra monuimus, oportet aeternas veritates existentiam habere in quodam subjecto absolute et metaphysice necessario, id est in Deo, per quem haec, quae alioqui imaginaria forent, ut barbare sed significanter dicamus, realisentur.

Et vero reapse in mundo deprehendimus omnia fieri secundum leges aeternarum veritatum non tantum geometricas sed et metaphysicas, id est non tantum secundum necessitates materiales, sed et secundum necessitates formales; idque verum est non tantum generaliter, in eà quam nunc explicavimus ratione mundi existentis potius quam non existentis, et sic potius quam aliter existentis (quae utique ex possibilium tendentia ad existendum petenda est), sed etiam ad specialia descendendo videmus mirabili ratione in tota natura habere locum leges metaphysicas causae, potentiae, actionis, easque ipsis legibus pure geometricis materiae praevalere, quemadmodum in reddendis legum motus rationibus magna admiratione mea deprehendi usque adeo, ut legem compositionis geometricae conatuum, olim a juvene (cum materialis magis essem) defensam, denique deserere sim coactus, ut alibi a me fusius explicatum.

Ita ergo habemus ultimam rationem realitatis tam essentiarum quam existentiarum in uno, quod utique mundo ipso majus superius, anteriusque esse necesse est, cum per ipsum non tantum existentia, quae mundus complectitur, sed et possibilia habeant realitatem. Id autem non nisi in uno fonte quaeri potest ob horum omnium connexionem inter se. Patet autem ab hac fonte res existentes continue promanare ac produci productasque esse, cum non appareat cur unus status mundi magis quam alius, hesternus magis quam hodiernus ab ipso fluat. — Patet etiam quomodo Deus non tantum physice sed et libere agat,

sitque in ipso rerum non tantum efficiens sed et finis, nec tantum ab ipso magnitudinis vel potentiae in machina universi jam constituta, sed et bonitatis vel sapientiae in constituenda ratio habeatur. Et ne quis putet perfectionem moralem seu bonitatem cum metaphysica perfectione seu magnitudine hic confundi; et hac concessa illam neget, sciendum est, sequi ex dictis non tantum quod mundus sit perfectissimus physice, vel si mavis metaphysice, seu quod ea rerum series prodierit, in qua quam plurimum realitatis actu praestatur, sed etiam quod sit perfectissimus moraliter, quia revera moralis perfectio ipsis mentibus physica est. Unde mundus non tantum est machina maxime admirabilis, sed etiam quatenus constat ex mentibus est optima respublica, per quam mentibus confertur quam plurimum felicitatis seu laetitiae in qua physica earum perfectio consistit.

At inquies, nos contraria in mundo experiri, optimis enim persaepe esse pessime, innocentes non bestias tantum sed et homines affligi occidique etiam cum cruciatu, denique mundum, praesertim si generis humani gubernatio spectetur, videri potius Chaos quoddam confusum quam rem a suprema quadam sapientia ordinatam. Ita prima fronte videri fateor, sed re penitius inspecta contrarium esse statuendum a priori patet ex illis ipsis quae sunt allata, quod scilicet omnium rerum atque adeo et mentium summa quae fieri potest perfectio obtineatur.

Et vero incivile est, nisi tota lege inspecta judicare, ut ajunt jure consulti. Nos porrigendae in immensum aeternitatis exiguam partem novimus; quantulum enim est memoria aliquot millenorum annorum, quam nobis historia tradit! Et tamen ex tam parva experientia temere judicamus de immenso et aeterno, quasi homines in carcere aut si mavis in subterraneis salinis Sarmatarum nati et educati non aliam in mundo putarent esse lucem, quam illam lampadum malignam aegre gressibus dirigendis sufficientem. Picturam pulcherrimam intueamur, hanc totam tegamus demta exigua particula, quid aliud in hac apparebit, etiamsi penitissime intueare, imo quanto magis intuebere de propinquo, quam confusa quaedam congeries colorum sine delectu, sine arte, et tamen ubi remoto tegumento, totam tabulam eo quo convenit situ intuebere, intelliges, quod temere linteo illitum videbatur, summo artificio ab operis autore factum fuisse. Quod oculi in pictura, idem aures in musica deprehendunt. Egregii scilicet componendi artifices dissonantias saepissime consonantiis miscent ut excitetur auditor et quasi pungatur, et veluti anxius de eventu, mox omnibus in ordinem restitutis, tanto magis laetetur, prorsus ut gaudeamus periculis exiguis vel malorum experimentis ipso vel potentiae vel felicitatis nostrae sensu vel ostentamento; vel ut in funambulorum spectaculo vel saltatione inter gladios (sauts perilleux) ipsis terriculamentis delectamur, et ipsimet pueros ridendo quasi jam prope projecturi semidimittimus, qua etiam ratione simia Christiernum, Daniae regem, adhuc infantem, fasciisque involutum tulit ad fastigium tecti, omnibusque anxiis ridenti similis salvum rettulit in cunas. Eodem ex principio insipidum est semper dulcibus vesci; acria, acida, imo amara sunt admiscenda, quibus gustus excitetur. Qui non gustavit amara, dulcia non meruit, imo nec aestimabit. Haec ipsa est laetitiae lex ut aequabili tenore voluptas non procedat, fastidium enim haec parit et stupentes facit, non gaudentes.

Hac autem quod de parte diximus quae turbata esse possit salva harmonia in toto, non ita accipienda est, ac si nulla partium ratio habeatur, aut quasi sufficeret, totum mundum suis numeris esse absolutum, etsi fieri possit ut genus humanum miserum sit, nullaque in universo justitiae cura sit aut nostri ratio habeatur, quemadmodum quidam, non satis recte de rerum summa judicantes, opinantur. Nam sciendum est, uti in optime constituta republica curatur, ut singulis quapote bonum sit, ita nec universum satis perfectum fore nisi quantum, licet salva harmonia universali, singulis consulatur. Cujus rei nulla constitui potuit mensura melior, quam lex ipsa justitiae dictans ut quisque de perfectione universi partem caperet et felicitate propria pro mensura virtutis propriae et ejus qua affectus est erga commune bonum voluntatis, quo id ipsum absolvitur, quod caritatem amoremque Dei vocamus, in quo uno vis et potestas etiam christianae religionis ex judicio sapientum etiam Theologorum consistit. Neque mirum videri debet, tantum mentibus deferri in universo, cum proxime referant imagine supremi autoris et ad eum non tam quam machinae ad artificem (veluti caetera) sed etiam quam cives ad principem relationem habeant, et aeque duraturae sint ac ipsum universum, et totum quodammodo exprimant atque concentrent in se ipsis, ut ita dici possit, mentes esse partes totales.

Quod autem afflictiones bonorum praesertim virorum attinet, pro certo tenendum est, cedere eas in majus eorum bonum, idque non tantum Theologice, sed etiam physice verum est. Uti granum in terram projectum patitur antequam

fructus ferat. Et omnino dici potest, afflictiones pro tempore malas, effectu bonas esse, cum sint viae compendiariae ad majorem perfectionem. Ut in physicis qui liquores lente fermentant, etiam tardius meliorantur, sed illi in quibus fortior perturbatio est, partibus majore vi extrorsum versis promtius emendantur.

Atque hoc est quod diceres retrocedi ut majore nisu saltum facias in anteriora (qu'on recède pour mieux sauter).

Ista ergo non grata tantum et consolatoria, sed et verissima esse, est statuendum. Atque in universum sentio nihil esse et felicitate verius, et felicius dulciusque veritate.

In cumulum etiam pulchritudinis perfectionisque universalis operum divinorum, progressus quidam perpetuus liberrimusque totius universi est agnoscendus, ita ut ad majorem semper cultum procedat. Quemadmodum nunc magna pars terrae nostrae culturam recepit et recipiet magis magisque. Et licet verum sit, interdum quaedam rursus silvescere aut rursus destrui deprimique, hoc tamen ita accipiendum est, ut paulo ante afflictionem interpretati sumus, nempe hanc ipsam destructionem depressionemque prodesse ad consequendum aliquid majus, ita ut ipso quodammodo damno lucremur.

Et quod objici posset: ita oportere ut mundus dudum factus fuerit Paradisus, responsio praesto est: etsi multae jam substantiae ad magnam perfectionem pervenerint, ob divisibilitatem tamen continui in infinitum, semper in abysso rerum superesse partes sopitas adhuc excitandas et ad majus meliusque et ut verbo dicam, ad meliorem cultum provehendas. Nec proinde unquam ad terminum progressus perveniri. —

XLIX.

L E T T R E

A L'AUTEUR DE L'HISTOIRE DES OUVRAGES DES SAVANS,

CONTENANT UN ECLAIRCISSEMENT DES DIFFICULTÉS, QUE MR. BAYLE A TROUVÉES DANS LE SYSTÈME NOUVEAU DE L'UNION DE L'AME ET DU CORPS.

1 6 9 8.

(Histoire des Ouvrages des Savans. Juillet 1698. p. 329. — Leibn. Opp. ed. Dutens Tom. II. P. 1. p. 74.)

Je prends la liberté, Monsieur, de vous envoyer cet éclaircissement sur les difficultés que Mr. Bayle a trouvées dans l'hypothèse, que j'ai proposée pour expliquer l'union de l'Ame et du Corps. Rien n'est plus obligeant, que la maniére dont il en a usé à mon égard; et je me tiens honoré des objections qu'il à mises dans son excellent Dictionnaire, à l'article de Rorarius. D'ailleurs un esprit aussi grand et aussi profond que le sien n'en sauroit faire sans instruire; et je tâcherai de profiter des lumiéres qu'il a répandues sur ces matiéres dans cet endroit, aussibien que dans plusieurs autres de son ouvrage. Il ne rejette pas ce que j'avois dit de la conservation de l'ame, et même de l'animal; mais il ne paroit pas encore satisfait de la maniére dont j'ai prétendu expliquer l'union et le commerce de l'ame et du corps, dans le Journal des Sçavans du 27. Juin et du 4. Juillet 1695 [1]) et dans l'Histoire des Ouvrages des Sçavans, Fevrier 1696 pag. 274 275 [2]).

Voici ses paroles, qui semblent marquer en quoi il a trouvé de la difficulté: *Je ne saurois comprendre, dit-il, l'enchainement d'actions internes et spontanées, qui feroit que*

[1]) v. No. XXXVI. nostrae editionis.
[2]) No. XXXVII.

l'ame d'un chien sentiroit de la douleur, immédiatement après avoir senti de la joye, quand même elle seroit seule dans l'univers. Je réponds, que lorsque j'ai dit que l'ame, quand il n'y auroit que Dieu et elle au monde, sentiroit tout ce qu'elle sent maintenant, je n'ai fait qu'employer une fiction, en supposant ce qui ne sauroit arriver naturellement, pour marquer que les sentimens de l'ame ne sont qu'une suite de ce qui est déja en elle. Je ne sais si la preuve de l'incompréhensibilité, que Mr. Bayle trouve dans cet enchainement, doit être seulement cherchée dans ce qu'il dit plus bas, ou s'il l'a voulu insinuer dès à présent par l'exemple du passage spontané de la joye à la douleur: peut-être en voulant donner à entendre, que ce passage est contraire à l'axiome qui nous enseigne, qu'une chose demeure toujours dans l'état où elle est une fois, si rien ne survient qui l'oblige de changer: et qu'ainsi l'animal ayant une fois de la joye, en aura toujours, s'il est seul, ou si rien d'extérieur ne le fait passer à la douleur; en tout cas; je demeure d'accord de l'axiome, et même je prétends qu'il m'est favorable, comme en effet c'est un de mes fondemens. N'est-il pas vrai que de cet axiome nous concluons, non-seulement qu'un corps qui est en repos, sera toujours en repos; mais aussi qu'un corps qui est en mouvement, gardera toujours ce mouvement ou ce changement, c'est-à-dire, la même vitesse et la même direction, si rien ne survient qui l'empêche? Ainsi une chose ne demeure pas seulement autant qu'il dépend d'elle dans l'état où elle est, mais aussi quand c'est un état de changement, elle continue à changer, suivant toujours une même loi. Or c'est, selon moi, la nature de la substance créée, de changer continuellement suivant un certain ordre, qui la conduit spontanément (s'il est permis de se servir de ce mot) par tous les états qui lui arriveront; de telle sorte que celui qui voit tout, voit dans son état présent tous ces états passés et à venir. Et cette loi de l'ordre qui fait l'individualité de chaque substance particuliére, a un rapport exact à ce qui arrive dans toute autre substance, et dans l'univers tout entier. Peut-étre que je n'avance rien de trop hardi, si je dis, que je peux demontrer tout cela; mais à présent il ne s'agit que de le soutenir comme une hypothèse possible, et propre à expliquer les phénomènes. Or de cette maniére la loi du changement de la substance de l'animal le porte de la joye à la douleur, dans le moment qu'il se fait une solution de continu dans son corps, parce que la loi de la substance indivisible de cet animal, est de représenter ce qui se fait dans son corps de la maniére que nous l'expèrimentons, et même de représenter en quelque façon, et par rapport à ce corps, tout ce qui ce fait dans le monde: les unités de substance n'étant autre chose, que des différentes concentrations de l'univers, représenté selon les différens points de vûe qui les distinguent.

Mr. Bayle continue: *Je comprens pourquoi un chien passe immédiatement du plaisir à la douleur, lorsqu'étant bien affamé, et mangeant du pain, on lui donne un coup de bâton.* Je ne sai si on le comprend assez bien. Personne ne connoit mieux que Mr. Bayle même, que c'est en cela que consiste la grande difficulté qu'il y a d'expliquer, pourquoi ce qui se passe dans le corps fait du changement dans l'ame; et que c'est ce qui a forcé les défenseurs des causes occasionelles de recourir au soin que Dieu doit prendre, de représenter continuellement à l'ame les changemens qui se font dans sont corps: au lieu que je crois que c'est la nature même, que Dieu lui a donnée, de se représenter en vertu de ses propres loix, ce qui se passe dans les organes. Il continue:

Mais que son ame soit construite de telle façon, qu'au moment qu'il est frappé il sentiroit de la douleur, quand même on ne le frapperoit pas, quand même il continueroit de manger du pain sans trouble et sans empêchement; c'est ce que je ne saurois comprendre. Je ne me souviens pas aussi de l'avoir dit, et on ne le peut dire que par une fiction métaphysique, comme lorsqu'on suppose que Dieu anéantit quelque corps pour faire du vuide; l'un et l'autre étant également contraire à l'ordre des choses. Car puisque la nature de l'ame a été faite d'abord d'une maniére propre à se représenter successivement les changemens de la matiére, le cas qu'on suppose ne sauroit arriver dans l'ordre naturel. Dieu pouvoit donner à chaque substance ses phénoménes indépendans de ceux des autres; mais de cette maniére il auroit fait, pour ainsi dire, autant de mondes sans connéxion, qu'il y a de substances; à peu-près comme on dit, que quand on songe, on est dans son monde à part, et qu'on entre dans le monde commun quand on s'éveille. Ce n'est pas que les songes mêmes ne se rapportent aux organes et au reste des corps, mais d'une maniére moins distincte. Continuons avec Mr. Bayle.

Je trouve aussi, dit-il, fort incompatible la spontanéité de cette ame avec

les sentimens de douleur, et en général avec toutes les perceptions qui lui déplaisent. Cette incompréhensibilité seroit certaine, si spontané et volontaire était la même chose. Tout volontaire est spontané; mais il y a des actions spontanées qui sont sans élection, et par conséquent qui ne sont point volontaires. Il ne dépend pas de l'ame de se donner toujours les sentimens qui lui plaisent, puisque les sentimens qu'elle aura, ont une dépendance de ceux qu'elle a eus. Mr. Bayle poursuit:

D'ailleurs la raison pourquoi cet habile homme ne goûte point le Système Cartésien, me paroit être une fausse supposition: car on ne peut pas dire que le Système des Causes occasionelles fasse intervenir l'action de Dieu par miracle, (Deum ex Machina) dans la dépendance réciproque du Corps et de l'Ame; car comme Dieu n'intervient que suivant les loix générales, il n'agit point là extraordinairement. Ce n'est pas par cette seule raison que je ne goûte pas le Système Cartésien; et quand on considére un peu le mien, on voit bien que je trouve en lui-même ce qui me porte à l'embrasser. D'ailleurs quand l'hypothèse des causes occasionnelles n'auroit point besoin de miracle, il me semble que la mienne ne laisseroit pas d'avoir d'autres avantages. J'ai dit qu'on peut imaginer trois systèmes pour expliquer le commerce qu'on trouve entre l'ame et le corps, savoir: 1. Le système de l'influence de l'un sur l'autre, qui est celui des écoles, pris dans le sens vulgaire, que je crois impossible, aprés les Cartésiens: 2. Celui d'un surveillant perpétuel, qui représente dans l'un ce qui se passe dans l'autre, à peu près comme si un homme étoit chargé d'accorder toujours deux méchantes horloges, qui d'elles-mêmes ne seroient point capables de s'accorder, et c'est le système des causes occasionelles: et 3. celui de l'accord naturel de deux substances, tel qu'il seroit entre deux horloges bien exactes; et c'est ce que je trouve aussi possible que le système du surveillant, et plus digne de l'Auteur de ces substances, horloges, ou automates. Cependant voyons si le système des causes occasionnelles ne suppose point en effet un miracle perpétuel. On dit ici que non, parce que Dieu n'agiroit suivant ce système, que par des loix générales. Je l'accorde, mais à mon avis cela ne suffit pas pour lever les miracles: si Dieu en faisoit continuellement, ils ne laisseroient pas d'être des miracles, en prenant ce mot non pas populairement pour une chose rare et merveilleuse, mais philosophiquement pour ce qui passe les forces des créatures. Il ne suffit pas de dire que Dieu a fait une loi générale; car outre le décret, il faut encore un moyen naturel de l'exécuter; c'est-a dire, il faut que ce qui se fait, se puisse expliquer par la nature que Dieu donne aux choses. Les loix de la Nature ne sont pas si arbitraires et si indifférentes, que plusieurs s'imaginent. Si Dieu décrétoit (par exemple) que tous les corps auroient une tendance en ligne circulaire, et que les rayons des cercles seroient proportionnels aux grandeurs des corps; il faudroit dire, qu'il y a un moyen d'exécuter cela par des loix plus simples, ou bien il faudra avouer que Dieu l'exécutera miraculeusement; ou du moins par des Anges chargés exprès de ce soin, à peu près comme ceux qu'on donnoit autrefois aux Sphères célestes. Il en seroit de même si quelqu'un disoit, que Dieu a donné au corps des gravités naturelles et primitives; par lesquelles chacun tendroit au centre de son globe, sans être poussé par d'autres corps; car à mon avis ce sytème auroit besoin d'un miracle perpétuel, ou du moins de l'assistance des Anges.

La vertu interne et active communiquée aux formes des corps connoit-elle la suite d'actions qu'elle doit produire? Nullement; car nous savons par expérience, que nous ignorons que nous aurons dans une heure telles ou telles perceptions. Je réponds, que cette vertu, ou plutôt cette ame ou forme, ne les connoit pas distinctement, mais qu'elle les sent confusément. Il y a en chaque substance des traces de tout ce qui lui est arrivé, et de tout ce qui lui arrivera. Mais cette multitude infinie de perceptions nous empêche de les distinguer; comme lorsque j'entends un grand bruit confus de tout un Peuple, je ne distingue point une voix de l'autre.

Il faudroit donc que les formes fussent dirigées par quelque principe externe dans la production de leurs actes; cela ne seroit-il pas le Deus ex Machina, tout de même que dans le système de causes occasionelles? La réponse précédente fait cesser cette conséquence. Au contraire l'état présent de chaque substance est une suite naturelle de son état précédent; mais il n'y a qu'une intelligence infinie qui puisse voir cette suite, car elle envelope l'univers, dans les ames aussi-bien que dans chaque portion de la matiére.

Mr. Bayle conclut par ces paroles: Enfin, comme il suppose avec beaucoup de raison, que toutes les ames simples et indivisibles, on ne sauroit comprendre qu'elle puissent être comparèes à une pendule, c'est-à-dire, que par leur constitution originale elles puissent diversifier leurs opérations, en se servant de l'activité spontanée qu'elles recevroient de leur Créateur. On conçoit clairement qu'un être simple agira toujours uniformement, si aucune cause étrangére ne le détourne. S'il étoit composé de plusieurs piéces, comme une machine, il agiroit diversement, parce que l'activité particuliére de chaque piéce pourroit changer à tout moment le cours de celle des autres; mais dans une substance unique où trouverez-vous la cause du changement d'opération? Je trouve que cette objection est digne de Mr. Bayle, et qu'elle est de celles qui méritent le plus d'être éclaircies. Mais aussi je crois que si je n'y avois point pourvu d'abord, mon système ne mériteroit pas d'être examiné. Je n'ai comparé l'ame avec une pendule, qu'à l'égard de l'exactitude réglée des changemens, qui n'est même qu'imparfaite dans les meilleures horloges, mais qui est parfaite dans les ouvrages de Dieu; et on peut dire que l'ame est un automate immatériel des plus justes. Quand il est dit, qu'un être simple agira toujours uniformement, il y a quelque distinction à faire: si agir uniformement est suivre perpétuellement une même loi d'ordre ou de continuation, comme dans un certain rang ou suite de nombres, j'avoue que de soi tout être simple, et même tout être composé agit uniformement; mais si uniformement veut dire semblablement, je ne l'accorde point. Pour expliquer la différence de ce sens par un exemple: un mouvement en ligne parabolique est uniforme dans le premier sens; mais il ne l'est pas dans le second, les portions de la ligne parabolique n'étant pas semblables entre elles, comme celles de la ligne droite. Il est vrai, (pour le dire en passant) qu'un corps simple laissé à soi, ne décrit que des lignes droites, si on ne parle que du centre qui représente le mouvement de ce corps tout entier; mais puis qu'un corps simple et roide ayant reçu une fois une turbination, ou circulation à l'entour de son centre, la retient du même sens et avec la même vitesse, il s'ensuit qu'un corps laissé à soi peut décrire des lignes circulaires par ses points éloignés du centre, quand le centre est en repos, et même certaines quadratrices, quand ce centre est en mouvement, qui auront l'ordonée, composée de la droite, parcourue par le centre, et du sinus droit, dont le verse est l'abscisse, l'aire étaut à la circonférence, comme cette droite est une droite donnée. Il faut considérer aussi que l'ame, toute simple qu'elle est, a toujours un sentiment composé de plusieurs perceptions à la fois; ce qui opére autant pour nôtre but, que si elle étoit composée de piéces, comme une machine. Car chaque perception précédente a de l'influence sur les suivantes, conformément à une loi d'ordre qui est dans les perceptions comme dans les mouvemens. Aussi la plûpart des Philosophes depuis plusieurs siécles, qui donnent des pensées aux ames et aux Anges, qu'ils croyent destitués de tout corps, (pour ne rien dire des intelligences d'Aristote) admettent un changement spontanée dans un être simple. J'ajoute, que les perceptions qui se trouvent ensemble dans une même ame en même tems, envelopant une multitude véritablement infinie de petits sentimens indistinguables, que la suite doit déveloper, il ne faut point s'étonner de la variété infinie de ce qui en doit résulter avec le tems. Tout cela n'est qu'une conséquence de la nature représentative de l'ame, qui doit exprimer ce qui se passe, et même ce qui se passera dans son corps, et en quelque façon dans tous les autres, par la connéxion ou correspondance de toutes les parties du monde. Il auroit peut-être suffi de dire, que Dieu ayant fait des atomes corporels, en pourroit bien avoir fait aussi d'immatériels qui représentent les premiers; mais on a cru, qu'il seroit bon de s'étendre un peu davantage.

Au reste, j'ai lu avec plaisir ce que Mr. Bayle dit dans l'article de Zénon. Il pourra peut-être s'apercevoir, que ce qu'on en peut tirer s'accorde mieux avec mon système, qu'avec tout autre; car ce qu'il y a de réel dans l'étendue et dans le mouvement, ne consiste que dans le fondement de l'ordre et de la suite réglée des phénomènes et perceptions. Aussi tant les Académiciens et Sceptiques, que ceux qui leur ont voulu répondre, ne semblent s'être embarrassés principalement, que parce qu'ils cherchoint une plus grande réalité dans les choses sensibles hors de nous, que celle de phénomènes réglés. Nous concevons l'étendue, en concevant un ordre dans les coëxistences: mais nous ne devons pas la concevoir, non plus que l'espace, à la façon d'une substance. C'est comme le Tems, qui ne présente à l'esprit qu'on ordre dans les changemens. Et quant au mouvement, ce qu'il y a de réel, est la force ou la puissance, c'est-à-dire, ce qu'il y a dans l'état présent, qui porte avec soi un changement pour l'avenir. Le reste n'est que phénomènes et rapports. La considération de ce systéme fait voir aussi que, lorsqu'on entre dans le fond des choses, on remarque plus de raison qu'on ne croyoit, dans la plûpart des Sectes des Philosophes. Le peu de réalité substantielle des

choses sensibles, des Sceptiques; la réduction de tout aux harmonies, ou nombres, idées et perceptions des Pythagoristes et Platoniciens; l'un et même un tout de Parménide et de Plotin, sans aucun Spinozisme; la connéxion Stoicienne, compatible avec la spontanéité des autres; la Philosophie vitale des Cabalistes et Hermétiques, qui mettent du sentiment par-tout; les formes et entélechies d'Aristote et des Scholastiques; et cependant l'explication mécanique de tous les phénomènes particuliers selon Démocrite et les modernes, etc. se trouvent réunies comme dans un centre de perspective, d'où l'objet (embrouillé en regardant de tout autre endroit) fait voir sa régularité et la convenance de ses parties: on a manqué par un esprit de Secte, en se bornant par la rejection des autres. Les Philosophes formalistes blâment les matériels ou corpusculaires, et vice versa. On donne mal des limites à la division et subtilité, aussi-bien qu'à la richesse et beauté de la nature, lorsqu'on met des atomes et du vuide, lorsqu'on se figure certains premiers élémens (tels même que les Cartésiens) au lieu des véritables unités, et lorsqu'on ne reconnoit pas l'infini en tout, et l'exacte expression du plus grand dans le plus petit, jointe à la tendance de chacun à se déveloper dans un ordre parfait; ce qui est le plus admirable et le plus bel effet du souverain principe, dont la sagesse ne laisseroit rien à désirer de meilleur à ceux qui en pourroient entendre l'oeconomie.

L.

DE IPSA NATURA,

SIVE DE VI INSITA ACTIONIBUSQUE CREATURARUM.

1 6 9 8.

(Acta Erudit. Lips. ann. 1698. Sept. p. 432. — Leibn. Opp. ed. Dutens Tom. II. P. II. p. 49.)

---

1. Accepi nuper missu celeberrimi et de rebus mathematicis ac physicis praeclare meriti Viri, Johannis Christophori Sturmii, quam Atorfii edidit apologiam pro sua de Idolo Natura dissertatione, impugnata a Medico Kiloniensium primario et χαριεςάτῳ, Gunthero Christophoro Schelhamero, in libro de natura. Cum igitur idem argumentum versassem et ego olim, nonnihilque etiam concertationis per literas mihi cum praeclaro autore dissertationis intercedat, cujus mentionem mihi perhonorificam ipse nuper fecit, publice memoratis nonnullis inter nos actis in Physicae electivae tomo primo, lib. 1. sect. 1. cap. 3. Epilog. §. 5. pag. 119. 120.: eo libentius animum attentionemque adhibui argumento per se egregio, necessarium judicans, ut mens mea pariter et tota res ex iis, quae aliquoties jam indicavi, principiis distinctius paulo proponeretur. Cui instituto commodam occasionem praestare illa visa est apologetica dissertatio, quod judicare liceret, autorem ibi, quae maxime ad rem facerent, paucis uno sub conspectu exhibuisse. De caetero litem ipsam inter praeclaros viros non facio meam.

2. Duo potissimum quaeri puto, primum, in quo consistat natura, quam rebus tribuere solemus, cujus attributa passim recepta aliquid Paganismi redolere, judicat celeberrimus Sturmius; deinde utrum aliqua sit in creaturis ἐνεργεια, quam videtur negare. Quod primum attinet, de ipsa natura, si dispiciamus, et quid sit, et quid non sit, assentior quidem, nullam dari animam Universi; concedo etiam miranda illa, quae occurrunt quotidie, de quibus merito solemus, opus naturae esse opus intelligentiae, non esse adscribenda creatis quibusdam intelligentiis, sapientia et virtute proportionali ad rem tan-

tam praeditis; sed naturam universam esse ut sic dicam artificium Dei, et tantum quidem, ut quaevis machina naturalis (quod verum, parumque observatum naturae artisque discrimen est) organis constet prorsus infinitis, infinitamque adeo sapientiam potentiamque autoris rectorisque postulet. Itaque et calidum omniscium Hippocratis, et Cholcodeam animarum datricem Avicennae, et illam sapientissimam Scaligeri aliorumque virtutem plasticam, et principium hylarchicum Henrici Mori, partim impossibilia, partim superflua puto; satisque habeo, machinam rerum tanta sapientia esse conditam, ut ipso ejus progressu admiranda illa contingant, organicis praesertim (ut arbitror) ex praedelineatione quadam sese evolventibus. Itaque quod Vir cl. naturae cujusdam creatae, sapientis, corporum machinas formantis gubernantisque figmentum rejicit, probo. Sed nec consequi inde nec rationi consentaneum puto, ut omnem vim creatam actricem insitam rebus denegemus.

3. Diximus quod non sit; videamus jam etiam paulo propius, quid sit illa natura, quam Aristoteles non male principium motus et quietis appellavit; quamquam Philosophus ille mihi latius accepto vocabulo non solum motum localem, aut in loco quietem, sed generaliter mutationem, et ςάσιν seu persistentiam intelligere videatur. Unde etiam, ut obiter dicam, definitio quam motui assignat, etsi obscurior justo, non tam inepta tamen est, quam iis videtur, qui perinde sumunt, ac si motum localem tantummodo definire voluisset: sed ad rem. Robertus Boylius, vir insignis et in naturae observatione cum cura versatus, de ipsa natura libellum scripsit, cujus mens eo redit, si bene memini, ut naturam judicemus esse ipsum corporum machanismum, quod quidem ὡς ἐν πλάτει probari potest; sed rem rimanti majore ἀκριβείᾳ distinguenda erant in ipso mechanismo principia a derivatis: ut in explicando horologio non satis est, si mechanica ratione impelli dicas, nisi distinguas, pondere an elastro concitetur. Et a me aliquoties jam est proditum (quod profuturum puto, ne mechanicae naturalium rerum explicationes ad abusum trahantur in praejudicium pietatis, tanquam per se materia stare possit, et mechanismus nulla intelligentia aut substantia spirituali indigeat) originem ipsius mechanismi non ex solo materiali principio mathematicisque rationibus, sed altiore quodam et, ut sic dicam, metaphysico fonte fluxisse.

4. Cujus inter alia indicium insigne praebet fundamentum naturae legum, non petendum ex eo, ut conservetur eadem motus quantitas, uti vulgo visum erat, sed potius ex eo, quod necesse est servari eandem quantitatem potentiae actricis, imo (quod pulcherrima ratione evenire deprehendi) etiam eandem quantitatem actionis motricis, cujus alia longe aestimatio est ab illa, quam Cartesiani concipiunt sub quantitate motus. Eaque de re cum duo Mathematici ingenio facile inter primos mecum partim per litteras partim publice contulissent, alter penitus in castra mea transit, alter eo devenit, ut objectiones suas omnes post multam et accuratam ventilationem desereret, et ad meam quandam demonstrationem nondum sibi responsionem suppetere candide fateretur. Eoque magis miratus sum, virum praeclarum in Physicae suae electivae parte edita, explicantem leges motus, vulgarem de illis sententiam (quam tamen nulla domonstratione, sed quadam tantum verisimilitudine niti ipse agnovit, repetiitque etiam hic novissima dissertatione cap. 3. §. 2.) quasi nulla dubitatione libatam assumsisse; nisi forte scripsit antequam prodirent mea, et scripta deinde recensere vel non vacavit, vel in mentem non venit; praesertim cum leges motus arbitrarias esse crederet, quod mihi non usque quaque consentaneum videtur. Puto enim determinatis sapientiae atque ordinis rationibus, ad eas quae in natura observantur, ferendas leges venisse Deum: et vel hinc apparere, quod a me aliquando opticae legis occasione est admonitum et Cl. Molineuxio in Dioptricis postea valde sese probavit, finalem causam non tantum prodesse ad virtutem et pietatem in Ethica et Theologia naturali, sed etiam in ipsa Physica ad inveniendum, et detegendum abditas veritates. Itaque cum celeberrimus Sturmius in Physica sua eclectica, ubi de causa finali agit, sententiam meam retulisset inter Hypotheses, optarem et in epicrisi satis expendissit; haud dubie enim inde occasionem fuisset sumturus, multa pro argumenti praestantia et ubertate dicendi praeclara, et ad pietatem quoque profutura.

5. Sed jam considerandum est, quid ipse de naturae notione in hac sua apologetica dissertatione dicat, et quid dictis deesse adhuc videatur. Concedit cap. 4. §. 2, 3, et alibi passim, motus qui nunc fiunt, consequi aeternae legis semel a Deo latae, quam legem mox vocat volitionem et jussum; nec opus esse novo Dei jussu, nova volitione, nedum novo conatu, aut laborioso quodam negotio d. §. 3. et a se repellit tanquam male imputatam ex adverso sententiam, quod Deus moveat res ut faber lignarius bipennem, et molitor dirigit molam arcendo aquas, vel immittendo rotae. Verum enimvero, ut mihi quidem videtur, nondum sufficit haec explicatio. Quaero enim, utrum volitio illa, vel jussio, aut si mavis lex divina olim lata

extrinsecam tantum tribuerit rebus denominationem, an vero aliquam contulerit impressionem creatam in ipsis perdurantem, vel, ut optime Dn. Schelhammerus judicii non minus quam experientiae egregius vocat, legem insitam (etsi plerumque non intellectam creaturis, quibus inest) ex qua actiones passionesque consequantur. Prius autorum systematis causarum occasionalium, acutissimi imprimis Malebranchii, dogma videtur; posterius receptum est, et ut ego arbitror, verissimum.

6. Nam jussio illa praeterita cum nunc non existat, nihil nunc efficere potest, nisi aliquem tunc post se reliquerit effectum subsistentem, qui nunc quoque duret et operetur: et qui secus sentit, omni, si quid judico, distinctae rerum explicationi renunciat: quidvis ex quovis consequi pari jure dicturus, si id quod loco temporeve est absens, sine interposito, hic et nunc operari potest. Itaque satis non est dici, Deum initio res creantem voluisse, ut certam quandam legem in progressu observarent, si voluntas ejus fingatur ita fuisse inefficax, ut res ab ea non fuerint affectae, nec durabilis in iis effectus sit productus. Et pugnat profecto cum notione divinae potentiae voluntatisque, purae illius et absolutae, velle Deum et tamen volendo producere aut immutare nihil; agereque semper, efficere nunquam, neque opus vel ἀποτελεσμα relinquere ullum. Certe si nihil creaturis impressum est divino illo verbo: producat terra, multiplicemini animalia; si res perinde post ipsum fuere affectae, ac si nullum jussum intervenisset; consequens est (cum connexione aliqua inter causam et effectum opus sit, vel immediata, vel per aliquod intermedium) aut nihil fieri nunc consentaneum mandato, aut mandatum tantum valuisse in praesens, semper renovandum in futurum; quod Cl. Autor merito a se amolitur. Sin vero lex a Deo lata reliquit aliquod sui expressum in rebus vestigium, si res ita fuere formatae mandato, ut aptae redderentur ad implendam jubentis voluntatem; jam concedendum est, quandam inditam esse rebus efficaciam, formam, vel vim, qualis naturae nomine a nobis accipi solet, ex qua series phaenomenorum ad primi jussus praescriptum consequeretur.

7. Haec autem vis insita distincte quidem intelligi potest, sed non explicari imaginabiliter; nec sane ita explicari debet, non magis quam natura animae; est enim vis ex earum rerum numero, quae non imaginatione, sed intellectu attinguntur. Itaque quod petit Vir cl. c. 4. §. 6. dissertationis apologeticae, imaginabiliter explicari modum, quo lex insita in corporibus legis ignaris operetur, sic accipio, ut desideret exponi intelligibiliter, ne scilicet credatur postulare ut soni pingantur, vel colores audiantur. Deinde si explicandi difficultas ad res rejiciendas sufficit, consequenter, quae ipse sibi injuria imputari queritur, cap. 1. §. 2. quod scilicet omnia non nisi divina virtute moveri statuere malit, quam aliquid admittere naturae nomine, cujus naturam ignoret. Certe pari jure niterentur etiam Hobbes et alii, qui omnes res volunt esse corporeas, quia nihil nisi corpus distincte et imaginabiliter explicari posse sibi persuadent. Sed illi ipsi ex eo ipso recte refutantur, quod vis agendi rebus inest, quae ex imaginabilibus non derivatur; eamque in Dei mandatum, olim semel datum, res nullo modo afficiens, nec effectum post se relinquens simpliciter rejicere, tantum abest, ut foret reddere rem explicatiorem, ut potius deposita philosophi persona esset gladio gordium nodum secare. Ceterum distinctior et rectior vis activae explicatio, quam hactenus habita est, ex dynamicis nostris, legumque naturae et motus vera aestimatione in illis tradita, et rebus consentanea, derivatur.

8. Quod si quis defensor philosophiae novae, inertiam rerum et torporem introducentis, eo usque progrediatur, ut omnem jussis Dei effectum durabilem efficaciamque in futurum adimens, etiam novas semper molitiones ab ipso exigere nihil pensi habeat, (quod Dn. Sturmius a se alienum esse prudentur profitetur) is quam digna Deo sentiat, ipse viderit; excusari autem non poterit, nisi rationem afferat, cur res quidem ipsae aliquamdiu durare possint, attributa autem rerum, quae in ipsis naturae nomine intelligimus, durabilia esse non possint: cur tamen consentaneum sit, quemadmodum verbum fiat, aliquid post se reliquit, nempe rem ipsam persistentem; ita verbum benedictionis non minus mirificum, aliquam post se in rebus reliquisse producendi actus suos, operandique foecunditatem nisumve, ex quo operatio, si nihil obstet consequatur. Quibus addi potest quod alibi a me explicatum est, et si nondum fortasse satis perspectum omnibus, ipsam rerum substantiam in agendi patiendique vi consistere: unde consequens est, ne res quidem durabilis produci posse, si nulla ipsis vis aliquamdiu permanens divina virtute imprimi potest. Ita sequeretur nullam substantiam creatam, nullam animam eandem numero manere, nihilque adeo a Deo conservari, ac proinde res omnes esse tantum evanidas quasdam sive fluxas unius divinae substantiae permanentis modificationes, et phasmata, ut sic dicam; et quod eodem redit, ipsam naturam, vel substantiam rerum omnium Deum esse; qualem pessimae notae doctrinam nu-

per scriptor quidem subtilis, at profanus, orbi invexit vel renovavit. Sane si res corporales nil nisi materiale continerent, verissime dicerentur in fluxu consistere, neque habere substantiale quicquam, quemadmodum et Platonici olim recte agnovere.

9. Altera quaestio est, utrum creaturae proprie et vere agere sint dicendae? Ea, si semel intelligamus, naturam insitam non differre a vi agendi et patiendi, recidit in priorem. Nam actio sine vi agendi esse non potest, et vicissim inanis potentia est, quae nunquam potest exerceri. Quia tamen nihilominus actio et potentia res sunt diversae, illa successiva, haec permanens, videamus et de actione; ubi fateor, me non exiguam in explicanda celeberrimi Sturmii mente difficultatem reperire. Negat enim, res creatas per se et proprie agere; mox tamen ita concedit eas agere, ut nolit quodammodo sibi tribui comparationem creaturarum cum bipenni a fabro lignario mota. Ex quibus nihil certi exsculpere possum, nec diserte satis explicatum video, quousque ipse a receptis sententiis recedat; aut quamnam distinctam animo conceperit actionis notionem, quae quam non sit obvia et facilis, ex metaphysicorum certaminibus constat. Quantum ego mihi notionem actionis perspexisse videor, consequi ex illa et stabiliri arbitror receptissimum philosophiae dogma, actiones esse suppositorum; idque adeo esse verum deprehendo, ut etiam sit reciprocum; ita ut non tantum omne quod agit sit substantia singularis, sed etiam ut omnis singularis substantia agat sine intermissione; corpore ipso non excepto, in quo nulla unquam quies absoluta reperitur.

10. Sed nunc attentius paulo consideremus eorum sententiam, qui rebus creatis veram, et propriam actionem adimunt, quod olim etiam fecere Philosophiae Mosaicae autor Robertus Fluddus, nunc vero Cartesiani quidam, qui putant non res agere, sed Deum ad rerum praesentiam, et secundum rerum aptitudinem; adeoque res occasiones esse, non causas, et recipere, non efficere aut elicere. Quam doctrinam Cordemoius, Forgaeus, et alii Cartesiani cum proposuissent, Malebranchius in primis, pro acumine suo, orationis quibusdam luminibus exornavit; rationes autem solidas (quantum intelligo) adduxit nemo. Certe si consque producitur haec doctrina, ut actiones etiam immanentes substantiarum tollantur; (quod tamen merito rejicit Dn. Sturmius Physicae elect. lib. 1. cap. 4. epilo. §. 11. p. 176. et in eo circumspectionem suam luculenter ostendit) adeo a ratione apparet aliena, ut nihil supra. An enim mentem cogitare ac velle, et in nobis a nobis elici multas cogitationes ac voluntates, ac spontaneum penes nos esse, quisquam in dubium revocabit? Quo facto non tantum negaretur libertas humana, et in Deum causa rejiceretur malorum, sed etiam intimae nostrae experientiae, conscientiaeve testimonio reclamaretur, quo ipsimet nostra esse sentimus, quae nulla rationis specie a dissentientibus in Deum transferrentur. Quod si vero menti nostrae vim insitam tribuimus, actiones immanentes producendi vel quod idem est, agendi immanenter; jam nihil prohibet, imo consentaneum est, aliis animabus vel formis, aut si mavis, naturis substantiarum eandem vim inesse; nisi quis solas in natura rerum nobis obvia mentes nostras activas esse, aut omnem vim agendi immanenter, atque adeo vitaliter ut sic dicam, cum intellectu esse conjunctam arbitretur, quales certe asseverationes neque ratione ulla confirmantur, nec nisi invita veritate propugnantur. Quid vero de transeuntibus creaturarum actionibus sit statuendum, alio loco melius exponetur, pro parte etiam iam tum a nobis alibi est explicatum: commercium scilicet substantiarum sive monadum oriri non per influxum, sed per consensum ortum a divina praeformatione; unoquoque dum suae naturae vim insitam legesque sequitur, ad extranea accomodato, in quo etiam unio animae corporisque consistit.

11. Quod autem corpora sint per se inertia, verum quidem est, si recte sumas; hactenus scilicet, ut quod semel quiescere aliqua ratione ponitur, se ipsum eatenus in motum concitare non possit, nec sine resistentia ab alio concitari patiatur; non magis quam sua sponte mutare sibi potest gradum velocitatis aut directionem, quam semel habet; aut pati facile ac sine resistentia, ut ab alio mutetur. Atque adeo fatendum est, extensionem, sive quod in corpore est geometricum, si nude sumatur, nihil in se habere, unde actio et motus proficiscatur: imo potius materiam resistere motui per quandam suam inertiam naturalem a Keplero pulchre sic denominatam, ita ut non sit indifferens ad motum, et quietem, uti vulgo rem aestimare solent, sed ad motum pro magnitudine sua vi tanto majore activa indigeat. Unde in hac ipsa vi passiva resistendi (et impenetrabilitatem, et aliquid amplius involvente) ipsam materiae primae, sive molis quae in corpore ubique eadem magnitudinique ejus proportionalis est, notionem colloco, et ostendo hinc alias longe, quam si sola in corpore ipsaque materia inesset cum extensione impenetrabilitas, motuum leges consequi; et uti in materia inertiam naturalem oppositam motui, ita in ipso corpore, imo in omni substantia inesse constantiam naturalem oppositam mutationi. Verum haec doctrina non patroci-

natur, sed potius adversatur illis, qui rebus actionem adimunt: nam quam certum est materiam per se motum non incipere, tam certum est, (quod experimenta etiam ostendunt praeclara de motu impresso a motore translato) corpus per se conceptum semel impetum retinere constansque in levitate sua esse, sive in illa ipsa mutationis suae serie, quam semel est ingressum, perseverandi habere nisum. Quae utique activitates atque entelechiae, cum materiae primae sive molis, rei essentialiter passivae, modificationes esse non possint, uti praeclare (quemadmodum sequente paragrapho dicemus) ab ipso judiciosissimo Sturmio agnitum est; vel hinc judicari potest, debere in corporea substantia reperiri entelechiam primam, tandem πρῶτον δεκτικὸν activitatis; vim scilicet motricem primitivam, quae praeter extensionem (seu id quod est mere geometricum) et praeter molem (seu id quod est mere materiale) superaddita, semper quidem agit, sed tamen varie ex corporum concursibus per conatus impetusve modificatur. Atque hoc ipsum substantiale principium est, quod in viventibus anima, in aliis forma substantialis appellatur, et quatenus cum materia substantiam vere unam, sed unum per se constituit, id facit quod ego monadem appello; cum sublatis his vere, et realibus unitatibus, non nisi entia per aggregationem, imo quod hinc sequitur nulla vera entia in corporibus sint superfutura. Etsi enim dentur atomi substantiae, nostrae scilicet monades partibus carentes, nullae tamen dantur atomi molis, seu minimae extensionis, vel ultima elementa; cum ex punctis continuum non componatur. Prorsus uti nullum datur ens mole maximum, vel extensione infinitum, etsi semper alia aliis majora dentur; sed datur tantum ens maximum intensione perfectionis, seu infinitum virtute.

12. Video tamen celeberrimum Sturmium in hac ipsa dissertatione apologetica cap. 4. §. 7. et seqq. insitam corporibus vim motricem argumentis quibusdam impugnare aggressum. Ex abundanti, inquit, hic ostendam, ne capacem quidem esse substantiam corpoream potentiae alicujus active motricis. Quanquam ego non capiam, quae possit esse potentia non active motrix. Gemino autem se usurum ait argumento, uno a natura materiae et corporis, altero ex natura motus. Prius huc redit: materiam sua natura et essentialiter passivam esse substantiam; itaque ipsi dari vim activam non magis esse possibile, quam si Deus lapidem, dum lapis manet, velit esse vitalem et rationalem, id est non lapidem: deinde quae in corpore ponantur, ea esse tantum materiae modificationes; modificationem autem (quod pulchre dictum agnosco) rei essentialiter passivae non posse rem reddere activam. Sed responderi commode potest ex recepta non minus quam vera philosophia: materiam intelligi vel secundam, vel primam; secundam esse quidem substantiam completam, sed non mere passivam; primam esse mere passivam, sed non esse completam substantiam; accedereque adeo debere animam, vel formam animae analogam, si ἐντελέχειαν τὴν πρώτην, id est nisum quendam, seu vim agendi primitivam, quae ipsa est lex insita, decreto divino impressa. A qua sententia non puto abhorrere virum celebrem et ingeniosum, qui nuper defendit, corpus constare ex materia et spiritu; modo sumatur spiritus non pro re intelligente, (ut alias solet) sed pro anima, vel formae animae analogo, nec pro simplici modificatione, sed pro constitutivo substantiali perseverante, quod Monadis nomine appellare soleo, in quo est velut perceptio, et appetitus. Haec ergo recepta doctrina, et scholarum dogmati benigne explicato consentanea, refutanda est prius, ut argumentum viri clarissimi vim habere possit; quemadmodum et hinc patet, non posse concedi, quod assumsit, quicquid est in substantia corporea, esse materiae modificationem. Notum est enim, animas inesse viventium corporibus secundum receptam philosophiam, quae utique modificationes non sunt. Licet enim vir egregius contrarium statuere, omnemque veri nominis sensum animalibus brutis animamque proprie dictam adimere videatur; sententiam tamen hanc pro fundamento demonstrationis assumere non potest, antequam ipsa demonstretur. Et contra potius arbitror, neque ordini, neque pulchritudini rationive rerum esse consentaneum, ut vitale aliquid, seu immanenter agens sit in exigua tantum parte materiae, cum ad majorem perfectionem pertineat, ut sit in omni; neque quicquam obstet, quo minus ubique sint animae aut analoga saltem animabus; etsi dominantes animae, atque adeo intelligentes, quales sunt humanae, ubique esse non possint.

13. Posterius argumentum quod ex natura motus sumit vir cl. majorem, ut mihi quidem videtur, concludendi necessitatem non habet. Motum ait esse successivam tantum rei motae in diversis locis existentiam. Concedamus hoc interim, et si non omnino satisfaciat, magisque id, quod ex motu resultat, quam ipsam (ut vocant) formalem ejus rationem exprimat; non ideo tamen excluditur vis motrix. Nam non tantum corpus praesenti sui motus momento inest in loco sibi commensurato, sed etiam conatum habet, seu nisum mutandi locum, ita ut status sequens ex praesenti per se naturae vi consequatur; alioqui praesenti momento (atque adeo momento quovis) corpus A, quod movetur a corpore B, quiescente nihil differet; sequereturque ex clarissimi viri sententia, si nobis ea in re adversa esset, nullum plane discrimen in corporibus fore, quando quidem in pleno uniformis per se massae discrimen, nisi ab eo quod motum respicit sumi non potest. Unde etiam amplius tandem efficietur, nihil prorsus variari in corporibus, omniaque semper eodem se habere modo. Nam si materiae portio quaevis ab alia aequali et congrua non differt (quod admittendum est a viro cl. viribus activis impetibusve, et quibuscumque aliis, praeter existentiam in hoc loco, successive futuram aliam vel aliam, qualitatibus modificationibusque sublatis) ac praeterea si unius momenti status a statu alterius momenti non nisi transpositione aequalium et congruarum et per omnia convenientium materiae portionum differt; manifestum est ob perpetuam substitutionem indistinguibilium, consequi, ut diversorum momentorum status in mundo corporeo discriminari nullo modo possint. Extrinseca enim tantum foret denominatio, qua distingueretur materiae pars una ab alia, nempe a futuro, quod scilicet imposterum sit futura alio vel alio loco; impraesentiarum vero discrimen est nullum; imo ne a futuro quidem cum fundamento sumeretur, quia nunquam etiam imposterum ad verum aliquod praesens discrimen deveniretur; cum nec locus a loco, nec materia a materia ejusdem loci (ex hypothesi perfectae illius uniformitatis in ipsa materia) distingui ulla nota queat. Frustra etiam ad figuram praeter motum recurreretur. Nam in massa perfecte similari et indiscriminata et plena, nulla oritur figura seu terminatio partium diversarum ac discriminatio, nisi ab ipso motu. Quodsi ergo motus nullam distinguendi notam continet, nullam etiam figurae largietur; et cum omnia, quae prioribus substituuntur, perfecte aequipolleant, nullum vel minimum mutationis indicium a quocunque observatore, etiam omniscio, deprehendetur; ac proinde omnia perinde erunt, ac si mutatio discriminatioque nulla in corporibus contingeret: nec unquam inde reddi poterit ratio diversarum quas sentimus apparentiarum. Et perinde res foret, ac si fingeremus duas sphaeras concentricas perfectas et perfecte tam inter se, quam in partibus suis similares, alteram alteri ita inclusam esse, ut nec minimus sit hiatus; tunc sive volvi inclusam, sive quiescere ponamus, ne angelus quidem, ne quid amplius dicam, ullum poterit notare discrimen inter diversi temporis status, aut indicium habere discernendi, utrum quiescat an volvatur inclusa sphaera, et qua motus lege. Imo ne limes quidem sphaerarum definiri poterit, ob defectum simul hiatus et discriminis; uti motus vel ob solum discriminis defectum agnosci hic nequit. Unde pro certo habendum (etsi hoc minus adverterint, qui satis alte in haec non penetravere) talia a rerum natura atque ordine esse aliena, nullumque uspiam dari (quod inter nova et majora axiomata mea est) perfectam similaritatem; cujus rei consequens etiam est, nec corpuscula extremae duritiei, nec fluidum summae tenuitatis, materiamve subtilem universaliter diffusam, aut ultima elementa, quae primi secundive quibusdam nomine veniunt, in natura reperiri. Quorum cum nonnihil perspexisset (ut arbitror) Aristoteles, profundior mea sententia, quam multi putant, judicavit, praeter mutationem localem opus esse alteratione, nec materiam ubique sibi esse similem, ne maneat invariabilis. Dissimilitudo autem illa, vel qualitatum diversitas, atque adeo ἀλλοίωσις vel alteratio, quam non satis exposuit Aristoteles, ipsis diversis nisuum gradibus directionibusque, monadumque adeo inexistentium modificationibus obtinetur. Ex quibus proinde intelligi puto, necessario aliud debere poni in corporibus, quam massam uniformem, eiusquè nihil utique immaturam transportationem. Sane qui atomos et vacuum habent, non nihil saltem diversificant materiam, dum alibi faciunt partibilem, alibi impartibilem; et uno loco plenam, alio hiantem. Sed diu est, quod rejiciendos esse atomos cum vacuo (deposito juventutis praejudicio) deprehendi. Addit vir celeberrimus materiae existentiam per diversa momenta tribuendam esse divinae voluntati; quidni ergo (inquit) eidem tribuatur quod existit hic et nunc? Respondeo, id ipsum Deo haud dubie deberi, ut alia omnia quatenus perfectionem quandam involvunt; sed quemadmodum prima illa et universalis causa omnia conservans non tollit, sed facit potius rei existere incipientis subsistentiam naturalem, seu in existendo perseverationem semel concessam; ita eadem non tollet, sed potius confirmabit rei in motum concitatae efficaciam naturalem, seu in agendo perseverationem semel impressam.

14. Multa quoque alia occurrunt in apologetica illa Dissertatione, quae difficultatem habent, ut quod ait dict. cap. 4. §. 11. motu de globulo per plures intermedios in globulum translato, globulum ultimum eadem vi moveri qua motus est globulus primus: mihi vero videtur, aequivalente quidem moveri, sed non eadem; cum unusquisque (quod mirum videri possit) sua propria vi, nempe elastica (non jam de elasmatis hujus causa disputo, neque nego mechanice debere explicari motu fluidi inexistentis ac perlabentis) a proximo urgente repulsus in motum agatur. Sic etiam, quod §. 12. dicit rem, quae primordium motus

dare sibi non potest, non posse per se continuare motum, mirum merito videbitur. Constat enim potius, quemadmodum vi opus est ad motum dandum, ita dato semel impetu, tantum abesse, ut vi nova sit opus ad continuandum, ut potius ea opus sit ad sistendum. Nam conservatio illa a causa universali rebus necessaria, hujus loci non est, quae ut jam monuimus, si tolleret rerum efficaciam, etiam tolleret subsistentiam.

15. Ex quibus rursus intelligitur, doctrinam a nonnullis propugnatam causarum occasionalium (nisi ita explicetur, ut temperamenta adhiberi possint, quae Cl. Sturmius partim admisit partim admissurus videtur) periculosis consequentiis obnoxiam esse, doctissimis licet defensoribus haud dubie invitis. Tantum enim abest, ut Dei gloriam augeat, tollendo idolum naturae; ut potius rebus creatis in nudas divinae unius substantiae modificationes evanescentibus, ex Deo factura cum Spinosa videatur ipsam rerum naturam; cum id quod non agit, quod vi activa caret, quod discriminabilitate, quod denique omni subsistendi ratione ac fundamento spoliatur, substantiam esse nullo modo possit. Certissime persuasum mihi est, Cl. Sturmium, virum et pietate et doctrina insignem, ab his portentis esse alienissimum. Itaque dubium nullum est, aut ostensurum esse liquido, qua ratione maneat aliqua in rebus substantia vel etiam variatio, salva doctrina sua, aut veritati manus esse daturum.

16. Certe quo magis suspicem, mentem ipsius non satis mihi esse perspectam, nec meam ipsi, multa faciunt. Alicubi fassus mihi est, posse, imo quoddamodo etiam debere, quandam divinae virtutis particulam (id est, ut opinor, expressionem, imitationem, effectum proximum, nam ipsa divina vis in partes utique secari non potest,) velut rebus propriam, et attributam intelligi. Videatur quae mihi transmissa repetiit in Physicae electivae loco supra citato sub initium hujus schediasmatis. Hoc si (ut ex verbis apparet,) eo sensu accipitur, quo animam divinae particulam aurae dicimus, jam sublata inter nos eatenus controversia erit. Sed quo minus hanc mentem ipsius affirmare audeam, facit, quod vix uspiam alibi video tale aliquid ab ipso tradi, aut quae inde consequantur exponi; contra vero animadverto, quae passim habet, huic sententiae parum cohaerere, dissertationem autem apologeticam in alia omnia ire. Sane cum primum meae in Actis Eruditorum Lipsiensibus mense Martio 1694. de vi insita prolatae sententiae, (quam porro illustrat specimen meum dynamicum in iisdem actis April. 1695.) quaedam per literas objecisset, mox accepta responsione mea, perbenigne judicavit nullum inter nos esse discrimen, nisi in loquendi modo; quod cum ego animadvertens, monuissem adhuc nonnulla, ipse jam in contrarium versus, plura inter nos discrimina posuit, quae ego agnosco: vixque his exemtis tandem novissime eo rediit, ut denuo scriberet, nisi verborum differentiam inter nos esse nullam, quod mihi futurum esset gratissimum. Volui ergo, occasione novissimae dissertationis apologeticae, rem ita exponere, ut denique et de sententia cuiusque, et de sententiae veritate constare facilius possit. Est enim alioqui magna Viri egregii et in perspiciendo solertia, et perspicuitas in exponendo; ut sperem ejus studio non exiguam tantae rei lucem afferri posse, atque adeo vel ideo non inutilem hanc operam meam fore, quod occasionem ei fortasse praebitura est, ea qua solet industria et vi judicii expendendi atque illustrandi nonnulla alicujus in negotio praesente momenti praetermissa hactenus ab autoribus et a me, ni fallor novis et altius repertitis et late fusis axiomatibus nonnihil suppleta, ex quibus restitutum emendatumque systema mediae inter formalem et materiarum philosophiae (conjuncta servataque rite utraque) nasci videtur aliquando posse.

LI.

EPISTOLA
DE REBUS PHILOSOPHICIS

AD FRED. HOFFMANUM.

1699.

(Hoffmanni Opp. Genevae. 1740. Supplem. Tom 1. p. 49. — Leibn. Opp. ed. Dutens Tom. II. P. 1. p. 260)

Doctissimae et judicii non minus, quam experientiae tuae non vulgaris testes, Dissertationes tuae adhuc pretiosiores et addita ad me humanissima epistola fecerunt, ut utroque nomine gratias tibi agam debeamque, vellem et referre posse. Mihi videris de mechanismo naturae judicare rectissime, et mea quoque semper fuit sententia, omnia in corporibus fieri mechanice, etsi non semper distincte explicare possimus singulos mechanismos: ipsa vero principia mechanismi generalia ex altiore fonte profluere, quod tibi quoque, ni fallor, probatur. Quantum etiam capio de controversia inter Dn. Sturmium et me rectissime judicas, et substantialitatem massae corporeae optime collocas in vi extensa, hoc est, ut interpretor, per locum diffusa, seu partibili. Tecum etiam sentio, id quod passivum est, nunquam solum reperiri, aut per se subsistere. Pulchre autem notas in mere passivo nullam esse motus recipiendi retinendique habilitatem: et, ademta rebus vi agendi, non posse eas a divina substantia distingui, incidique in Spinosismum. Vicissim nullam dari creaturam mere activam, eo etiam tecum inclino, ut non humano tantum corpori, sed et aliis corporibus organicis animam immaterialem, aut aliquid analogum animae tribuam: hoc unum tantum addens: videri omnem substantiam inextensam, seu simplicem ortus et interitus physici expertem esse, nec nisi creatione oriri vel annihilatione destrui posse. Nec mirum cuiquam videri debet, animabus i. e. veris atomis tribui, quod Democritici suis atomis materialibus adscribunt. Quin verisimile arbitror, non tantum animam, sed et animal interitus expers, nec aliud esse mortem, quam involutionem diminutivam, quemadmodum generationem esse evolutionem augmentativam, jam multis viris doctis placet. Quamquam de spiritibus sive mentibus nihil hic pronunciare ausim, quoniam legibus sublimioribus reguntur, et cum Deo societatem quandam constituunt, in qua semper personam suam tuentur. Quomodo autem Deus id conciliet cum revolutionibus universi, humana ratio definiri nequit. Nempe animae semper manent substantiae, mentes vero semper personae: illae se semper accommodant divino mechanismo, hae semper divino moralismo, ut verbo, a te eleganter adhibito, utar. Optarem jam viros praeclaros in mechanismo naturae explicando paulatim progredi longius et dare operam non quidem, ut, more Cartesianorum, omnia statim per saltum ad prima principia, magnitudinem, figuram et motum reducant, quod fieri a nobis nequit, sed ut per gradus revocent composita ad simplicia et principiis propiora. Sic iridem bene explicamus, si quaedam circa lucem et colores inexplicata adsumamus: ita supposita gravitate et vi elastica, plurima olim explicui, etsi circa horum duorum caussas litigari adhuc queat. Sic laudo chemicos, reducentes plurima ad principia secundaria, modo illis certas adsignent notiones, nec ut fieri passim video, verbis vagis et speciosis nimium ludant. Certe observo et miror pene, quot auctores tot diversas vocabulis notiones tribui. Unde optarem aliquando oriri, qui uteretur solis verbis ex communi usu petitis, aut certe ante definitis. Quod nisi fiat, video actiologiis inanibus tempus perdi, quod in observationibus et consequentiis inde ducendis rectius collocaretur. Te inter paucos video praeclare in id eniti, ut intellecta dicas. Aliquando itaque a te expecto quaedam rationalis medicinae elementa non nimis insistentia intellectualibus ab usu artis remotis, ut fit apud medicos Cartesianos, nec nimis imaginationis ludibriis adfixa, ut fieri solet apud chemi-

cos, sed quae caussas intelligibiles adferunt rerum sensibilium, ubi licet, aut ubi non licet, consequentias saltem utiles effectuum ducant ex iis, quae sensu certa sunt, etsi nondum ad causas reducta. Quod si sic pergis, profecto efficies, ut Fridericiana nobis det Academia, quod frustra ab aliis eruditus expectat orbis. Id mihi non tantum, sed et Germaniae erit gratissimum. Vale. Dabam Hannoverae d. 27. Sept. 1699.

Deditissimus
Godef. Guil. Leibnitius.

LII.

HISTORIA ET COMMENDATIO LINGUAE CHARACTERICAE UNIVERSALIS

QUAE SIMUL SIT ARS INVENIENDI ET JUDICANDI.

(**Oevres Philosophiques etc. Ed. Raspe p. 533.**)

Vetus verbum est, Deum omnia pondere, mensura, numero fecisse. Sunt autem quae ponderari non possunt, scilicet quae vim et potentiam nullam habent; sunt etiam quae carent partibus ac proinde mensuram non recipiunt. Sed nihil est quod numerum non patiatur. Itaque numerus quasi figura quaedam Metaphyica est, et Arithmetica est quaedam Statica universi, qua rerum potentiae explorantur.

Jam inde a Pythagora persuasi fuerunt homines, maxima in numeris mysteria latere. Et Pythagoram credibile est, ut alia multa, ita hanc quoque opinionem ex Oriente attulisse in Graeciam. Sed cum vera arcani clavis ignoraretur, lapsi sunt curiosiores in futilia et superstitiosa, unde nata est Cabbala quaedam vulgaris, a vera longe remota, et ineptiae multiplices cujusdam falsi nominis Magiae, quibus pleni sunt libri. Interea insita mansit hominibus facilitas credendi mirifica inveniri posse numeris, characteribus et lingua quadam nova, quam aliqui Adamicam, Jacobus Bohemus die Natur-Sprache vocat.

Sed nescio an quisquam mortalium veram rationem hactenus perspexerit, qua cuique rei numerus suus characteristicus assignari possit. Nam eruditissimi homines, cum aliquid hujusmodi obiter apud ipsos attigissem, fassi sunt se non intelligere quid dicerem. Et quamquam dudum egregii quidam viri excogitaverint linguam quandam seu Characteristicam universalem, qua notiones atque res omnes pulchre ordinantur et cujus auxilio diversae nationes animi sensa communicare et quae scripsit alter in sua quisque lingua legere queat, nemo tamen aggressus est linguam sive Characteristicen, in qua simul ars inveniendi et iudicandi contineretur: id est cuius notae et characteres praestarent idem quod notae arithmeticae in numeris et algebraicae in magnitudinibus abstracte sumtis; et tamen videtur Deus, cum has duas scientias generi humano largitus est, admonere nos voluisse, latere in nostro intellectu arcanum longe maius, cuius hae tantum umbrae essent.

Factum est autem nescio quo fato, ut ego adhuc puer in has cogitationes inciderem, quae, ut solent primae inclinationes, postea semper altissime infixae menti haesere. Duo mihi profuere mirifice (quae tamen alioqui ambigua et pluribus noxia esse solent) primum, quod fere essem αὐτοδίδακτος, alterum quod quaererem nova in unaquaque scientia, ut primum eam attingebam, cum saepe ne vulgaria quidem satis percepissem. Sed ita duo lucratus sum; primum ne animum inanibus et dediscendis implerem, quae autoritate potius docentium quam argumentis recepta sunt; alterum ut ne ante quiescerem quam ubi cuiusque doctrinae fibras ac radices essem rimatus et ad principia ipsa pervenissem unde mihi proprio Marte omnia, quae tractabam, invenire liceret.

Cum ergo a lectione historiarum, qua ab infantia mire fueram delectatus, et a styli cura, quam ego in Prosa ligataque ea felicitate exercueram ut vererentur praeceptores ne ad has delicias obhaerescerem, traductus essem ad Logicam et Philosophiam, tum ego ut primum aliquid in his rebus intelligere coepi, Di boni, quam multas statim chimaeras in meo cerebro enatas chartis illevi, quas subinde proponebam praeceptoribus mirantibus. Inter alia dubitationem aliquando movebam de praedicamentis. Dicebam enim quemadmodum haberentur praedicamenta seu classes notionum simplicium, ita debere haberi novum praedicamentorum genus, in quo et propositiones ipsae seu Termini complexi ordine naturali dispositae haberentur; scilicet demonstrationes tunc nec per somnium cognoveram et nesciebam hoc ipsum, quod ego desiderabam, facere Geometras, qui propositiones eo ordine collocant, quo una ex alia demonstratur. Itaque vana quidem erat mea dubitatio, sed cum ei non satisfacerent praeceptores, ego novitate cogitationes prosecutus, moliebar condere hujusmodi praedicamenta Terminorum complexorum seu propositionum. Cui studio cum intentius incumberem, incidi necessario in hanc contemplationem admirandam, quod scilicet excogitari posset quoddam Alphabetum cogitationum humanarum, et quod literarum hujus Alphabeti combinatione et vocabulorem ex ipsis factorum Analysi omnia et inveniri et dijudicari possent. Hoc ego deprehenso mirifice exsultavi, puerili quidem gaudio, nam tunc rei magnitudinem non satis capiebam. Sed postea, quanto majorem in rerum cognitione progressum feci, magis confirmatus sum in consilio rem tantam prosequendi. Forte adultior et iam viginti annos natus moliebar exercitium academicum. Itaque scripsi Dissertationem de arte combinatoria, quae libelli forma publicata est anno 1666, in qua mirabile hoc inventum publice proposui. Est quidem ea Dissertatio qualis scribi potuit a juvene, nunc primum e schola prodeunte et nullis adhuc scientiis realibus imbuto (neque enim illis in locis mathematica excolebantur et si Parisiis exegissem pueritiam, quemadmodum Pascalius, forte maturius ipsas scientias auxissem) duas tamen ob caussas eam Dissertationem scripsisse non poenitet; primum quod mirifice placuit multis ingeniosissimis viris, deinde quod jam tunc indicium aliquod orbi fecerim inventi mei, ne nunc primum talia videar comminisci.

Cur nemo mortalium, quousque pertingit memoria hominum monumentis conservata, ad rem tantam accesserit, equidem saepe sum miratus; ordine enim ratiocinantibus hujusmodi meditationes inter primas occurrere debebant, quemadmodum mihi contigit, qui in Logica occupatus adhuc puer nondum moralia aut mathematica aut physica attigeram, huc tamen deveni ob hanc solam rationem, quod semper principia prima quaererem. Veram

autem aberrationis a janua causam arbitror, quod principia sunt plerumque arida et parum grata hominibus, adeoque leviter gustata dimittuntur. Tres tamen viros maxime miror ad tantam rem non accessisse, Aristotelem, Joachimum Jungium et Renatum Cartesium. Aristoteles enim, cum Organon et Metaphysica scriberet, notionum intima magno ingenio rimatus est. Joachimus Jungius Lubecensis vir est paucis notus etiam in ipsa Germania; sed tanto fuit judicio et capacitate animi tam late patente ut nesciam an a quoquam mortalium, ipso etiam Cartesio non excepto, potuerit rectius expectari restauratio magna scientiarum, si vir ille aut cognitus aut adjutus fuisset. Erat autem jam senex cum inciperet florere Cartesius, ut dolendum admodum sit nullam ipsis inter se notitiam intercessisse. Quod ad Cartesium attinet, equidem hujus loci non est laudare virum ingenii magnitudine laudes prope supergressum. Certe viam institit per Ideas veram et rectam et huc ducentem; sed cum ad plausum sua nimium direxisset, videtur abrupisse filum inquisitionis et contentus meditationes metaphysicas et specimina geometrica dedisse, quibus hominum oculos in se converteret. De reliquo naturam corporum, Medicinae caussa, excolere constituit: recte profecto, si antea pensum Ideas animi ordinandi absolvisset, inde enim lux oritura erat ipsis experimentis, major quam credi possit. Cur ergo huc animum non applicuerit, caussa nulla alia esse potest, quam quod rei rationem et vim non satis fuisset animo assecutus; nam si vidisset modum constituendi Philosophiam rationalem, aeque clare et irrefragabiliter ac arithmeticam, an credibile est alia potius quam hac via ad sectam constituendam, quod tantopere ambiebat, usurum fuisse. Nam secta quidem, hoc philosophandi genere usura, per ipsam rerum naturam, statim ubi nascetur, imperium in rationem exercebit, geometrico ritu, et non ante aut peribit aut labefactabitur quam cum in genere humano, ingruente barbarie quadam nova, scientiae interibunt.

Me vero nulla alia caussa in his meditationibus detinuit, etsi tot aliis modis distractum, quam quod magnitudinem ejus totam vidi et quod assequendi rationem mire facilem detexi. Hoc enim est illud, quod intentissimis meditationibus tandem inveni. Itaque nunc nihil aliud opus est, quam ut Characteristica, quam molior, quantum ad Grammaticam linguae tam mirabilis Dictionariumque plerisque frequentioribus suffecturum satis est, constituatur, vel quod idem est, ut Numeri Idearum omnium characteristici habeantur. Nihil, inquam, aliud opus est, quam ut condatur cursus philosophicus et ma-

thematicus, quem vocant, nova quadam methodo, quam praescribere possum et quae nihil in se continet aut difficilius quam alii cursus aut ab usu et captu remotius, aut a consuetudine scribendi alienius. Nec multo plus laboris exigeret, quam in nonnullos cursus aut nonnullas Encyclopedias ut loquuntur iam impensum videmus. Aliquot selectos homines rem intra quinquennium absolvere posse puto; intra biennium autem doctrinas, magis in vita frequentatas, id est Moralem et Metaphysicam, irrefragabili calculo exhibebunt.

Numeris autem characteristicis plerarumque notionum semel constitutis habebit genus humanum organi genus novum, plus multo mentis potentiam auctnrum, quam vitra optica oculos juverunt, tantoque superius Microscopiis aut Telescopiis, quanto praestantior est ratio visu. Nec unquam acus magnetica plus commodi navigantibus attulit, quam haec cynosura experimentorum mare tranantibus feret. Quae alia inde consequentur in fatorum arbitrio est; nisi magna autem et bona esse non possunt. Nam aliis omnibus dotibus homines deteriores reddi possunt, sola recta ratio nisi salutaris esse non potest. Rectam autem tum demum fore quis dubitet, cum aeque clara certaque ubique erit atque in Arithmetica hactenus fuit. Itaque importuna illa objectio cessabit, qua nunc alter alterum exagitare solet et quae plurimos a ratiocinandi voluntate avertit, nimirum cum quis argumentatur, alter non tam examinat argumentum quam illud generale reponit: unde Tu nosti tuam rationem mea rectiorem? quod habes criterion veritatis? Et si prior ad argumenta sua provocet, tunc alterius patientia deficit examinandi. Plerumque enim multa admodum excutienda sunt et aliquot septimanarum futurus esset labor receptas hactenus ratiocinandi leges secuturo. Itaque post multam agitationem plerumque effectus potius quam rationes vincunt, et controversias abrupto potius nodo Gordio quam soluto terminamus. Hoc inprimis fit in deliberationibus ad vitam pertinentibus, ubi aliquid statuendum est; sed commoda atque incommoda (quae saepe utrinque multa sunt) velut in bilance examinare paucis datum est. Itaque prout hic unam, ille aliam circumstantiam eloquentius et efficacius sibi aliisque repraesentare, ornare et pingere novit, movetur, aut animos hominum secum rapit, praesertim si affectibus eorum astute utatur. Qui vero in aliqua deliberatione totam utrinque tabulam accepti et expensi subducere, id est commoda et incommoda non tantum numerare sed et recte ponderare possit, vix quisquam est. Itaque duo, qui disputant, fere mihi duobus mercatoribus similes videntur, qui sibi mutuo ex multis capitibus debitores essent, sed nollent unquam ad generale eiusdem bilancis examen venire, interea varie merita quisque sua erga alterum et quorundam singularium nominum veritaten ac magnitudinem exaggerarent. Hi certe sic quidem nunquam litem terminabunt. Idque hactenus in plerisque controversiis, ubi res liquida (id est ad numeros revocata) non est, fieri mirari non debemus. Nunc vero chatacteristica nostra cuncta ad numeros revocabit et ut ponderari etiam rationes queant velut quoddam Staticae genus dabit. Nam etiam probabilitates calculo ut demonstrationi subjiciuntur, cum aestimari semper possit, quodnam ex datis circumstantiis probabilius sit futurum. Denique qui certo persuasus est de religionis veritate et quod hinc sequitur tanta alios caritate complectitur, ut optet generis humani conversionem, is certe, ubi haec intelliget, fatebitur ad propagandam fidem praeter miracula et sanctitatem hominis cujusdam Apostolici, aut victorias magni Monarchae, nihil efficacius hoc invento esse; nam ubi semel a Missionariis haec lingua introduci poterit, religio vera, quae maxime rationi consentanea est, stabilita erit et non magis in posterum metuenda erit Apostasia, quam ne homines Arithmeticam aut Geometriam, quam semel didicere, mox damnent. Itaque repeto, quod saepe dixi, hominem, qui neque Propheta sit neque princeps, majus aliquid generis humani bono nec divinae gloriae accommodatius suscipere nunquam posse. Sed ultra verba eundum est. Cum vero ob admirabilem rerum connexionem paucarum rerum, ab aliis diversarum, numeros characteristicos dare difficillimum sit, ideo elegans ni fallor artificium excogitavi, quo ostendi possit, quod ratiocinationes per numeros comprobare liceat. Fingo itaque numeros characteristicos illos, tautopere mirabiles, iam dari, observataque illorum generali proprietate quadam, talibus numeris, qualescunque interim assumo, usque adhibitis statim mirabili ratione omnes regulas Logicas per numeros demonstro et ostendo, quomodo cognosci possit an argumentationes quaedam sint in forma bonae. An vero argumenta vi materiae bona sint aut concludant, tum demum sine ullo labore animi aut errandi periculo judicari poterit, cum ipsi veri numeri characterici rerum habebuntur.

LIII.

PRÉCEPTES

POUR AVANCER LES SCIENCES.

(Ex autographis Leibnitii quae in scrinis Bibliothecae Regiae Hanoveranae asservantur.)

Quand je considère combien nous avons de belles decouvertes, combien de méditations solides et importantes, et combien se trouvent d'esprits excellens qui ne manquent pas d'ardeur pour la recherche de la vérité, je crois que nous sommes en état d'aller plus loin et que les affaires du genre humain quant aux sciences pourroient en peu de temps merveilleusement changer de face. Mais quand je vois de l'autre côté le peu de concert des desseins, les routes opposées qu'on tient, l'animosité que les uns font paroître contre les autres, et qu'on songe plutôt à détruire qu'à bâtir, à arrêter son compagnon qu'à avancer de compagnie, enfin quand je considère que la practique ne profite pas des lumières de la théorie qu'on ne travaille point à diminuer le nombre des disputes mais à les augmenter, qu'on se contente des discours spécieux au lieu d'une méthode sérieuse et décisive, j'apprehende que nous ne soyons pour demeurer long tems dans la confusion et dans l'indigence où nous sommes par notre faute. Je crains même, qu'après avoir inutilement épuisé la curiosité sans tirer de nos recherches aucun profit considérable pour notre félicité, on ne se dégoute des sciences et que par un désespoir fatal les hommes ne retombent dans la barbarie. A quoi cette horrible masse de livres, qui va toujours augmentant pourroit contribuer beaucoup. Car enfin le désordre se rendra presque insurmontable, la multitude des auteurs qui deviendra infinie en peu de tems, les exposera tous ensemble au danger d'un oubli général, l'espérance de la gloire, qui anime bien des gens dans le travail des études, cessera tout d'un coup, il sera peut être aussi honteux d'être auteur, qu'il étoit honorable autre fois. Or tout au plus on s'amusera à de livrets horaires, qui auront peut- être quelques années de cours et serviront à divertir pendant quelques momens un lecteur qui se veut desennuyer, mais qu'on aura fait sans aucun dessein d'avancer nos connoissances ou de meriter le goût de la postérité. On me dira, qu'il y a tant de gens qui écrivent, qu'il n'est pas possible que tous leurs ouvrages puissent être conservés. Je l'avoue et je ne desapprouve pas entièrement ces petits livres à la mode, qui sont comme les fleurs d'un printems, ou comme les fruits d'un automne, qui ont de la peine à passer l'année. S'ils sont bien faits ils font l'effet d'une conversation utile, ils ne plaisent pas seulement et empêchent les oisifs de mal faire, mais encore ils servent à former l'esprit et le language; souvent leur but est de persuader quelque chose de bon aux hommes de ce tems, qui est aussi le fin, que je me propose en publiant ce petit ouvrage. Cependent il me semble qu'il vaut mieux pour le public de bâtir une maison, de défricher un champ et au moins planter quelque arbre fruitier ou d'usage, que de cueillir quelques fleurs ou quelques fruits. Ces divertissemens sont louables bien loin d'être defendus, mais il ne faut pas négliger ce qui est plus important. On est résponsable de son talent à Dieu et à la république, il y a tant d'habiles gens, dont on pourroit attendre beaucoup, s'ils vouloient joindre le sérieux à l'agréable. Il ne s'agit pas toujours de faire de grands ouvrages, si chacun ne donnoit qu'une grande découverte nous y gagnerions beaucoup en peu de tems. Une seule remarque ou démonstration de conséquence suffit pour s'immortaliser et pour se faire un mérite auprès de la posterité; il y a des Géomètres anciens, dont nous n'avons point d'ouvrages, comme Nicomède et Dinostrate, dont la réputation s'est conservée par quelques propositions qu'on rapporte d'eux. On en peut dire de quelques belles machines, comme de celle de Ctesibius et bien plus encore d'une démon-

stration solide de méthaphysique et de morale; même les découvertes qu'on fait dans l'histoire ne sont pas à négliger. Et pour ce qui est de l'expérience, si chaque Médecin practicien nous laissait quelques aphorismes nouveaux bien solides, tirés de ses observations comme les fruits de sa practique, si les chymistes et botanistes, les droguistes et bien d'autres qui manient les corps naturels, en faisoient autant, soit d'eux mêmes, soit par le soin de ceux qui sauroient les interroger, que de conquêtes ne ferions nous pas sur la nature! On voit par là, que si les hommes n'avancent pas considerablement, c'est le plus souvent faute de volonté et de bonne intelligence entre eux.

Or, quoique je craigne un retour de barbarie par bien des raisons je ne laisse pas d'espérer le contraire pour d'autres raisons très fortes, car à moins d'une inondation prompte et générale de toute l'Europe par des barbares, dont, grâce à Dieu, on ne voit pas grande apparence, la facilité admirable qu'il y a dans l'imprimerie de multiplier les livres servira à conserver la plupart des connaissances qui s'y trouvent, et pour faire négliger les études il faudroit, que toutes les charges et toute l'autorité devint un jour entre les mains des militaires, mais des militaires bien différens de ceux de notre tems, qui fussent barbares, ennemis de toute science, semblables à l'empereur Decius, qui haïssoit les études, et à cet Empéreur de la Chine, qui avoit pris à tâche de détruire les gens de lettres comme de perturbateurs du repos public. Mais ce changement n'est guères vraisemblable, et il faudroit même que notre réligion s'éclipsât dans l'Europe pour qu'il puisse arriver. Ou bien il faudroit quelque chose de semblable à ce tremblement et cette inondation, qui abima tout d'un coup la grande isle Atlantide dont Platon parle sur la foi des Egyptiens, pour interrompre le cours des sciences parmi le genre humain. Cela étant, il y a de l'apparence, que les livres allant toujours croître, on s'ennuyera de leur confusion et qu'un jour un grand prince dégagé d'embarras et curieux, ou amateur de gloire, ou plutòt éclairé lui même (et on peut être éclairé sans avoir été aux pays de l'école), comprenant l'importance de l'affaire, fera entreprendre à meilleurs auspices ce qu'Alexandre le grand commanda à Aristote à l'égard de la connoissance de la nature, ce que les Empereurs de Constantinople, Justinien, Basile de Macedoine, Léon le Philosophe et Constantin le Porphyrogennète tâchèrent de faire faire (mais mal, autant qu'on peut juger par les ouvrages, ou par les fragmens des excerptes, qui nous restent, et non sans s'être attiré la malediction des critiques de notre tems, prononcée contre les abbreviateurs), et enfin ce qu'Almansor ou Mirandolin, grand prince des Arabes, ordonna en faire de sa nation, — c'est à dire, qu'il fera tirer la quintessence des meilleurs livres et y fera joindre les meilleures observations encore non-écrites des plus experts de chaque profession, pour faire bâtir des systèmes d'une connoissance solide et propre à avancer le bonheur de l'homme, fondés sur des expériences et démonstrations et accomodés à l'usage par des répertoires, ce qui seroit un monument des plus durables et des plus grandes de sa gloire, et une obligation incomparable que lui en auroit tout le genre humain. Peut-être encore, que ce grand prince, dont je me fais l'idée, fera proposer des prix à ceux qui feront des decouvertes, ou qui déterreront des connoissances importantes cachées dans la confusion des hommes ou des auteurs.

Mais qu'ai-je besoin de fiction? Pourquoi renvoyer à quelque postérité éloignée ce qui seroit incomparablement plus aisé de nos tems, puisque la confusion n'est pas encore montée à ce point, où elle se trouvera alors. Quel siècle y sera plus propre que le nôtre, qu'on marquera peut-ètre un jour dans l'avenir par le surnom du siècle d'inventions et de merveilles. Et la plus grande merveille qu'on y pourra remarquer c'est peut-être ce grand prince dont notre tems se glorifie, et que les suivants souhaiteront en vain. Je ne touche pas ici à ces louanges d'état et de guerre, qui ne sont pas de ce lieu, ni de cette plume; ce qu'il a fait pour les sciences suffiroit tout seul pour l'immortaliser. On n'a pas besoin de le circonstancier d'avantage. Il est trop unique et trop réconnoissable de tous côtés. Pourquoi donc tenter dans l'idée incertaine des choses futures ce qui se trouve chez nous réellement et même au delà de l'idée qu'un esprit médiocre se saurait former. Peut être que parmi tant d'habiles gens de son fleurissant royaume et surtout de sa cour, qui est une assemblée de personnes extraordinaires, il y a long tems, que quelqu'un a dressé par son ordre un plan général pour l'avancement des sciences, digne des sciences et du Roi, et bien au delà du projet, que je sauroit faire. Mais quand je serois assez heureux pour en écrire le premier, je suis bien assuré, que je ne saurois prévenir ni atteindre les vues générales de ce Monarque qui sont admirables partout, et s'étendent sans doute

jusqu'aux sciences. Tout ce que nous devons souhaiter, c'est que rien de fâcheux en détourne l'execution, que le ciel continue de le favoriser et que, sans être embarassé de déhors, il puisse faire jouir l'Europe de cette paix heureuse par laquelle il a couronné ses exploits merveilleux. Dans ce repos plein de gloire sa magnificence genereuse portera les sciences aussi loin qu'il est possible de faire par les forces des hommes de ce tems. Les sciences dis-je, qui sont le principal ornement de la paix, le plus grand instrument de la guerre et le meilleur trésor du genre humain.

Mais mettant à part ce qui se rapporte à la conjonction de nos forces qui dépend d'une autorité superieure, disons quelque chose de ce qui dépend d'un chacun et de ce qu'on doit faire quand on a dessein d'avancer les connoissances et de cultiver son esprit pour le rendre propre à juger solidement les sentimens des autres et à trouver promtement la vérité de soi-même autant qu'on a besoin pour son bonheur et pour l'usage de la vie. La première chose que je recommanderois à une personne qui auroit ces intentions, ce seroit le fameux précepte d'Epicharme: „nervos atque artus esse sapientiae non temere credere,“ de ne pas croire témérairement ce que le vulgaire des hommes ou des auteurs avance, mais de se demander toujours à soi même des preuves de ce qu'on soutient. Cela se doit faire sans aucune affectation de singularité ou de nouveauté, que je tiens dangereuse non seulement en practique mais encore en théorie, comme je dirai plus bas, car j'ai trouvé après de longues recherches qu'ordinairement les opinions les plus anciennes et les plus reçues sont les meilleures pourvu qu'on les interprète équitablement. Il ne faut donc s'étudier à douter mais il faut faire des recherches dans l'esprit de s'instruire et de se confirmer immuablement dans les bons sentimens; car, quand notre jugement n'est fondé que sur des apparences legères, il est toujours flottant et souvent renversé par les premières difficultés qui se présentent, ou bien si nous nous opiniâtrons d'y demeurer nous nous exposons à faire des grandes fautes. Cependant je ne trouve pas qu'il faille récommander aux gens, de douter de tout, car, quoique cette expression reçoive une interprétation favorable, il me semble que les hommes la prennent autrement, et qu'elle est sujette à de mauvais usages, comme l'expérience n'a que trop fait voir. Aussi ce précepte a allarmé bien des personnes, parmi lesquelles il y en avoit quelques unes, dont le zèle ne manquoit pas de prudence. De plus il n'est point nécessaire, ni même utile, car parce qu'il ne s'agit que de recommander aux gens de tâcher de se fonder toujours en raisons, le doute n'y fait rien, car on cherche tous les jours des preuves des sentimens, dont on ne doute nullement. Ce qui ne se voit pas seulement en matière de foi, lors quo'n songe à ce que les Théologiens appellent motiva credibilitatis, mais encore dans les matières ordinaires, comme lorsque nous cherchons en notre esprit les preuves propres à persuader aux autres ce que nous croyons nous-mêmes sans les avoir présentes. Je me tiens fort assuré, que le Berose d'Annius et les Antiquités Etrusques d'Inghiramus sont des pièces supposées, mais pour concevoir distinctement les preuves qui se présentent en foule à mon esprit, il me foudroit du tems et de la méditation. On voit même que Proclus et autres Géomètres tâchent de donner des démonstrations de quelques axiomes, dont personne ne douta, et qu'Euclide a cru pouvoir supposer comme par exemple que deux droites ne sauroient avoir un segment commun. C'étoit aussi l'opinion de feu Mr. Roberval, qu'il falloit démontrer les axiomes mêmes autant qu'on peut; ce qu'il vouloit faire effectivement, à ce que j'ai ouï dire, dans les Elémens de Géométrie qu'il avoit projettés. Et chez moi ce soin de démontrer les axiomes est un des plus importants points de l'art d'inventer, dont je dirai les raisons une autre fois, me contentant maintenant d'en faire mention, à fin qu'on ne s'imagine point que ce travail seroit inutile et ridicule, et par ce que c'est en effet un corollaire du grand précepte que je viens de dire. Et c'est un des mes étonnemens de voir que ce philosophe célèbre de notre tems, qui a tant récommandé l'art de douter, a si peu mis en usage ce qu'il contient de bon, dans les occasions où il auroit été le plus utile, se contentant d'alléguer l'évidence prétendue des idées, à quoi Euclide et les autres Géométres ont fort sagement fait de ne se pas arrêter; aussi est ce le moyen de couvrir toutes sortes des visions et des préjugés. Cependant j'accorde qu'on peut et qu'on doit souvent se contenter de quelques suppositions au moins en attendant qu'on en puisse faire aussi des théorèmes un jour, par ce qu'on s'arrêteroit trop quelques fois. Car il faut toujours tâcher d'avancer nos connoissances et quand même ce ne seroit qu'en établissant beaucoup de choses sur quelque peu de suppositions, cela ne laisseroit pas d'être fort utile. Car au moins nous saurions, qu'il ne nous

reste à prouver que ce peu de suppositions pour parvenir à une pleine démonstration et en attendant nous en aurions au moins d'hypothétiques et nous sortirons de la confusion des disputes. C'est la méthode des Géomètres; par exemple Archimède suppose, que la droite est la plus courte des lignes et que de deux lignes d'un même plan dont chacune est partout cave d'un même côté, l'incluse est moindre, que l'includente, et là dessus il achève rigoureusement ses démonstrations. Mais il est fort important, de faire expressement toutes les suppositions dont on a besoin sans se donner la liberté de les prendre tacitement pour accordées sous prétexte, que la chose est évidente d'elle même par l'inspection de la figure ou par la contemplation de l'idée. A quoi je trouve qu'Euclide tout exact qu'il est a manqué quelquefois, et quoique Clavius y ait souvent supplée par sa diligence, il y a des endroits, où il n'y a pas pris garde, dont un des plus remarquables et des moins remarqués se rencontre d'abord dans la démonstration de la première proposition du premier livre ou il suppose tacitement, que les deux cercles qui servent à la construction d'un triangle équilatère, se doivent rencontrer quelque part, quoique on sache que quelques cercles ne se sauroient jamais rencontrer. Mais on ne se trompe pas aisément en Géométrie par ces sortes de suppositions tacites. Les Géomètres ont trop de moyens de découvrir les moindres erreurs si par mégarde il leur en échappoient. C'est dans la philosophie, qu'il faudroit employer principalement cette rigueur exacte du raisonnement par ce que les autres moyens de s'assurer y manquent le plus souvent. Et cependant c'est là où on se donne le plus de liberté en raisonnement. On ne se souvient guères de cette belle admonition de S. Augustin: »nolite putare vos »veritatem in philosophia cognovisse, nisi ita didi»ceris saltem, ut nostis, unum duo tria quatuor »collecta in summa facere decem.« Il est vrai que plusieurs habiles hommes de notre tems ont tâché de raisonner géométriquement hors de la géométrie, mais on en voit guères qui y ait assez reussi pour nous donner moyen de nous reposer sur lui et de le citer comme on cite Euclide. Pour s'en éclaircir on n'a qu'a examiner les prétendues démonstrations de Mr. Descartes dans une des réponses aux objections contre ces méditations et celles de Spinosa dans l'essay sur les principes de Descartes et dans l'ouvrage posthume de Deo, qui est si plein de manquemens, que je m'étonne. On a vu un Euclide methaphysique de Thomas Albius, et Abdias Treu, habile Mathématicien d'Altorf a réduit la physique d'Aristote en forme de démonstration autant que cet auteur en était susceptible, et le P. Fabry a prétendu d'habiller toute la philosophie à la géométrie. Mais souvent, quand on y regarde de près, on ne trouve ressemblance que dans l'habillement, et on est bien loin de cette certitude, qu'on demande, soit à cause des équivocations, ou à cause des mouvaises conséquences, contraires à la logique, ou enfin à cause de ces méchantes suppositions expresses ou tacites qu'on s'accorde sans en faire de demandes en forme. Cependant cela même fait voir qu'il ne seroit pas si difficile d'écrire géométriquement, qu'on s'imagine, car il est aisé d'éviter les fautes contre la forme logique et les équivocations cessent par le moyen des définitions nominales intelligibles, et comme il est difficile de tout démontrer, on peut supposer ce qui paraît le plus clair, pourvû que les suppositions ne soyent pas en trop grand nombre ni aussi difficiles que les conclusions. Il faut encore savoir, qu'on ne manque pas de démonstrations dans la morale et dans les matières qui paroissent les plus incertaines et mêmes entièrement fortuites. Ce qu'on peut juger par la démonstration de Alea de Messieurs Pascal, Huygens et autres et par celles de Monsieur le pensionnaire de Wit touchant les rentes à vie. On en peut faire et on en a vu en matière de commerce, de monnoyes et sur quantité d'autres sujets, qui gardent l'exactitude mathématique. On peut même avancer hardiment un parodoxe plaisant, mais véritable, qu'il n'y a point d'auteurs dont la manière d'écrire ressemble d'avantage au style des Géometres que celui des anciens Jurisconsultes Romains, dont les fragmens se trouvent dans les Pandectes. Après qu'on leur a accordé certaines suppositions qui sont fondés sur quelque coûtume ou bien sur quelque règle établie parmi eux, il sont admirables en conséquence et en applications et ils raisonnent avec une netteté si simple et avec une subtilité si exacte, qu'ils font honte aux philosophes dans les matières même les plus philosophiques, qu'ils sont souvent obligés de traiter. Qu'on ne s'excuse donc plus en philosophie sous prétexte de l'impossibilité de garder cette exactitude qui se demande. Lors même qu'il ne s'agit que de probabilités on peut toujours déterminer ce qui est le plus vrai-semblable ex datis. Il est vrai que cette partie de la logique utile ne se trouve encore nulle part, mais elle servit d'un merveilleux usage dans la

practique, lorsqu'il s'agit des présumtions, des indices et des conjectures pour connoître les dégrés de la probabilité, quand il y a quantité de raisons apparentes de part et d'autre dans quelque deliberation d'importance. Ainsi lorsqu'on n'a pas assez de conditions données pour démontrer la certitude, la matière n'étant que probabable on peut toujours donner au moins des démonstrations touchant la probabilité même. Je ne parle pas ici de cette probabilité des Casuistes, qui est fondée sur le nombre et sur la réputation des docteurs, mais de celle qui se tire de la nature des choses à proportion de ce qu'on en connoît, et qu'on peut appeller la vraisemblance. Elle se donne au rabais des suppositions, mais pour en juger il faut que les suppositions mêmes reçoivent quelque éstimation et se réduisent à une homogéneité de comparaison. Ce qui seroit trop long d'expliquer ici.

Au reste, Monsieur, je fais imprimer in folio une collection des écrivains servant à l'histoire de Brunswick, tirés des manuscrits, ou rétablis par les manuscrits; j'y joins quelques pièces qui ont déjà été imprimées parce qu'elles sont entre les mains de peu de gens, et qu'elles servent à mon but. Il y aura entr'autres Ditmarus Evêque de Mersebourg, où j'ai suppléé quelques feuilles qui y manquaient par le moyen d'un exemplaire que les RR. PP. Papebrock et Jannin m'ont communiqué. J'ai conferé aussi Domnison, Auteur de la vie de la célèbre Comtesse Mathilde, et son contemporain, avec le manuscrit du Vatican qui est de ce tems-là, et je l'ai rendu intelligible; ce qu'il n'est point dans l'édition de Gretserus. Il y aura la vie de Theodoric Evêque de Metz, contemporain d'Othon le Grand, qui n'a point encore été publiée, quoiqu'on le traite de Saint; je l'y mets parce que cet Evêque étoit Saxon de la race de Witikind. On y trouvera la vie de St. Conrad Evêque de Constance, de la race des Guelphes, qui n'a point paru jusqu'ici, et les anciennes Chroniques de Halberstadt, de Hildesheim, de Minde, et autres qui n'ont jamais vû le jour. Ce recueil ne cédera guéres à d'autres de cette nature, et cet exemple pourra encourager d'autres familles, et pays. Remarquez que tout ce qu'il contiendra de pièces, sont plus anciennes que la Réformation, et par conséquent elles peuvent passer pour des écrits du moyen âge, et ainsi exemptes des partialités que le changement de Religion a causées. Je suis etc.

LXI.

OBSERVATIO AD RECENSIONEM LIBRI
DE FIDEI ET RATIONIS CONSENSU
A DOMINO JAQUELOTO EDITI, MENSE OCTOBRI 1704 FACTAM.

1 7 0 5.

(Acta Erudit. Lips. Dec. 1705. p. 553. — Leibn. Opp. Ed. Dutens Tom. II. P. 1. p. 256.)

Cum haec Recensio Clarissimi Jaqueloti sententiam de Leibnitiana Harmoniae praestabilitae Hypothesi attigerit, quae nuspiam adhuc in his Actis est explicata, operae pretium visum est, ad meliorem ejus intellectum, missam nobis ipsorum Dni. Jaqueloti verborum ex Libro recensito excerptorum Latinam versionem adjungere, ut appareat, quis sonsensus aut dissensus. »Quia (inquit pag. 381. 382.) difficile est comprehendere, quomodo voluntas motum corpori imperet, Celeberrimus Leibnitius Corpus considerat tanquam machinam tensam et dispositam ad efficiendos omnes motus quos producit, et Animam tanquam substantiam omnes continentem ideas sese successive evolventes, modo motibus omnibus corporis conformi et correspondente. Itaque cum brachium movere volo, evenit, ut brachium moveatur virtute machinae dispositae atque tendentis ad brachium in hoc instanti movendum. Hoc modo Anima et Corpus se fere habebunt ut duo horologia pendula, quae motus suos pariter iisdemque momentis exercent. Qui causas occasionales defendunt, volunt ob unionem animae et corporis, Deum ad certorum motuum praesentiam in anima formare certas ideas, et ad praesentiam certorum actuum voluntatis, Deum producere certos motus in corpore. Quod Dn. Leibnitius non probat, quia ista hypothesis perpetua supponit miracula. Systema receptum medium inter has duas sententias tenet, quae magnas difficultates pati videntur. Videri possit prima specie, in priore systemate libertatem non nisi quandam illusionem esse, cum anima et corpus per causam efficacem et antecedentem ad omnes suas cogitationes et actiones disponantur, tantumque revera evolvatur, quod erat tectum et involutum. Systema causarum occasionalium majoribus adhuc difficultatibus laborat. Nam in eo Deus agit omnia, creaturae non nisi umbrae sunt vanae, et entia actionis expertia. Quid ergo virtutibus et vitiis fiet? An credi oportet, Deum ad aspectum Batsebae in anima Davidis ideam concupiscentiae excitasse, et in animas Pharisaeorum impressisse ideas blasphemiae contra Spiritum, cum daemones viderent ex corporibus daemoniacorum ejectos? Quocunque effugio, aut quacunque subtilitate utamur, res huc semper redit. Exponit deinde Clarissimus Autor rationes, cur systema receptum, quo anima in corpus et corpus in animam influxum exercet, ipsi magis placet. Sed tandem pergit p. 387. sqq.«

Si tamen systema Leibnitianum bene intelligitur, reperietur, in eo non destrui libertatem; anima enim facultatem habet decreta sua formandi, ac volendi quod placet. Et quod actiones corporis ab anima imperatas attinet, non potest officere libertati dispositio corporis ita a Deo formati, ut motus ejus praecise voluntatibus animae respondeant, quod tali exemplo intelligi potest. Ponamus, Mechanicum egregium scire, quae ego famulo meo tali die sim imperaturus, eumque posse formare automatum par exequendis omnibus motibus a me ea die imperandis: Certum est, me tunc automato illi tanquam famulo meo imperaturum ea, qua fruor, libertate, neque illam ipsius automati spontaneam ad suos motus determinationem, quicquam libertati meae praejudicaturum. Eodem se modo res habet in corpore humano, secundùm systema Leibnitianum, quod ideo appellari solet Systema Harmoniae praestabilitae. Deus formavit nostra corpora tanquam machinas quae debent respondere certis motibus nostrarum animarum. Tale automatum non est impossibile Deo, qui novit omnes determinationes meae voluntatis, motusque machinae his determinationibus accommodavit. Hoc systema exemtum est difficultatibus, quae in aliis reperiuntur. Non intelligitur in systemate recepto, quomodo voluntas agere possit in corpus, et in systemate causarum occasionalium omnia fiunt miraculose, et Deus movet brachium meum

occasione meae voluntatis, corpus proprie loquendo nihil agit. Sed in systemate Leibnitiano agit reverâ. Quod animam attinet, concipi utique potest, Deum ipsi in creatione dedisse ideas confusas et involutas omnium objectorum universi, quae evolvantur et distinctae fiant, prout objecta mutationes producunt in eo corpore, quod animae est conjunctum, quia Deus ita creavit animam et corpus, ut perfecte respondeant. Anima deinde in sese ipsa agit secundum illas ideas et perceptiones distinctas, ut judicia sua formet, suaque placita ac destinata animo concipiat, secundum electionem quam instituit. Ipsa imperat, et corpus exequitur virtute dispositionis a Creatore ad exequendum ei datae.

Itaque concludo (inquit Vir Clarissimus sub ipsum dissertationis finem) si intelligi queat, animam agere in corpus propria virtute et quodam genere influxus, qui motum in eo producat, sequendum esse systema receptum. Simplicius enim est aliis et liquidius, (plus simple et plus dégagé.) Et in favorem ipsius adduci potest exemplum Dei cuncta creantis et conservantis sola voluntate. Sed si velimus sequi ideas, quas habemus de corpore et de spiritu, una cum propriis eorum attributis, atqui adeo nolimus corpus agere in spiritum, aut spiritum (creatum) in corpus; amplectendum erit systema Leibnitianum. Systema enim causarum occasionalium non nisi mera est illusio. Haec Clarissimus Autor, agnoscens commercium animae et corporis, secundum naturae ordinem, non alio modo, quam secundum Leibnitianam hypothesin, intelligibiliter explicari posse. Quoniam in iis, quae in corpore et anima intelligimus, nihil apparet quod influxum eorum motuum explicandum inserviat. Caeterum modus, quo Deus agit in creaturas, toto genere diversus est, consistit enim in creando: quoniam ipsa creaturarum dependentia a Deo seu conservatio, continua est creatio. Hanc autem dependentiam veram et necessariam esse, certis demonstrationibus docemur, etsi modum hunc agendi, ob infinitam ipsius agentis naturam, explicare non possimus.

XLII.
AD REVERENDISSIMUM
PATREM DES BOSSES EPISTOLAE OCTO.

1706 et 1707.

(Leibn. Opp. Ed. Dutens Tom II. P. 1. p. 265.)

EPISTOLA I.

Plurimum Reverende Pater.

Vereor, ut quem mihi defers honorem, dum de abstrusioribus quaeris, mereri satis possim. Dico tamen sententiam, quia jubes, et boni consulis.

Ens et unum converti tecum sentio; unitatemque esse principium numeri, si rationes spectes, seu prioritatem naturae, non si magnitudinem: nam habemus fractiones, unitate utique minores in infinitum.

Continuum in infinitum divisibile est. Idque in linea recta vel ex eo constat, quod pars ejus est similis toti. Itaque cum totum dividi possit, poterit et pars, et similiter quaevis pars partis. Puncta non sunt partes continui, sed extremitates, nec magis minima datur pars lineae, quam minima fractio unitatis.

Infinitum actu in natura dari non dubito, positaque plenitudine mundi, et aequabili divisibilitate materiae, sequitur ex legibus motus varii, quodvis punctum moveri motu diverso a quovis alio assignabili puncto. Sed nec aliter sibi pulchritudo rerum ordoque constaret. Neque video, cur hoc refugere

debeamus. Quae contra objiciuntur, responsionem, ni fallor, partiuntur, et falsis hypothesibus niti solent.

Non datur progressus in infinitum in rationibus universalium seu aeternarum veritatum, datur tamen in rationibus singularium. Ideo si singularia a mente creata perfecte explicari aut capi non possunt, quia infinitum involvunt. Majora pendent a minoribus, et haec ab aliis adhuc minoribus.

Scholastici aliquando fortasse potentiam intellexere, quae esset cum conatu; communiter tamen rem aliter accepisse putem; sic Risivitas in homine (vulgo Risibilitas) non significat risurum hominem, si nemo impediat; sed risurum, si occasio ridendi offeratur. Itaque cum potentiam requisitis omnibus positis necessariò agere dixere, inter requisita, credo, posuere occasionem sollicitantem.

Violentum admitto utique, neque a communi sermone recedendum puto, qui ad apparentia refertur; eo fere modo, quo Copernicani de motu Solis loquuntur cum vulgo. Simili modo loquimur de casu et fortuna.

In motu concedo utique esse aliquid ultra vim ad mutationem nitentem, nempe ipsam mutationem.

In aqua non magis substantialem unitatem esse puto, quam in grege piscium eidem piscinae innatantium.

Cum animam nihil in materia producere aio, tantùm intelligo per animam non mutari leges motuum materiales. Alioqui anima est Entelechia, seu potentia activa primitiva in substantia corporea, per quam materia, seu ejusdem substantiae potentia passiva primitiva perficitur, et horum primitivorum modificatione in ipsa substantia corporea actiones, passionesque nascuntur.

Sturmium puto fuisse amantem veritatis, sed praejudiciis occupatum mea non satis attente considerasse.

Responsionem ad Turnamini objectionem (sic satis jam veterem, sed mihi serius observatam) misi in Galliam nuper, sed nondum accepi redditam. Ita nescio, quis sit nunc status Diarii Trivultiani. Spero tamen verum non fore, quod de cessatione ejus dictum est. Interim metuo, ne forte auctoribus nocuerit, quod interdum res Thologicas liberius nec sine affectu tractant, et aliquando in alios paulo aculeatius dicunt.

Gaudeo consilium de condendo Breviario Philosophico tuis destinatis consentire. Et omnino sentio, de multis non bene decerni, nisi omnia sint in conspectu.

Vereor, ne frui colloquio tuo possim proximo Paschali festo. Nam non Brunsvigam tantum, sed et Berolinum excurrendum est mihi. Spero tamen alias affuturam fortunam voto meo. Interea vale, et omnia ex sententia gere, ut respublica literaria tuis praeclaris lucubrationibus mature fruatur, et mihi favere perge. Dabam Hanoverae 14. Febr. 1706.

Deditissimus
Godef. Guil Leibnitius.

P. S. Cum ubique Monades seu principia unitatis substantialis sint in materia, consequitur hinc quoque infinitum actu dari; nam nulla pars est aut pars partis quae non monades contineat.

EPISTOLA II.

Plurimum reverende Pater.

Hoc incommodo tempore, valetudinis causa nonnihil distuli iter. Cum dubitationes tuae res gravissimas et difficillimas attingant, aequi bonique consules, si praestent, non quae postulat rei dignitas, exigitque acumen tuum, sed quae ferunt vires meae.

Ens et unum convertuntur, sed ut datur ens per aggregationem, ita et unum, etsi haec Entitas, unitasque, sit semimentalis.

Numeri unitates, fractiones, naturam habent relationum. Et ea tenus aliqno modo Entia appellari possunt. Fractio unitatis non minus est unum Ens, quam ipsa unitas. Nec putandum est unitatem formalem esse aggregatum fractionum, cum simplex sit ejus notio, conveniens divisibilibus et indivisibilibus, et indivisibilium nulla sit fractio. Etsi materialis unitas, seu in actu exercito (sed in genero sumpta) apud Arithmeticos ex duabus medietatibus, cum subjectum earum capax est, componatur, ut sit $\frac{1}{2} + \frac{1}{2} = 1$, seu ita verbi gratia, ut valor grossi sit aggregatum valoris duorum semigrossorum. Caeterum ego de substantiis loquebar. Animalis igitur fractio, seu dimidium, animal non est unum per se ens, quia non nisi de animalis corpore intelligi potest, quod unum per se ens non est, sed aggregatum, unitatemque Arithmeticam habet, Metaphysicam non habet. Ut autem ipsa materia, si Entelechia adaequata absit, non facit unum ens, ita nec ejus pars. Nec video, quid impediat, multa actu subjici uni Entelechiae; Imo hoc ipsum necesse est. Materia (nempe secunda) aut pars materiae existit, ut grex, aut domus, seu ut ens per aggregationem.

Infinitum actu in magnitudine non aeque ostendi potest ac in multitudine.

Argumenta contra infinitum actu, supponunt, hoc admisso dari numerum infinitum, item infinita omnia esse aequalia. Sed sciendum, revera aggregatum infinitum neque esse unum totum, aut magni-

tudine praeditum, neque numero constare. Accurateque loquendo, loco numeri infiniti dicendum est plura adesse, quam numero ullo exprimi possint; aut loco lineae rectae infinitae, productam esse rectam ultra quamvis magnitudinem, quae assignari potest, ita, ut semper major recta adsit. De essentia numeri, lineae et cujuscunque totius est, esse terminatum. Hinc et si magnitudine infinitus esset mundus, unum totum non esset; nec cum quibusdam veteribus fingi posset Deus velut anima mundi, non solum quia causa mundi est, sed etiam quia mundus talis unum corpus non foret, nec pro animali haberi posset, neque adeo nisi verbalem haberet unitatem. Est igitur loquendi compendium, cum unum dicimus, ubi plura sunt quam uno toto assignabili comprehendi possunt, et magnitudinis instar efferimus, quod proprietates ejus non habet. Quemadmodum enim de numero infinito dici nequit, par sit an impar: ita nec de recta infinita, utrum data recta sit commensurabilis an secus; ut adeo impropriae tantum hae de infinito velut una magnitudine sint locutiones, in aliqua analogia fundatae, sed quae si accuratius examines, subsistere non possunt. Solum absolutum, et indivisible infinitum, veram unitatem habet, nempe Deus. Atque haec sufficere puto ad satisfaciendum omnibus argumentis contra infinitum actu, quae etiam ad infinitum potentiale suo modo adhiberi debent. Neque enim negari potest, omnium numerorum possibilium naturas revera dari, saltem in divina mente, adeoque numerorum multitudinem esse infinitam.

Ego philosophice loquendo non magis statuo magnitudines infinite parvas quam infinite magnas, seu non magis infinitesimas quam infinituplas. Utrasque enim per modum loquendi compendiosum pro mentis fictionibus habeo, ad calculum aptis, quales etiam sunt radices imaginariae in Algebra. Interim demonstravi, magnum has expressiones usum habere ad compendium cogitandi adeoque ad inventionem; et in errorem ducere non posse, cum pro infinite parvo substituere sufficiat tam parvum quam quis volet, ut error sit minor dato, unde consequitur errorem dari non posse. R. P. Gouye, qui objecit, non satis videtur mea percepisse.

Caeterum ut ab ideis Geometriae, ad realia Physicae transeam; statuo materiam actu fractam esse in partes quavis data minores, seu nullam esse partem, quae non actu in alias sit subdivisa diversos motus exercentes. Id postulat natura materiae et motûs, et tota rerum compages, per Physicas, Mathematicas et Metaphysicas rationes.

Cum dico nullam partem materiae esse, quae non monades contineat, exemplo rem illustro corporis humani, vel alterius animalis, cujus quaevis partes solidae, fluidaeque rursus in se continent alia animalia et vegetabilia. Et hoc puto iterum dici debere de parte quavis horum viventium, et sic in infinitum.

Nullam Entelechiam puto affixam esse certae parti materiae (nempe secundae) aut quod eodem redit, certis aliis Entelechiis partialibus. Nam materia instar fluminis mutatur, manente Entelechia dum machina subsistit. Machina habet Entelechiam sibi adaequatam, et haec machina alias continet machinas primariae quidem Entelechiae inadaequatas, sed propriis tamen sibi adaequatis praeditas, et a priore totali separabiles. Sane et schola formas partiales admittit. Itaque eadem materia substat pluribus formis, sed diverso modo pro ratione adaequationis. Secus est si intelligas materiam primam seu τὸ δυναμικὸν πρῶτον, παθητικὸν πρῶτον ὑποκείμενον, id est potentiam primitivam passivam seu principium resistentiae, quod non in extensione, sed extensionis exigentia consistit, entelechiamque, seu potentiam activam primitivam complet, ut perfecta substantia seu monas prodeat, in qua modificationes virtute continentur. Talem materiam, id est, passionis principium perstare suaeque Entelechiae adhaerere intelligimus; atque ita ex pluribus monadibus resultare materiam secundam, cum viribus derivatis, actionibus, passionibus; quae non sunt nisi entia per aggregationem, adeoque semimentalia, ut iris, aliaque phaenomena bene fundata. Caeterum vides hinc non putandum, Entelechiae cuivis assignandam portionem materiae infinite parvam (qualis nec datur) etsi in tales conclusiones soleamus ruere per saltum. Comparatione utar: finge circulum, et in hoc describe tres alios maximos quos potes circulos inter se aequales, et in quovis novo circulo, et inter circulos interstitio, rursus tres maximos aequales circulos, quos potes, et sic finge in infinitum esse processum; non ideo sequetur dari circulum infinite parvum, aut dari centrum quod circulum habeat proprium, cui (contra hypothesin) nullus alius inscribatur.

Quod statuis non interire animam animalque, rursus comparatione explicabo. Finge animal se habere ut guttam olei, et animam ut punctum aliquod in gutta. Si jam divellatur gutta in partes, cum quaevis pars rursus in guttam globosam abeat, punctum illud existet in aliqua guttarum novarum. Eodem modo animal permanebit in ea parte, in qua anima manet, et quae ipsi maxime convenit. Et uti natura liquidi in alio fluido affectat rotunditatem, ita natura materiae a sapientissimo autore constructae, semper affectat ordinem seu organizationem. Hinc neque animae, neque animalia destrui possunt; etsi possint diminui, atque obvolvi, ut vita eorum nobis

non appareat. Nec dubium est, ut in nascendo, ita et in denascendo, naturam certas leges servare; nihil enim divinorum operum est ordinis expers. Praeterea qui considerat sententiam de conservatione animalis, considerare etiam debet, quod doeni, infinita esse organa in animalis corpore, alia aliis involuta, et hinc machinam animalem et in genere machinam naturae non prorsus destructibilem esse.

Cum dixi omnem potentiam esse active motricem, intellexi haud dubie potentiam activam, et indicare volui, semper actionem aliquam actu sequi ex potentia conatum involvente, etsi contrariis aliarum potentiarum conatibus refractam.

Causae secundae agent, si nullum sit impedimentum positivum; imo, etsi adsit ut dixi, quamvis tunc minus agant.

Ais substantiam unam, si sola poneretur, habituram infinitas actiones simul, quia nil impediat. Respondeo etiam nunc, ubi impeditur, eam infinitas actiones simul exercere: nam ut jam dixi, nullum impedimentum actionem prorsus tollit. Nec mirum est, quod substantia quaevis infinitas exercet actiones ope partium infinitarum diversos motus exercentium; cum quaevis substantia totum quodam modo repraesentet universum, prout ad ipsum refertur; et quaevis pars materiae a quavis alia aliquid patiatur. Sed non putandum est, ideo quia infinitas exercet actiones, quamlibet actionem, et quamlibet aeque exercere, cum unaquaeque substantia determinatae sit naturae. Unam autem substantiam solam existere ex iis est, quae non conveniunt divinae sapientiae, adeoque non fient, etsi fieri possint.

Paragraphi postremi, cujus initium est: Sola anima in homine libera est, etc., non satis scopum percipio. Quod anima non volendo, id est qua spiritualis seu libera est, sed ut Entelechia corporis primitiva adeoque non nisi secundum leges Mechanicas influat in actiones corporis, jam monui literis praecedentibus. In schedis autem Gallicis de systemate harmoniae praestabilitae agentibus, animam tantum ut substantiam, non ut simul corporis Entelechiam consideravi, quia hoc ad rem, quam tunc agebam, ad explicandum nimirum consensum inter corpus et mentem, non pertinebat; neque aliud a Cartesianis desiderabatur. Praeterea ad actiones mechanica lege exercitas, non Entelechia tantum adaequata corporis organici, sed omnes etiam concurrunt Entelechiae partiales. Nam vires derivativae cum suis actionibus sunt modificationes primitivarum, quod in Latinis meis cum Sturmio collocutionibus explicatum est, alterumque alteri conjungi debet.

Intelligis, plerisque objectionibus facile satisfieri, si ad leges formae revocentur. Rem ipsam autem tum maxime patere arbitror, cum in Breviario totius doctrinae conspectus aliquis ob oculos ponitur, qui haberi potest, licet nondum omnes difficultates ad vivum resectae habeantur, cum potius illa ipsa collatione maxime tollantur. Ut taceam vulgo salvis multis difficultatibus systemata stare. Tali ergo operae manus admoliri fructuosissimum putem, et tum appariturum, quid adhuc potissimum desideratur.

Ptolomaeum nostrum sibi gratulari puto, quod honor ei sine onere obtigit, nam publice dignus habitus est qui eligeretur. Opus ejus quod mutuo dederas, pro quo multas gratias ago, prout jussum erat misi Rdo. Patri vestri Ordinis, qui hic vestra sacra obit. Quod superest, vale, et fave. Dabam Hanoverae 11. Martii 1706.

Deditissimus.

Godef. Guil. Leibnitius.

P. S. Cum tempestas in melius mutata videatur hodie Brunsvigum mox rediturus sum. 17. Martii 1706.

Literas rectius accipio si vecturae ordinariae Hanoveranae, quam si Magistro Postarum Caesareo committantur. Vectura ter minimum per septimanam commeat ultro citroque.

EPISTOLA III.

Admodum Reverende Pater,

Libros quos remiseras recte accepi. Utinam esset in quo tibi utilior esse possem! Hactenus distractissimus, nunc primum respondendi officio satisfacio, et morae veniam peto.

Credo, si superfuisset diutius Pelissonius, utile aliquid praestare potuisse, sed Meldensis Episcopus (quicum continuatum est aliquandiu commercium) quanquam superior illo scientia Theologica, tamen, si dicere fas est, inferior visus est humanitate.

Fateor demonstratione certa nobis data, non esse necesse, nostri gratia (sed tantum propter alios) ut objectionibus respondeamus: sed hoc tamen nobis semper prodesse puto, cum difficilis objectio est, neque unquam esse defugiendum a peritis: sublata enim speciosa difficultate nova lux affulget. Itaque ego, etsi passim certus sententiarum, tamen objectiones amo plausibiles, et puto semper satisfieri posse: nam si qua esset invicta, ea demonstrationem in contrarium non faceret.

2°. Nec video cur argumentum magis sit demonstratio affirmationis, quam objectio negationis. Itaque non largior Baylio, aut alteri cuiquam, posse rationem fidei argumenta insolubilia opponere, neque cum Huetio et Jacquelotio, (etsi viris insigni-

bus et mihi amicis) tantum adversariis concedere velim.

Do operam ut, quum primum licebit, Deo volente, campo historico excedam, opere effecto.

Ad binas dubitationes tuas venio. Cum Perceptio nihil aliud sit, quam multorum in uno expressio, necesse est omnes Entelechias seu Monades perceptione praeditas esse, neque ulla naturae Machina sua entelechia propria caret. Meae Enuntiationes universales esse solent, et servare analogiam.

Peccatum originale nec Entelechia, nec substantia esse potest: cum non sit aliquod Animal, vel quasi Animal, nec Anima ejus; sed imperfectio quaedam nostrae animae, cui et imperfectio in corpore nostro respondet. Quemadmodum Horologii vel alterius Machinae imperfectio orta, si placet, ex elasmate debilitato, machina utique non est.

Quoniam ita permittis, literas Antverpiam destinatas hic adjungo. Vale, et me ama. Dabam Hanoverae 11. Julii 1706.

Deditissimus

Godef. Guil. Leibnitius.

P. S. Contra quemdam Ptolemaei nostri viri summi librum novum, Censores, (qui persaepe morosi, etsi in invidiam proni sunt) nescio quid movisse intellexi: Literas mihi Hildesia semper per Luneburgicam non per Caesaream postam mitti peto.

EPISTOLA IV.

Admodum reverende pater, fautor honorande,

Literas tuas gratissimas cum Janningianis recte accepi. R. P. Janningio respondebo, ubi Lipsia responsum accepero, quorsum ejus epistolam misi. Gaudeo optimum, et de Historia meritissimum virum Danielem Papebrochium visum recuperasse, et ea aetate valere ac laborare in magno opere quod cum sociis strenue urget.

Magno Ptolemaeo vestro quod nunc scribam non habeo: Nam hoc anno amplas jam ad eum dedi literas, quas perlatas spero.

Gratias etiam ago quod mecum communicasti propositiones quasdam ex illis quas in vestris Collegiis doceri superiores nolunt. Quod si omnes obtinere licet, gratissimum hoc mihi foret.

Memini videre olim editum similium propositionumindiculum, quas P. Mutius Vitellescus, si bene memini, censura notari curaverat. Ego libenter has censuras vel vestras, vel aliorum cognosco, neque contemno: Pertinet enim ea res ad formulas caute loquendi, et offensiones non necessariae merito vitantur.

Ut paucula annotem ad eas quas communicasti mecum, dixerim ad sextam, Verum quidem esse quod modus semel inductus per se duret; sed cum substantia; Quoniam tamen non per se subsistit, semper emanabit substantia. Ad 7am. Puto ego non quidem quantitatem motus, sed tamen virium a Deo conservari, naturaliter scilicet agendo. Interim hoc non ducitur ex constantia Dei, nec ideo Deus est inconstans quod aliquid mutat, cum constans esse possit in aliqua ratione vel lege superiore, ex qua mutatio fluit in negotio inferiore.

Ad 10. Jam dudum exposui mentem meam Prop. 16. Etiam ipse refutavi publice, sed pro quantitate motus, ut dixi, quantitatem virium, eamque (naturaliter) conservari censeo.

Ad 19. Sentio motum, et Entelechiam omnem secundam ex prima fluere, adeoque creaturas esse activas. Etsi interim leges cogitationum, et leges motuum a se invicem sint independentes.

Ad 20. Idem dico quod ad 19.

Ad 21. Bruta puto perfecta esse Automata, et tamen simul habere perceptionem.

Ad 22. Cum anima sit Entelechia primitiva corporis, utique in eo consistit unio; sed consensus inter perceptiones, et motus corporeos, ex harmonia praestabilita intelligibiliter explicatur.

Ad 23. Valde improbavi in Cartesianis quod putant inter objecta, et nostras de iis sensiones arbitrariam tantum esse connexionem, et in Dei fuisse arbitrio, an odores vellet repraesentare per perceptiones, quae nunc sunt colorum; quasi non Deus omnia summa ratione faciat, aut quasi circulum per triangulum repraesentaturus sit, naturaliter operando.

Ad 25. Verum est omnia Phaenomena corporum naturalia (praeter perceptiones) posse explicari per magnitudinem, figuram et motum; sed ipsi motus (qui sunt causae figurarum) non possunt explicari, nisi advocatis entelechiis.

Ad 29. Nullas esse formas substantiales corporeas a materia distinctas, recte rejicitur; si per formas corporeas intelligantur quales sunt animae Brutorum, quae scilicet reflexivo mentis actu, seu cogitatione proprie dicta carent. Interim si quis exciperet formas corporeas interitui naturaliter obnoxias, ei, fateor, non possem adhaerere. Nam cum Thomistis sentio omnes Entelechias primitivas indivisibiles esse, seu quod appello Monades. Talium autem neque origo, neque interitus naturaliter intelligi potest.

Quartam, ni fallor, jam refutarunt Mathematici, et non pauca ipse edidi scientiae infiniti specimina.

Interim sentio, proprie loquendo, infinitum ex partibus constans neque unum esse neque totum, nec nisi per notionem mentis concipi, ut quantitatem. Solum infinitum impartibile unum est, sed totum non est: id infinitum est DEUS.

Vale et fave. Dabam Hanoverae 1. Septemb. 1706.

Deditissimus

Godef. Guil. Leibnitius.

EPISTOLA V.

Admodum reverende pater,

Gratias ago pro communicatione propositionum nuper apud vos reprobatarum, quarum indiculum utique tam mature in vulgus spargi necesse non est.

Angeli non sunt Entelechiae corporum, sed ipsi et Entelechias, nempe Mentes, et Corpora etiam, meo judicio habent, quae etiam antiquorum Ecclesiae Doctorum non paucorum sententia fuit, a qua praeter necessitatem recessum est; et quasi non satis esset, veram in perplexitatem accersitae sunt fictitiae. Angeli ergo corpora movent prorsus, ut nos facimus, nec definitio vestrorum decima nona mihi adversa est. Illud verum est, solum Deum novas vires, novas directiones materiae posse dare, seu motus qui ex ejus pristinis Entelechiis non consequantur, id ad miracula pertinere. Nosse velim an apud vos contraria meae opinio de Angelis definita habeatur. Merito rejecti sunt qui Angelos omnes creaturam corpoream esse statuerunt; sed hoc ad eos non pertinet, qui omnes mentes, imo Entelechias, incorporeas esse agnoscunt.

Difficultatem quam adhuc moves de peccato originis, non satis intelligo. Non est virtus agendi, sed virtutis agendi imperfectum, ut ignorantia, vitium. Per impedimenta autem prodeunt actiones, quae sine ipsis non prodirent, ut frigoris exemplo patet. Nec majorem distantiam concipio inter peccatum originis, et vitium, quam inter habitum innatum, et acquisitum. Vitium intelligo quale Aristoteles virtuti morali opponit.

Nunquam versatur Perceptio circa objectum, in quo non sit aliqua varietas, seu multitudo: Quod cum tibi sit exploratissimum, miror hic difficultatem repertam.

Miror etiam quod Universalia huc afferas. Universale est unum in multis, seu multorum similitudo, sed cum percipimus exprimuntur multa in uno, nempe ipso percipiente. Vides quam haec distent.

Miror etiam cur dicas animal esse machinam naturae, quae habeat Entelechiam perceptione praeditam: nam ex mea definitione patet omnem Entelechiam (primitivam scilicet) perceptione praeditam esse; at ideo animal semper prodire non est cur admittam.

Videris nimium tibi ipsi diffidere, et solutiones a me petere, quas pro insigni acumine tuo, nullo negotio, dare ipse posses.

Et, ut saepe dixi, si quis Breviarium Philosophiae conficere tentet, nebulae quae superesse videntur mutua collustratione rerum dissipabuntur.

Ex Batavis ad me scriptum est, ibi agere Dn. Quesnellum ex Congregatione Oratorii, elapsum ex carcere, in quem conjecerat eum Episcopus Mechliniensis, variaque moliri scriptis, ut Arnaldi suamque existimationem sententia Archiepiscopi gravatam, tueatur. Ajunt, scripta ejus pleraque, omne commercium litterarum, quod Arnaldo, et ipsi Quesnello a multis annis cum aliis intercessit, in vestrorum manus devenisse: unde ego selecta edi optarem, sed magis quae ad utilitatem publicam, quam quae ad parandos adversarios pertinerent. Vale. Dabam Hanoverae 20. Sept. 1706.

Deditissimus

Godef. Guil. Leibnitius.

P. S. Argumentum Aristotelis contra vacuum, quod in vacuo motus futurus esset instantaneus, non satis firmum est, absolute loquendo: nam finge, dum corpus in motu est, circumsita a Deo annihilari, non utique inde motus ipsius augeretur. Fatendum est nihilominus, etsi non ad necessitatem, tamen ad congruentiam pertinere, ut celeritas corporum limites habeat pro medio in quo versantur. Itaque non prorsus de nihilo est Aristotelis consideratio.

Veniam peto perturbatae scriptionis.

EPISTOLA VI.

Admodum reverende pater,

Rogo ne quae a me excitandi animi gratia dicta sunt, in sequiorem partem accipias.

Gratias ago pro loco Patris Martini Esparsae exscripto; ejus quaedam olim legere memini, et visus est peracutus.

Sententia de omnimoda sejunctione Angelorum a corporibus, non rationem, non scripturam, sed solam opinionem communem scholarum pro fundamento habet. Concilium Lateranense loqui non definitive, sed discussive ex recepto tunc sensu, verba satis ostendunt. Ut aliqui Angeli, quos cum Thoma assistentes vocas, a corporibus sejuncti sint, prorsus meae, ni fallor, demonstrationes non

admittunt, et facile id fateor de omnibus, quod de aliquibus ferri posset.

Enim tamen corporis usum Angelis tribui posse arbitror, ut non inepte dicantur formae assistentes potius, quam inhaerentes, non quod Entelechiarum officium non faciant, sed quod corpori non sint affixae. Arbitror enim (cum naturaliter possibile sit, et ad perfectionem Universi faciat:) esse Entelechias, quae facillime mutent corpus, seu de corpore in corpus transeant; non momento quidem, (nihil enim sic fit naturaliter) sed brevi tamen tempore, licet per gradus. Uti pars quam retinent, servit mutandae parti, quam deponunt, etsi etiam ipsa deinde pro re nata mutetur, (uti nos manus ope possumus pedem mutare, et ligneum carneo subsistuere, imo ope unius manus possemus mutare alteram manum, et ope novae manus rursus priorem, si novam satis nobis unire liceret.) Ita semper aget Angelus per corpora, semperque locum habebit Harmonia praestabilita, seu ut, quae vult Angelus, fiant ex ipsa corporum lege: fere ut Suaresium vestrum dicere memini ex quorundam sententia res ita pracordinatas esse, ut voluntatibus precibusque beatorum sponte satisfaciant.

Assistentes igitur formas voco quae pro arbitrio corpus sumunt, atque deponunt, et quod habent transformant; inhaerentes atque animantes, quae tale arbitrium non habent, etsi hoc arbitrium suis limitibus coerceatur, ut cuncta naturali ordine procedant. Solius enim Dei est quidvis facere ex quovis, nuda voluntate. Et priores putem a corpore secretas dici posse, posteriores corpori affixas. Fatendum tamen est ambas corpori unitas esse, ut rationem habeant Entelechiae. Et hoc videtur esse ad mentem Augustini Lib. XXI. de Civitate Dei, Cap. X. a Thoma citatam quaest. 16. De Malo, Artic. I. Posse scilicet Daemones (vel Angelos) dici Spiritus, quod corpora sibi magis subdita habeant. Itaque neque intelligentiis istis Animarum, neque Angelis ipsis Animalium appellationem tribuemus. Caeterum Corporis mutatio nihil habet, quod non receptis consentiat; nam et nos corpus mutamus, ut fortasse senes nihil materiae infantis retineamus: tantum hoc interest, quod neque subito, neque pro arbitrio corpus exuimus.

Quod superest, Vale et fave. Dabam Hanoverae 4. Octobr. 1706.

Deditissimus

Godef. Guil. Leibnitius.

P.S. Grata aliquando erit causa Quesnelliana, quaeque alia hujusmodi ad Historiam litterariam pertinent.

EPISTOLA VII.

Admodum Reverende Pater,

Valde placet Esparsae vestri locus, et pergratum erit, quoties indicabis autoritates mihi faventes. Neque ego illud Peripateticorum dogma sperno, qui relationem ad determinatam materiam (etsi pro tempore aliam atque aliam) ad numericam substantiarum distinctionem requirunt. De Deo res secus habet, qui sufficiens sibi, causa est materiae, et aliorum omnium; itaque non est anima mundi, sed autor. Naturale vero est creaturis materiam habere, neque aliter possibiles sunt, nisi Deus per miraculum suppleat materiae munus. At quae non nisi per miraculum perpetrari possunt, non sunt regulariter necessaria ad perfectionem Universi. Spiritus infinitus in corpora agit creando et conservando, quod quaedam creandi continuatio est. Hoc finito Spiritui communicari non potest.

Cum de assistentibus formis locutus sum, non ad Thomae distinctionem, quam memoras, respexi, inter Angelos Deo assistentes et ministrantes (quanquam Scriptura omnes appellet ministratores Spiritus) sed ad Peripateticas phrases. Deo assistentes Intelligentias, quae nihil aliud agant, neque Deo sint administrae, convenire rerum ordini non puto. Has enim removere a corporibus et loco, est removere ab universali connexione, et ordine Mundi, quem faciunt relationes ad tempus et locum. Quod ad expositionem attinet, utrum Entelechia materiam mutet, distinguo, ut me jam fecisse scribis, entelechia corpus suum organicum mutat, seu materiam secundam; at suam propriam materiam primam non mutat. Dominus Bayle mentem meam in his satis percepisse non videtur.

Materia prima cuivis Entelechiae est essentialis, neque unquam ab ea separatur, cum eam compleat et sit ipsa potentia passiva totius substantiae completae. Neque enim materia prima in mole, seu impenetrabilitate, et extensione consistit: materia vero secunda, qualis corpus organicum constituit, resultatum est ex innumeris substantiis completis, quarum quaevis suam habet Entelechiam, et suam materiam primam, sed harum substantiarum nulla nostrae perpetuo affixa est. Materia itaque prima cujuslibet substantiae alterius in corpore ejus organico existentis, alterius substantiae materiam primam involvit, non ut partem essentialem, sed ut requisitum immediatum, at pro tempore tantum, cum unum alteri succedat. Etsi ergo Deus per potentiam absolutam possit substantiam privare materia secunda, non tamen potest eam privare materia prima; nam faceret inde totum purum actum, qualis ipse est solus. An vero necesse sit Angelum

esse formam informantem, seu animam corporis organici quae ei personaliter unita est, alia quaestio est, et certo sensu in praecedente Epistola exposito negari potest. Vides hinc etiam tolli substantias incompletas, monstrum in vera Philosophia.

De statu animae humanae separatae nihil certi definire possum: cum praeter Regnum Naturae, hic influat Regnum Gratiae. Cur autem certa materia secunda ipsi affigatur usque ad Resurrectionem, causam nullam video.

Non memini dicere quod omnis Entelechia sit spiritus, malimque hanc appellationem servare rationalibus Entelechiis: quod non omnis Entelechia rationis sit capax, jam dudum dixi, cum non omnis sit sui conscia, seu reflexivo actu praedita. Hoc ni fallor peripatetici, Thomistae inprimis, qui indivisibiles agnoscunt etiam Brutorum animas, non observarunt. Hinc brutorum animae personam non habent, et proinde solus ex notis nobis animalibus homo habet personae immortalitatem, quippe quae in conscientiae sui conservatione consistit, capacemque poenae et praemii reddit.

Grata erit eorum, quae sperare me jubes scriptorum, communicatio, sed ubi rediero domum; nam intra unam alteramve septimanam Guelferbytum excurram. Gratum etiam erit, si subinde me doceas, quae in vestro Ordine, aut alias in re litteraria, praesertim sacra, Philosophicaque gerantur, et utile esset discere quae Romae decernantur in Congregationibus, velut Rituum, Inquisitionis, Indicis, etc., nam talia a me minime spernuntur.

Quid si tu quoque Guelferbytum excurras paulisper, cum illic ero? Erit ibi fortasse aliquis ordinis vestri, ob causam quam non ignorabis; hujus grata mihi, forte et tibi notitia erit. Sed tua inprimis grata erit serenissimo Duci, nec tibi negligenda. Itaque de hac excursiuncula sententiam quam primum expecto. Caeterum significabo cum illuc ibo. Spero id facere septimana, quam cras inchoamus. Vale et me ama. Hanoverae 16. Octobr. 1706.

Deditissimus

Godef. Guil. Leibnitius

EPISTOLA VIII.

Admodum reverende pater, fautor honoratissime,

A reditu meo valde distractus fui. Itaque humanissimis tuis non prius, ut par est, respondere licuit. Gratias ago, quod indicas, Aloysium Temmick nomen esse fictum, et peto, ut verum me doceas. Etsi autem non probem primarias sententias autoris, optarem tamen concedi doctis, etiam vestris, Philosophandi libertatem, quae aemulationem parit, et ingenia excitat: contra animi servitute dejiciuntur, neque aliquid egregii ab iis exspectes, quibus nihil indulgeas. Itaque Itali et Hispani, quorum excitata sunt ingenia, tam parum in Philosophia praestant, quia nimis arctantur. Quae Temmigius ille Pseudonymus scribit, publice in Gallia tuentur multi eruditi.

Scripsit olim aliquis concordiam scientiae cum fide sub nomine Thomae Bonartis Nordtani Angli. Eum ex vestro fuisse ordine, et ob librum reprehensiones sustinuisse didici: ipsum viri nomen vellem discere. Beneficio tuo habemus librum ejus, scriptum eleganter et ingeniose, sed obscuriuscule: itaque non satis excutere licuit. Si tibi lectus non est, et legi dignus videtur, mittam.

Quia tibi cum Trivultianis commercium est, vide, quaeso, an schedam adjectam iis commode communicari posse putes, ut mensi alicui inseratur. Mea enim interest, ut lectoribus occasio sinistre de me meisque rebus judicandi adimatur.

Non bene capio, quid P. Perez, cujus notum mihi ingenium est, per Metaphysica indivisibilia intelligat, quod ex aliis ejus locis facile erues. Si intelligeret monades, mihi consentiret. Et spatium sane ex monadibus non componitur: quae an et Perezii de suis indivisibilibus Metaphysicis sententia sit, scire e re erit; certe Mathematicis opponit. Possem interim hac ejus phrasi ad monades meas designandas uti: quas et aliquando atomos Metaphysicas vocare memini, item substantiales. Spatium per se indeterminatum ad quascunque possibiles divisiones; res enim est idealis, ut unitas numerica, quam pro arbitrio in fractiones secare possis, at massa rerum actu divisa est.

Hartsoekeri liber, quem ad me misit, jacet in cista, quam adhuc Berolino expecto; acceptum mittam. Duo ponit principia, nempe partes materiae alias perfecte fluidas, et alias perfecte firmas. Hanc hypothesin vulgares Philosophorum notiones non facile refutaverint; apud me stare non potest.

Newtonus (quantum nunc judicare possum, dum librum percurrere non vacat,) videtur demonstrationem vacui suam non tam absolutam exhibuisse, quam insinuasse p. 346. Principiorum naturae Mathematicorum, experimenta exhibet, ex quibus putat pendere demonstrationem vacui. Ego vero non video, quomodo possibile sit experimenta excogitari, unde haec controversia accurate definiatur, quam a rationibus unice pendere censeo. Inspicies hunc locum, quem quaerebas, et si videtur examinabis.

Venio ad controversias vestrorum, optaveramque odiosis utrinque abstineri. Id tu, admodum Reverende Pater, valde laudas, modo fiat utrinque.

Fortasse tamen laudabilior erit, qui a sua parte faciet, quamvis mutua humanitas non reddatur: et religiosis hominibus, imo virtutem colentibus omnibus, dictum ego putem illud Virgilianum,

»Tuque prior, tu parce, genus qui ducis Olympo,
»Projice tela manu, sanguis meus.

Porro quae ad irrisionem faciunt, pejora dictis injuriosis censeo; nam magis mordent, et minus facile depelluntur. Persecutiones autem ob sententias, quae crimina non docent, pessimas censeo, a quibus non tantum abstinendum sit probis, sed et abhorrendum; et in id laborandum, ut alii, apud quos nobis aliqua est autoritas, ab iis deterreantur. Honores et commoda, quae non debentur, iis negare permissum est, qui sententias fovent, quae nobis incommodae videntur: sua auferre, et magis etiam proscriptionibus, vinculis, remis, gravioribusque adhuc malis saevire, permissum non puto. Quid hoc enim aliud est, quam violentiae genus, a quo nisi per crimen (abjurando quae vera putas) tutus esse non possis? Itaque quanto quisque melior est, tanto magis sub hac tyrannide laborat. Et sane si mihi esset facultas persuadendi, Gerberonius et similes plenissima libertate fruerentur. Fac (quod objicis) redituros in antiquam sylvam, fac scribere, fac tueri sententiam; aequis armis, non vi metuque errores subverti debent. Imo fac stare errores, id levius in talibus est malum, quam sic agi. Quin cadunt plerumque neglecti facilius quam pressi: Nullus hodie esset, quem vocatis, Jansenismus, nisi tantum contra Jansenii opus strepitum homines infesti excitassent, quibus factionis, non veritatis cura erat. Jansenii Augustinum aliquando non sine cura inspexi: egregium opus esse deprehendi, et magno doctrinae Theologicae malo eruditorum manibus excussam, etsi sententias ejus plurimas non probem. Notare mihi visus sum consilium ei fuisse non tantum systema Theologicum Augustini revocare in scholas, quod improbari non poterat; sed et contraria dogmata, tanquam Pelagiana, aut Semipelagiana ejicere, quod probare non possum. Valde noxium est constringi in dies sentiendi libertatem non necessariis definitionibus. Fac quaedam esse, in quibus Scholastici quidam Pelagianis consentiant, an ideo statim damnandi sunt? Ipse Augustinus quasdam suas priores sententias, Pelagiana controversia invalescente, mutavit. Sufficit conclusiones Pelagianas, et Semipelagianas primarias, et ab Ecclesia antiqua rejectas vitari. Itaque ita sentio: Si Jansenius aut Janseniana pars scopum obtinuisset, multo adhuc graviorem futuram fuisse servitutem: et in Jansenio reprehendi merito poterat condemnandi alios inconsulta vehementia. Sed evenit, nescio quo fato, ut reprehensa sint tanquam Janseniana, quae mihi, ut verum fatear, Jansenius docuisse non videtur: nam plus simplice vice protestatur, a se et Augustino vocabula libertatis, necessitatis, possibilitatis, impossibilitatis longe alio sensu sumi, quam qui in scholis est receptus; in quo Theses receptas se non negare ait, sed tamen de iis nec laborare. Itaque vereor ne irrita sint illa Vaticana in eum fulmina, verissimaeque exceptiones amicorum Jansenii, quidvis potius in animo fuisse viro, quam sensum illum obvium censorum Romanorum. Nam sensus verborum hodie obvius in scholis, apud veteres obvius non erat. Et saepissime expertus ipse sum, quam varie ea ipsa verba ab hominibus sumantur inter loquendum pariter et scribendum; idque in populari sermone non minus, quam inter eruditos. Itaque miratus sum, Dumasium vestrae partis scriptorem, historiae Jansenismi suae non addidisse, quod basis operis esse debebat, indicem locorum Jansenii, in quibus extent propositiones damnatae ut facilius conferri possent. An putat in re, quae oculari inspectione constant, Vaticanorum censorum autoritatem, et extortas subscriptiones sufficere posse? Archiepiscopi Cameracensis, viri certe magni, et ob alia mihi valde aestimati, subtilitates miras, quibus in facti quaestionibus infallibilitatem Ecclesiae vindicat, discutere non vacat, neque mihi certe eo labore opus est, qui sentio nullam Ecclesia infallibilitatem esse, nisi in conservandis dogmatibus salutaribus, dudum a Christo traditis; caetera ad disciplinam pertinere, ubi reverentia sufficit, assensus necessarius non est. Si Roma definisset, Antipodes non esse, si hodie motum terrae damnaret, an infallibilem habendam putaremus? Et licet mos ille malus in Ecclesia invaluerit, nova dogmata fidei producendi, et alios condemnandi praeter necessitatem, non ideo minus improbari, aliisque abusibus, qui irrepsere, computari debet. Articulus certe salvificae fidei non est, Jansenium aliquid docuisse: quae haec ergo est κακοζηλία, velle exprimere omnibus inanis sententiae professionem? Ita dum iniquum petunt homines, nec aequum ferunt. Vellem demonstrari ab aliquo, quae vera fuerit Jansenii sententia, quod homini diligenti et perito non difficile puto: sed utilius adhuc erit discutere, quid senserit Augustinus, ob viri merita, et auctoritatem; quanquam verear, ne Augustinum Jansenio plerumque ὁμόψηφον reperturi simus, tanto ille studio excussit, et ut arbitror, non minori etiam fide repraesentavit. Ab Augustino postea schola recessit, nec, ut mihi videtur, male in multis. Vellem tamen systema tanti viri notius esse, quam esse video. Dum distinguis duas propositiones, unam quam autor in mente ha-

buerit, alteram quam expresserit, et posteriorem ad doctrinalia facta pertinere putas, de quibus infallibiliter statuere possit Ecclesia; videris mihi agnoscere, non debuisse aliquid definiri de sensu ab autore intento, quod tamen, ni fallor, a Pontificibus tandem factum est, parum, ut arbitror, consulte et per sollicitantium importunitates. Vides quo tandem alios coërcendi nimio studio deveniatur.

Philosophica meletemata non minus quam mathematica vulgi captum superant, sed magis interpretationibus iniquis obnoxia sunt. Itaque mallem connexa aliquando dari, quam disjecta, et ictibus exposita, dum se mutuo non tuentur.

Cum dico extensionem esse resistentis continuationem, quaeris, an ea continuatio sit modus tantum? Ita putem: habet enim se ad res continuatas seu repetitas, ut numerus ad res numeratas: substantia nempe simplex, etsi non habeat in se extensionem, habet tamen positionem, quae est fundamentum extensionis, cum extensio sit simultanea continua positionis repetitio, ut lineam fluxu puncti fieri dicimus, quoniam in hoc puncti vestigio diversae positiones conjunguntur. Sed activum repetitione, seu continuatione rei non activae nasci non potest. Quod superest, vale et fave. Dabam Hanoverae 21. Juli 1707.

Deditissimus
Godef. Guil. Leibnitius.

Si in memoriis Trivultiensibus non extaret illa relatio, quam refutare coactus sum, posset omitti postrema periodus in scheda adjecta: quod si in iis extat, reperietur anno 1705. in finem vergente, vel anno 1706 inchoante, hic nondum novissimo habentur.

Adjunctam minorem Schedam admodum Reverendis Patribus Antuerpiensibus mitti peto.

LXIII.
DE MODO DISTINGUENDI PHAENOMENA REALIA AB IMAGINARIIS.

(E. MSS. Leibnitianis in Bibliotheca Regia Hanoverana asservatis.)

Ens est, cujus conceptus aliquid positivi involvit sive quod a nobis concipi potest, modo id quod concipimus sit possibile nec involvat contradictionem, quod cognoscimus tum, si conceptus sit perfecte explicatus, nihilque involvat confusi; tum compendio si res actu extiterit, quod enim existit utique est Ens seu possibile. Quemadmodum autem Ens explicatur per distinctum conceptum, ita Existens per distinctam perceptionem, quod ut melius intelligamus videndum est, quibus modis existentia probetur. Et primum sine probatione ex simplici perceptione sive experientia existere judico, quorum intra me conscius sum, hoc est primo me varia cogitantem, deinde ipsa varia phaenomena sive apparitiones, quae in mente mea existunt. Haec enim duo, cum immediate a mente percipiantur, nullius alterius interventu comprobari possunt, et aeque certum est, existere in mente mea speciem montis aurei aut centauri, cum ista somnio, quam certum est, existere me, qui somnio; utrumque enim continetur in hoc uno, quod certum est, centaurum mihi apparere.

Pro literis curatis curandisque gratias ago. Monitum tuum perplacet. Putemque rectius dici: je n'ai nul. Jansenius forte analogiam inter caritatem Beatorum, et concupiscentiam non-regeneratorum considerare voluit ex Augustini sententia, cui omnis actus in non-regeneratis est peccaminosus, et virtutes non nisi splendida peccata. Itaque etiam non-regenerati semper determinati forent ad unum quoad qualitatem, licet non quoad substantiam actus, quod ego quidem non probo. Quemadmodum nec damnationem infantium non-regeneratorum, aliaque Augustini dura, neque video cur necessaria sit illa gratia per se victrix, quam passim inculcant qui Augustinum sequi profitentur, aut cur non eadem mensura gratiae in uno possit effectrix esse salutis, quamvis in alio non sit. Puto Deum voluntate antecedente, omnes salvos velle, neque eam otiosam esse, sed demonstrari per auxilia abundantia gratiae quae sit sufficiens, ubi bona voluntas accedat, et hanc etiam interdum producat. Cum quaeritur an electio, et quatenus sit gratuita; sentio Deum non quidem ad praevisas bonas qualitates, aut minorem resistentiam, vel simile aliquid futurum absolutum, vel conditionale se adstringere nec disputandum esse de ordine decretorum, utrum salutis, an fidei vivae dandae decretum prius sit in intentione Dei, sed Deum ex infinitis Mundis possibilibus optimum elegisse, omnibus ingredientibus spectatis; itaque revera non nisi unicum Dei decretum erit de existentia talis rerum seriei, et cum mala quaedam optimam rerum seriem ingrediantur, hinc admitti: Libertatem non tantum a coactione, sed et a necessitate eximendam censeo, non tamen ab infallibilitate, seu determinatione: semper enim ratio esse debet, cur unum potius quam aliud fiat, nec ulla datur indifferentia perfecti aequilibrii: interim ratio determinans inclinando determinat, non necessitando, cum aliter fieri non implicet contradictionem. Multa alia observavi, quibus plerasque difficultates satis clare expediri puto: Et, quantum judico, sententiae meae non abhorrent in hac parte à decretis vestrae Ecclesiae, nec a vestri ordinis placitis potioribus. Nam doctrinas illas, sub quibus divina Bonitas laborare videri possit, minus amo, etsi alias Augustinum, Arnaldum et Quesnellium magni faciam. Itaque aliquem mihi, etiam apud vestros, applausum promitto.

Nunc in eo sum ut quaedam turbatiora in mundum redigantur.

Colloquium illud consectaneum a colloquio cum Comite de Gabalis in Batavis editum puto.

Chronologicorum, vel potius Arithmeticorum, artificium non sperno, cum usum insignem ad Historiam discendam aliaque memoriae objecta numeris designata praestare possit, velut capita Bibliorum, titulos juris.

Distichon cujus meministi tale est, ut eo chartam inquinari haud velim, minus etiam oculos meos. Viros graves à talibus abhorrere par est, ad stivam et haram relegandis.

At Jacobi Boschii (unde quaedam exhibes) carmen placet, de arte symbolica, cujus alia legere non memini. Stylus ejus videtur accedere ad artem poeticam Horatii.

Quod superest, vale et fave. Dabam Hanoverae 12. Septembris 1708.

Deditissimus
Godef. Guil. Leibnitius.

P. S. R. P. Dezii librum apud Argentoratenses de Religionis controversiis olim editum hinc cum prodiit inspicere memini, mittente D. Landgravio Ernesto. Placuit autoris ingenium et moderatio, et nunc gratum est talem virum provehi.

EPISTOLA XI.

Admodum reverende pater, fautor honoratissime,

Domum ante paucos dies redux nolui responsionem ad ornatissimas tuas litteras differre. Multum sane tibi debeo, quod rerum mearum satagis, et cum Typographo Leodiensi agere voluisti.

Quod ad dubitationes tuas attinet, sane subtiles, et te dignas, arbitror, Entelechias naturaliter oriri non posse, atque adeo aut initio rerum fuisse creatas, aut postea creari. Porro Entelechia nova creari potest, etsi nulla nova pars massae creetur, quia etsi massa jam habeat unitates, tamen novas semper capit, pluribus aliis dominantes: ut si fingas Deum ex massa quoad totum non organica, v. g. ex rudi saxo, facere corpus organicum, eique suam animam praeficere. Tot nempe Entelechiae sunt, quod corpora organica. Caeterum materia prima propria, id est potentia passiva primitiva, ab activa inseparabilis, ipsi Entelechiae, (quam complet, ut Monada seu substantiam completam constituat) concreatur. Ea vero massam, seu Phaenomenon ex Monadibus resultans, non auget, non magis quam punctum lineam. Vale et fave. Dabam Hanoverae 16. Martii 1709.

Deditissimus
Godef. Guil. Leibnitius.


EPISTOLA XII.

Admodum reverende pater, fautor honoratissime.

Duo sunt in Bibliopolis, quae eos ambiguos reddere solent: unum lucri cupiditas, alterum ignorantia. Ita nesciunt, quid eligere debeant, nec satis fidunt eruditis, quia putant, eos magis intelligere, quid sit doctum, quam quid sit vendibile. Nuper curavi in mundum redigi dissertationem olim a me conscriptam, cum res saeculi noni examinarem, et in Chronologicis disquisitionibus versarer. Titulum ei feci: Flores sparsi in tumulum Johannae Papissae; ubi fabulam Papissae partim novis argumentis, partim veteribus confirmatis, explodo, et Chronologiam ejus temporis passim obscuratam in clara luce colloco, et effugiis Friderici Spanhemii Leidensis Theologi, novissimis, libello in Batavis ante aliquot annos edito, contentis, respondeo. Nonnulla etiam non observata inspergo; nam et librum quendam magicum Papissae attributum, nondum quidem editum, detexi; aliaque curiositate Lectoris non indigna, ex manuscriptis erui. Hic libellus fortasse magis placeret Typographo vestro Leodiensi: sed ego libenter uni concederem utrumque, tam illum de Papissa Latinum, quam Baylio oppositum Gallicum.

Nunc ad quaestionem philosophicam venio: Utrum animae brutorum quarta demum die sint creatae, non definio: saltem innumeras entelechias statim ab initio creatas fuisse oportet: sed volui tantum explicare, quomodo novae animae existere possent, etsi nulla creetur nova pars materiae. Et hoc, ni fallor, nupera epistola praestitit. Per materiam autem hic intelligo massam, seu materiam secundam, ubi est extensio cum resistentia. Nec recordor me (sumendo materiam hoc sensu) ulli animae assignasse materiam propriam; imo omnis pars corporis organici alias entelechias continet. Equidem verum est, animam non transire de uno corpore organico in aliud, sed semper in eodem corpore organico manere, ne morte quidem hanc legem violante. Verum considerandum est, hoc ipsum corpus organicum idem manere, ut navis Thesei, seu ut flumen; id est esse in fluxu perpetuo, nec fortasse ullam materiae portionem assignari posse, quae eidem semper animali, vel animae propria maneat.

Si rem scrupulosius consideres, fortasse tentabis dicere, animae saltem certum assignari posse punctum. Sed punctum non est certa pars materiae, nec infinita puncta in unum collecta extensionem facerent. Quod sic probo.



Sume triangulum ABC, ejus latus AC biseca in D, et AD in E, et AE in F, et AF in G, et ita porro pone ita factum esse in infinitum. Habemus triangula infinita BCD, BDE, BEF, BFG, etc. Horum quodlibet (dando ipsis crassitiem, ut fiant corpora, vel ab initio sumendo triangulum crassum, id est pyramidem) potest existere separatim. Et ita unumquodque suum habebit proprium apicem. Finge deinde omnia componi inter se, ut fiat pyramis (i) vel triangulum totale ABC; patet, omnes illos apices infinitos hoc modo compositos, non facere nisi unum apicem communem B. Quod si nolis adhibere triangula infinita, saltem vides hoc verum esse generaliter de triangulis quotcunque. Extensio quidem exurgit ex situ, sed addit situi continuitatem. Puncta situm habent, continuitatem non habent, nec componunt; nec per

se stare possunt. Itaque nihil impedit, infinita continue puncta nasci, et interire, vel saltem coincidere, aut extra se invicem poni, sine augmento, et diminutione materiae, et extensionis, cum non sint, nisi ejus modificationes, non partes nempe, sed terminationes.

Interim non puto convenire, ut animas tanquam in punctis consideremus. Fortasse aliquis diceret, eas non esse in loco, nisi per operationem, nempe loquendo secundum vetus systema influxus, vel potius secundum novum systema harmoniae praestabilitae esse in loco per correspondentiam, atque ita esse in toto corpore organico, quod animant. Non nego interim unionem quandam realem metaphysicam inter animam et corpus organicum (ut Turneminio etiam respondi), secundum quam dici possit, animam vere esse in corpore. Sed quia ea res ex Phaenomenis explicari non potest, nec quicquam in iis variat, ideo, in quo formaliter consistat, ultra distincte explicare non possum. Sufficit correspondentiae esse alligatam. Vides autem me hic loqui hactenus, non de unione entelechiae, seu principii activi cum materia prima, seu potentia passiva, sed de unione animae, seu ipsius monadis (ex utroque principio resultantis) cum massa, seu cum aliis monadibus.

At inquies: quid de ipsa materia prima animae propria dicemus? Respondeo, eam utique animae concreari, seu monadem creari totam. Ergone sic materia prima augetur, et minuitur? Fateor, cum non sit nisi potentia passiva primitiva: ergo, inquies, et massa augetur. Concedo augeri numerum monadum, quarum resultatum utique est massa, sed non extensionem, et resistentiam, aut phaenomena, non magis quam cum nova puncta oriuntur. Deus infinitas monades novas creare posset, non augendo massam, si ad novae monadis corpus organicum non nisi veteres monades adhiberet. Massa est phaenomenon reale, nec in phaenomenis (exceptis iis, quae apparent ipsi novae monadi utique nove) quicquam mutatur ob novae monadis ortum, nisi forte miraculo. Nam putandum est, monades antiquas jam initio ita ordinatas fuisse a Deo, cum eas crearet, ut phaenomena earum responderent aliquando monadi adhuc creandae; nisi malimus Deum caeteras omnes monades miraculo immutare, cum novam creat, ut eas novae accommodet, quod minus verisimile est.

Caeterum haec omnia huc tendunt, possibile esse, ut Deus creet novas monades. Sed non tamen definio, a Deo novas monades creari. Imo puto, defendi posse, et probabilius esse contrarium, adeoque praeexistentiam monadum Et pro creatione absoluta animae rationalis defendi posset transcreatio animae non rationalis in rationalem, quod fieret addito miraculose gradu essentiali perfectionis. Id etiam defendo in dissertatione anti-Bayliana, tanquam mihi probabilius visum creatione omnimoda, et verius traduce.

Mirarer Curiam Romanam de rebus Sinicis nondum satis perspectis cum Ecclesiae nascentis periculo pronunciare. Vellem nosse, an verum sit Cardinalem Turnonium a Lusitanis in urbe Macao fuisse detentum, et an cum P. Provana venerit Legatus Monarchae Sinici, ut habebant novellae vulgares. Finge, multos Sinenses vere esse Idololatras, vel etiam Atheos: sufficit publica illic autoritate alium sensum assignari ritibus; qua ratione via etiam aperitur ipsis quoque privatis errantibus ab errore liberandis. Quod superest, vale et fave. Dabam Hanoverae 30. April. 1709.

Deditissimus
Godef. Guil. Leibnitius.

LXV.
RÉPONSE
AUX OBJECTIONS, QUE L'AUTEUR DU LIVRE: „DE LA CONNOIS-SANCE DE SOI-MEME“
A FAITES
CONTRE LE SYSTEME DE L'HARMONIE
PRÉÉTABLIE.

1 7 0 9.

(Journal des Savans. Supplem. 1709. Juin p. 275. Leibnitii Opp. Ed. Dutens Tom. II, P. 1. p. 97.)

Le célèbre Auteur de ces objections, qui a du mérite, et de la méditation, avoue qu'il a trouvé quelque chose de fort spécieux dans le système de l'Harmonie préétablie, employé pour expliquer le raport qu'il y a entre l'ame et le corps. Que la voie de l'influence est insoutenable, et que celle des causes occasionnelles paroît d'abord peu digne de Dieu, comme le faisant agir continuellement par miracles dans un effet tout naturel; au lieu que la voie de l'harmonie préétablie marque dans le Souverain Ouvrier une habileté incomparablement plus grande. Mais il ajoute (p. 230.) qu'un moment de réflexion lui a fait entrevoir dans ce système des difficultés, et même des impossibilités, qui méritent qu'on les examine. Venons à cet examen avec lui, et voyons comment il se fortifie contre ce qu'il appelle le faux brillant de ce nouveau système.

La première difficulté consiste dans cette question, si les deux substances qui s'accordent, sont faites l'une pour l'autre? je réponds, qu'oui; car si elles s'accordent, Dieu les a fait pour s'accorder. Mais on en infère que ce système diffère donc peu de celui des causes occasionnelles. A la bonne heure, dirai-je; cependant je ne vois point cette conséquence: Dans celui des occasionnelles les substances s'accordent, parce que Dieu y produit toujours cet accord, sans que cela se trouve ainsi dans le système nouveau; et la différence des deux systèmes est d'autant plus manifeste en cela, que l'Auteur de l'objection veut faire passer cet accord naturel pour impossible. Voyez ci-dessous la cinquième difficulté. En tout cas, si quelqu'un veut prendre le système des occasionnelles d'une manière qui le transforme au mien, je n'en serai point fâché.

La seconde difficulté (p. 233.) consiste dans une autre question, savoir: si l'ame est libre dans la production de ses sentimens, ou si elle ne l'est pas? Il me semble qu'une question n'est pas une objection: cependant j'y réponds, et la réponse est aisée. L'ame est libre dans les actions volontaires, où elle a des pensées distinctes, et où elle montre de la raison; mais les perceptions confuses, réglées sur les corps, naissent des perceptions confuses précédentes, sans qu'il soit nécessaire que l'ame les veuille, et qu'elle les prévoie. Ainsi quoique les douleurs ne lui arrivent point, parce qu'elle les veut, elles ne lui arrivent pas pour cela sans cause, et sans raison; la suite des pensées confuses étant représentative des mouvemens du corps, dont la multitude et la petitesse ne permet pas qu'on s'en puisse apercevoir distinctement.

La troisième difficulté (p.234.) est, qu'il ne paroît pas à l'Auteur des objections, que dans ce système il y ait une vraie liberté. Mais c'est une prévention dont on ne voit point de fondement. Si j'ai dit (comme il allègue) »qu'il ne dé»pend point de l'ame de se donner des sentimens »qui lui plaisent,« n'ai-je pas eu raison? notre liberté va-t-elle jusques là dans quelque système que ce soit? Et ne seroit-ce pas une souveraineté, comme celle de Dieu? Alléguer cela, ce n'est pas faire une objection contre mon système, mais c'est en faire une contre la liberté, qu'on y prend ici dans un sens outré. J'ai dit aussi, »que »l'état présent de chaque substance est une suite »naturelle de son état précédent.« Or (dit-on)

une suite naturelle est une suite nécessaire. Je réponds que je n'accorde point cela, et que je m'étonne qu'on avance de telles propositions, pour me pouvoir imputer des erreurs. Ce qui est naturel est convenable à la nature de la chose, mais ce qui est nécessaire est essentiel, et ne sauroit être changé. Les feuilles viennent naturellement aux arbres, et ne laissent pas de tomber. Il est naturel que les méchans commettent des crimes, mais il n'est point nécessaire qu'ils les commettent. Il est naturel aussi à l'habitude de la vertu de produire de bonnes actions, ces actions en sont-elles moins libres? J'ai dit encore, »que chaque perception précédente »a de l'influence sur les suivantes, conformé»ment à une loi d'ordre, qui est dans les »perceptions comme dans les mouvemens.« La loi d'ordre exclut-elle la liberté? Dieu n'agit-il pas toujours suivant cette loi? Les perceptions confuses sont réglées comme les loix des mouvemens qu'elles représentent. Les mouvemens des corps sont expliqués par les causes efficientes, mais dans les perceptions distinctes de l'ame, où il y a de la liberté, paroissent encore les causes finales. Cependant il y a de l'ordre dans l'une de ces Séries, aussi-bien que dans l'autre. Je suis un peu surpris de ne rencontrer presque que des objections, qui n'en ont tout au plus que l'apparence.

Quatrième difficulté (p.235.) Le système nouveau, quand il seroit possible, n'est pas celui que Dieu a choisi, parce qu'il n'est pas digne de lui. Il se fait un dérèglement dans les esprits animaux d'un homme, causé par l'excès du vin. »Est»il vraisemblable (dit l'Auteur de l'objection) que »de pareilles extravagances ne soient que des suites »naturelles de la constitution de cette ame, et »qu'elle ne fasse en cela que se conformer aux loix, »que Dieu lui a données? Que cela fait honneur à »sa sagesse!« L'exclamation tombera, pour peu qu'on y pense. Lorsqu'il se fait un dérèglement dans les corps, il est naturel que nos perceptions confuses le représentent. D'ailleurs la nature du corps, et celle de l'ame sont corrompues; et suivant sa nature, l'ame ne se conforme pas toujours aux loix de Dieu: cette corruption est une suite de la liberté. En accuser le système nouveau, c'est le charger de tous les inconvéniens qui paroissent dans la nature des choses, et qui ont lieu, quelque système qu'on emploie. On pourra demander tout de même dans le système commun, pourquoi Dieu a créé le corps et l'ame en sorte qu'il y arrive des désordres par une influence de l'un sur l'autre, laquelle leur est naturelle suivant ce système. Et c'est bien pis dans le système des occasionnelles, où l'on ose dire, que ces désordres sont des suites immédiates des impressions continuelles de Dieu: c'est toujours demander en effet la cause du mal. L'Auteur de l'objection veut-il plaider pour les Manichéens, en niant que ces désordres, survenus dans les ouvrages de Dieu, fassent honneur à sa sagesse? Ne faut-il point convenir plutôt avec St. Augustin, que les désordres apparens sont corrigés par un plus grand ordre?

Je compte pour la cinquième difficulté, que l'Auteur revenant un peu après à contester la possibilité du nouveau système, nie que Dieu puisse faire un automate capable de faire sans la raison tout ce que l'homme fait avec la raison. Mr. Bayle le nioit de même: mais je m'étonne qu'on prétende de donner des bornes à la puissance, et à la sagesse de Dieu, et cela sans en apporter aucune preuve. Outre qu'il y a des exemples sans nombre de tels ouvrages de Dieu, qui font bien plus. Ce qui forme le foetus, est un automate dont l'artifice passe tout ce que les hommes peuvent faire par la raison: le plus beau poëme, ou tel autre ouvrage d'esprit que ce puisse être, n'en approche pas. Il est vrai que cela se fait par une préformation divine, mais il en est de même dans l'harmonie préétablie.

La sixième difficulté est, qu'il semble que les loix de l'harmonie ne sont point sages. Les êtres tendent à leur conservation; et cependant il y a des corps, les papillons par exemple, qui vont se bruler; il y a des ames qui se jettent dans des amertumes. Plaisante loi (dit-on) qui force une ame à quitter une bonne pensée lorsqu'elle est piquée par une aguille. Plaisante objection plutôt! L'Auteur ne s'aperçoit point qu'elle se peut faire contre tous les systèmes, et sur-tout contre le sien. Mr. Bayle a mieux fait de m'épargner les objections de cette nature, comme il déclara d'abord de vouloir faire. Veut-on blâmer Dieu pour avoir fait les choses de telle sorte, que les papillons se brulent en tendant à se chauffer, et pour avoir aussi assujetti nos ames en partie aux mouvemens des corps? Que cela se fasse par une influence journalière, ou par l'harmonie établie par avance, il est toujours conforme à la nature des choses. Et pourquoi veut-on que la nature de l'ame lui donne plus de perfection dans le nouveau système, que Dieu lui-même ne lui en donne immédiatement dans le système des occasionnelles? Et n'est il pas bien plus dur de dire, que Dieu par une action immédiate assujettit l'ame continuellement à un corps en désordre, que de dire que l'ame y est assujettie par sa nature corrompue? Si en vertu des loix de nature les corps se détruisent quelquefois, en tendant à se conserver, le nouveau système en est-il

plus responsable que les autres? Toujours on peut dire, que la sagesse de Dieu paroit mieux dans le système de l'harmonie, où tout est lié par des raisons prises de la nature des choses, que dans celui des occasionnelles, où tout est forcé par un pouvoir arbitraire.

La septième difficulté marque ce qui a le plus choqué l'habile Auteur des objections. C'est que je donne aux créatures une certaine nature agissante, une force, une énergie distinguée de la puissance de Dieu. Mais ne fais-je pas en cela ce que presque tous les Philosophes, tous les Pères, tous les Théologiens ont fait en tout tems? Et pour dire la vérité, je ne comprends rien dans le sentiment contraire. Si nous agissons, nous avons la puissance d'agir; si nous n'agissons pas, nous ne péchons pas non plus. Si le sentiment contraire étoit outré, il pourroit nous mener, sans y penser, à une doctrine dangereuse. Celui qui soutient que Dieu est le seul Acteur, pourra aisément se laisser aller jusqu'à dire avec un Auteur moderne fort décrié, que Dieu est l'unique substance, et que les créatures ne sont que des modifications passagères; car jusqu'ici rien n'a mieux marqué la substance, que la puissance d'agir.

Je compte pour la huitième difficulté, ce que l'Auteur dit sur les miracles. Il veut décharger son système de l'imputation des miracles, mais il n'explique pas bien ce que c'est que miracle. Mr. Bayle y a manqué de même. Selon eux, le miracle n'est qu'une exception des règles au loix générales, que Dieu a établies arbitrairement: ainsi Dieu s'étant fait une loi ou règle générale de vouloir toujours accorder le corps avec l'ame, ou l'ame avec le corps, il n'y a plus de miracle là-dedans; et dans se sens le miracle ne différeroit d'une autre action de Dieu, que par une dénomination externe, c'est-à-dire, par sa rareté. Mais je n'accorde point qu'une telle règle fût une loi de nature, ni que les loix générales de la nature soient purement arbitraires. Ce n'est pas une nécessité absolue, qui a porté Dieu à les établir; il y a été porté pourtant par quelque raison conforme à sa sagesse suprême, et par une certaine convenance avec la nature des choses. Ainsi le miracle n'est une exception de ces loix, que parce qu'il n'est pas explicable par la nature des choses. Et si Dieu avoit résolu de faire exister continuellement quelque évènement qui fût peu conforme avec cette nature, il n'en auroit point fait une loi de nature, mais il auroit résolu de faire un miracle perpétuel, et d'y mettre toujours la main lui-même, pour produire ce qui seroit au dessus des forces de la nature. Et c'est ce qui arriveroit dans le système des causes occasionnelles, si l'ame et le corps s'accordoient toujours, sans que leur nature, et ce qu'on y peut concevoir, les portât à s'accorder; c'est-à-dire, si l'automate du corps ne le portoit pas à faire ce que l'ame veut, et si la suite naturelle des perceptions confuses de l'ame ne la portoit pas à se représenter ce qui se passe dans le corps. Mais voici un exemple plus aisé, qui éclaircira encore mieux la différence qu'il y a entre une loi de nature, et une règle générale dont l'exécution demanderoit des miracles continuels. Si Dieu faisoit une loi qui portât que tout corps libre, ou qui n'est point empêché, dût tendre à aller de lui-même circulairement à l'entour d'un certain centre, et cela par conséquent sans qu'il fût possible de concevoir par quel moyen, et comment la chose se feroit: je dis que cette loi ne pourroit être exécutée que par des miracles continuels; n'étant point conforme à la nature du mouvement des corps, qui porte qu'un corps mu en ligne courbe, continue son mouvement dans la droite tangente, si rien ne l'en empêche. Une telle loi de mouvement circulaire ne seroit donc point naturelle, supposé que la nature du corps fût telle qu'elle est à présent. Ainsi il ne suffit pas pour éviter les miracles, que Dieu fasse une certaine loi, s'il ne donne point aux créatures une nature capable d'exécuter ses ordres: c'est comme si quelqu'un disoit, que Dieu a ordonné à la Lune de décrire librement dans l'air, ou dans l'éther un cercle à l'entour du globe de la terre, sans qu'il y ait ni Ange, ni intelligence qui la gouverne, ni orbe solide qui la porte, ni tourbillon ou orbe liquide qui l'entraine, ni pesanteur, magnetisme, ou autre cause explicable méchaniquement, qui l'empêche de s'éloigner de la terre, et de s'en aller par la tangente du cercle. Nier que ce fût là un miracle, ce seroit recourir aux qualités occultes absolument inexplicables, et décriées aujourd'hui avec beaucoup de raison.

LXX.

AD REVERENDISSIMUM

PATREM DES BOSSES EPISTOLAE DUAE.

1 7 0 9.

(Leibn. Opp. Ed. Dutens. Tom. II. P. 1. p. 286.)

EPISTOLA XIII.

Admodum Reverende Pater.

Significatum a me putabam D. Hartsoekeri conjecturas ad me rediisse. In eo est ut continuationes procudat; Vir clarissimus in Dioptricis non spernenda promittit. Cur de elementis cum eo certem, ratio nulla est, praesertim cum ad metaphysicas rationes deveniendum sit, de quibus illum judicem idoneum esse non puto. Praeterea nostra controversia non multum ad phaenomena faceret, non enim nostrae explicationis analysis ad elementa procedit. Typographum Leodiensem non est ut magnopere curemus. Interim multas tibi gratias debeo. In libello nihil a me defendi puto dogmatis, quod non et vestrum aliquis tueri possit; Protestantem tamen non dissimulo.

Equidem divino mandato producat terra insita rebus efficacia indicatur; non potuit tamen in illis fuisse ab initio creationis, etsi postea magis ad operationes disponeretur: novas animas tunc creari necesse non erat, cum veteres sufficerent. Brutum animatum esse demonstrari, ne quidem probari nequit, cum ne hoc quidem possit, alios homines non nudas machinas esse, quando in ipsorum mentes introspicere non possumus. Sed haec sunt moraliter certa, quemadmodum aliquas esse creaturas praeter me. Etsi ergo absoluta non sit necessitas, ut omne corpus organicum sit animatum, judicandum tamen est animae occasionem a Deo non neglectam, cum sapientia ejus producat quantum plurimum perfectionis potest.

Anima interne quidem sine corporum adminiculo operari potest, sed non extra. Semper tamen ejus actionibus internis externa in corporibus respondent. Equidem per miraculum a Deo anima constitui potest extra corpus; sed hoc non convenit ordini rerum. A primo passivo separata non faciet rem completam seu monada. Si tantum major gradus additur, nulla est nova animae infusio. Gradus ille essentialis seorsum subsistere non potest, neque est Entelechia, cum non sit principium actionis, sed tantum animae facultas. Constat inter Philosophos, facultatem sentiendi et ratiocinandi in nobis non facere diversas animas, sed eidem animae inesse; unde miror te hic haerere. Eandem materiam a duabus Entelechiis adaequate informari, non est cur dicamus. Gradum novum addi animae sensitivae congruentius putavi, quam animas rationales innumeras latere in seminibus quae non perveniant ad maturitatem humanae naturae. Si quis ostendat modum naturalem exaltationis, non dicam, hunc modum addi miraculose. Vides ergo haec a me dici per modum hypotheseos proferendae. Animam ex anima nasci, si id traducem appellas, explicabile non est, et longe absum ab his, qui talia concipiunt.

Etsi monadum loca per modificationes, seu terminationes partium spatii designentur, ipsae tamen monades non sunt rei continuae modificationes; massa, ejusque diffusio resultat ex monadibus, sed non spatium; nam spatium, perinde ac tempus, ordo est quidam, nempe (pro spatio coëxistendi) qui non actualia tantum, sed et possibilia complectitur. Unde indefinitum est quiddam; ut omne continuum cujus partes non sunt actu, sed pro arbitrio accipi possunt, aeque ut partes unitatis, seu fractiones. Si aliae essent in natura rerum subdivisiones corporum organicorum, aliae essent monades, alia massa, et idem foret spatium quod impleretur. Nempe spatium est continuum quoddam, sed ideale. Massa est discretum, nempe multitudo actualis, seu ens per aggregationem, sed ex unitatibus infinitis; in actualibus simplicia sunt anteriora aggregatis, in idealibus totum est prius parte. Hujus considerationis neglectus illum continuum labyrinthum peperit.

R. P. Dionysius Wertensis Capucinus paulo ante obitum ad me scripserat, et nescio quod videbatur moliri opus novum. Est quidam in Batavis Typographus vel Bibliopola, qui operam suam sub

praescripta eruditione obtulit, videbimus quo successu. Quod superest, vale et fave.

Hanoverae 31. Jul. 1709.

Godef. Guil. Leibnitius.

P. S. Cum prodiere Novissima mea Sinica olim, Romam missa sunt, et, credo, per Dn. Magliabecchium, ad Generalem Praepositum societatis vestrae pervenerunt, qui (si bene memini) etiam per hunc salutari me jussit. Ptolomaeo vestro viro summo me commendari peto. Ubi opusculum contra Baylium prodierit, judicia ejus submittam.

EPISTOLA XIV.

Admodum Reverende Pater, Fautor Honorande.

Etsi hoc mihi non tribuam, ut putem, sententiam meam de rebus Sinicis quicquam posse habere autoritatis, sperem tamen rationes non spernendas visum iri, et certe nihil praecipitandum videri in re non satis discussa. Gratias pro communicatione Decreti Sinensis. Displicet quod Sinenses Japonicae revolutionis notitiam habere video.

Gratum erit exemplum libri de spiritu novorum Augustini discipulorum, etsi interdum plus ostendat mordacitatis, quam aequitatis. Nempe Iliacos intra muros.

Quaero an tot animas in nobis ponere liceat, quot gradus essentiales: v. g. An tres animas habebimus, quia (ex vulgari saltem sententia) habemus vegetativae, sensitivae et rationalis perfectiones in eodem subjecto. Negabis opinor. Non ergo dicemus, dicto novo gradu essentiali, novam animam dari. Hos gradus appellare licebit facultates. Intelligo autem primitivas aliquo modo non invicem dependentes, ut sensitivitas est independens a rationalitate, etsi fortasse in creaturis non contra. Putem autem, gradus essentiales non nisi a Deo dari, et tolli posse: quod secus est in qualitatibus, seu derivativis. Ego alioqui non soleo curare has de entitatibus, seu abstractis, quaestiones. Dicerem tali casu substantiam, quae antea ratiocinari non poterat, nunc posse, idque non naturae vi, sed Dei. Dicis: »Si mentem tuam recte percipio, animae irrationalis in rationalem transcreatio, esset pro anima irrationali quae desiit, substituere rationalem:« sed vides ex dictis, hanc mentem meam non esse. Qui duplicem statuunt in nobis animam, velut Gassendistae, animam immaterialem brutis non tribuunt. Itaque illi nihil ad sententias meas. Si Paradoxum putas, hominem non posse sine miraculo generari, paradoxa etiam erit doctrina omnium vestrarum Scholarum, de creatione animae rationalis, et recurrendum erit ad ejus praeexistentiam. Nam si animae rationales in seminibus latent, talis tradux revera est praeexistentia. Quod si id malis, quam animas a Deo ex irrationalibus reddi rationales, adeo non repugno, ut potius faveam. Et sane aliquando cogitavi innumeras quidem animas sensitivas esse in seminibus humanis, ut omnium animalium; sed eas solas habere rationalitatem, etsi nondum se exerentem, quarum corpus organicum in id destinatum esset, ut aliquando sit humanum, quod jam in eo perspici posset a satis perspicaci. Ita transcreatione opus non erit.

Adscribam verba schediasmatis cujusdam mei Latini: »Propagatio contagii, a lapsu primorum parentum, in animas posterorum, non melius videtur explicari posse, quam statuendo, animas posterorum in Adamo non fuisse infectas, sed eas tunc in seminibus (aliquo modo jam organicis et viventibus) existentes, fuisse sensitivas tantum, donec in conceptu novissimo simul corpus aliquod seminale ad hominis formationem determinaretur, et anima sensitiva ad gradum rationalitatis eveheretur, sive is statuatur miraculose a Deo superaddi, sive in illis animabus seminalibus, quae ad humanitatem destinatae sunt, jam lateat, in actu signato, sed evolvatur demum et sese exerat, cum corpus organicum tali animae proprium, per ultimum conceptum, etiam in humanum partim evolvitur, partim transformatur, humano organismo etiam non nisi in harum animarum corporibus praestabilito, aliis infinitis animabus, animalculisque seminalibus, (si talia admittimus) vel certe praeformatis corporibus organicis viventibus, intra sensitivum naturae gradum subsistentibus, tam in actu signato, quam in exercito, ut scholae loquuntur. Erit ergo tradux quidam, sed paulo tractabilior quam quem Augustinus aliique viri egregii statuerunt; non animae ex anima (rejectus veteribus ut ex prudentia patet, nec naturae rerum consentaneus) sed animati ex animato.«

Massa nihil aliud est quam phaenomenon, ut Iris. Si Deus novam creet animam, vel Monada potius, et faciat priora organica coire in novum corpus organicum, non ideo auxerit massam, sed quantitatem phaenomeni, ut patet. Suspicor tamen hoc vix a Deo unquam fieri, cum nullam ejue necessitatem videam. Disputationes de his quas Deo possibilia sunt multis tricis obnoxiae sunt.

Quod de Eucharistia quaeris meum explicandi modum, respondeo apud nos nullum esse locum, nec transsubstantiationi, nec consubstantiationi panis, tantumque, pane accepto, simul percipi corpus Christi, ut adeo sola explicanda sit corporis Christi praesentia. Et jam Turnemino respondi, praesentiam esse aliquid metaphysicum, ut unionem: quod non explicatur per phaenomena; sed et quomodo transsubstantiatio vestra explicari possit in Philosophia mea, altior disquisitio foret. Si accidentia realia vultis restare sine subjecto, dicendum est, sublatis monadibus, panem constituentibus, quoad vires primitivas activas et passivas, substitutaque praesentia monadum corpus Christi constituentium, restare solum vires derivativas, quae in pane fuere, eadem phaenomena exhibentes quae monades panis exhibuissent.

Quod superest, Vale et Fave.

Dabam Hanoverae 8. Sept. 1709.

Deditissimus

Godef. Guil. Leibnitius.

LXXI.

COMMENTATIO DE ANIMA BRUTORUM.

1 7 1 0.

(G. G. Leibnitii Epistolae ad diversos etc. Ed. Kortholt. Lips. 1735. IV. Vol. 8vo — Vol. 1. p. 189. — Leibn. Opp. Ed. Dutens Tom. II. P. 1. p. 230.)

I. Materia in se sumta seu nuda constituitur per Antitypiam et Extensionem. Antitypiam voco illud attributum, per quod materia est in spatio. Extensio est continuatio per spatium, seu continua per locum diffusio. Atque ita, dum Antitypia continue per locum diffunditur seu extenditur, nec aliud quiddam ponitur; oritur materia in se, seu nuda.

II. Antitypiae modificatio seu varietas consistit in varietate loci. Extensionis modificatio consistit in varietate magnitudinis et figurae. Hinc patet, materiam esse aliquid mere passivum, quum attributa ejus earumque varietates nullam actionem involvant. Et quatenus in motu solum consideramus varietatem loci, magnitudinis et figurae; nihil ibi consideramus, nisi mere passivum.

III. Sed si actualem variationem superaddamus, seu ipsum principium motus, accedit aliquid praeter materiam nudam. Eodem modo patet, perceptionem non posse deduci ex materia nuda, quum in actione quadam consistat. Idem de perceptione speciatim hoc modo intelligi potest. Si nihil aliud organico adesset quam machina, id est, materia nuda, loci magnitudinis et figurae varietates habens; nihil aliud inde deduci et explicari posset, quam mechanismus, id est, tales, quales diximus varietates. Nam ex unaquaque re nude sumta nihil deduci et explicari potest, quam attributorum ejus constitutivorum varietates.

IV. Hinc etiam facile judicamus in molendino aliquo vel horologio nude sumto, nullum reperiri principium percipiens, quid in ipso fiat; et nihil refert, solida sint, an fluida, vel ex utrisque composita, quae in machina habentur. Porro scimus, inter corpora crassa et subtilia nullum esse discrimen essentiale, sed magnitudinis tantum. Unde sequitur, si concipi non potest, quomodo in aliqua machina crassa, utcumque ex fluidis aut solidis composita oriatur perceptio; etiam concipi non posse, quomodo perceptio ex machina subtiliore oriatur, nam si etiam sensus nostri subtiliores essent, res perinde foret, ac si machinam crassam perciperemus, ut nunc facimus. Itaque pro certo habendum est, ex solo mechanismo, seu materia nuda, ejusque modificationibus perceptionem explicari non posse, non magis, quam principium actionis et motus.

V. Et proinde admittendum est aliquid praeter materiam, quod sit tam principium perceptionis, seu actionis internae, quam motus, seu actionis externae. Et tale principium appellamus substantiale, item vim primitivam ἐντελέχειαν τὴν πρώ-

την, uno nomine animam, quod activum cum passivo conjunctum substantiam completam constituit. Patet autem, hoc principium non esse extensum, alioqui materiam involveret, contra hypothesin. Ostendimus enim esse aliquid materiae nudae superadditum. Ergo anima erit quoddam substantiale simplex non habens partes extra partes. Unde porro consequens est, Entelechiam primitivam naturaliter destrui non posse; quia omnis naturalis destructio in partium dissolutione consistit.

VI. Ex his sequitur vel bruta esse meras machinas, perceptionis expertes, ut statuunt Cartesiani; vel bruta habere animam indefectibilem. Sed quia aliunde, nempe ex natura motus ostensum est, in materia dispersas esse Entelechias primitivas, easque indefectibiles, quidni eis non tantum actionem motricem, sed et perceptionem tribuamus, ut scilicet pro animabus haberi possint, quando corporibus organicis sunt conjunctae. Idque confirmat ipsa rerum analogia. Quum enim in brutis omnia quoad perceptionem et sensum perinde se habeant, ac in homine, et natura uniformis sit in varietate sua, uniformis quoad principia, varia quoad modos: verosimile est brutis etiam perceptionem inesse; immo praesumuntur bruta perceptione praedita, donec contrarium probetur.

VII. Cartesiani ad negandam brutis perceptionem rationem adferunt, ex eo sumtam, quod ita brutis animae indefectibiles sint tribuendae. Sed hoc quod plerique inter eos pro absurdo habent, minime absurdum est, quemadmodum mox ostendemus, allata differentia inter animae brutorum indefectibilitatem, et animae humanae immortalitatem.

VIII. Sed res etiam argumento positivo et necessario probari potest ex eo, quod omnis Entelechia primitiva debet habere perceptionem. Nam omnis Entelechia prima habet variationem internam, secundum quam etiam variantur actiones externae. Sed perceptio nihil aliud est, quam illa ipsa repraesentatio variationis externae in interna. Quum ergo ubique dispersae sint per materiam Entelechiae primitivae, ut facile ostendi potest ex eo, quod principia motus per materiam sunt dispersa; consequens est, etiam animas ubique per materiam dispersas esse, pro organis operantes; et proinde etiam corpora brutorum organica anima praedita esse.

IX. Ex his porro intelligi potest, animas separatas naturaliter non dari, quum enim sint Entelechiae primitivae seu mere activae, opus habent aliquo principio passivo, per quod compleantur.

X. Sed, inquies, corpus organicum posse destrui. Respondeo, etsi destrueretur corpus aptum ad sensionem; non ideo tamen anima destrueretur, maneret enim massa animata et anima continuaret agere intus et extra, etsi minus perfecte, seu non cum sensione. Et talem perceptionem in somno profundo, apoplexia et aliis casibus retinemus, licet sensus cesset. Sensio enim est perceptio, quae aliquid distincti involvit, et cum attentione et memoria conjuncta est. Sed aggregatum confusum multarum perceptionum parvarum nihil eminentis habentium, quod attentionem excitet, stuporem inducit. Nec ideo tamen anima, aut vis sentiendi in ea foret inutilis, etsi nunc ab exercitio suspensa esset; quia cum tempore massa iterum evolvi et ad sensionem apta reddi posset, ut stupor ille cesset, prout oriuntur perceptiones magis distinctae, quando etiam corpus fit perfectius et magis ordinatum.

XI. Et quum hodie plurimi egregii observatores statuant, animalia jam ante conceptionem latere in seminibus, sub forma animalculorum insensibilium; ita ut generatio animalis nihil aliud sit, quam ejus evolutio et augmentatio, animalque nunquam naturaliter incipiat, sed tantum transformetur: ideo consentaneum est, ut quod naturaliter non incipit, etiam naturaliter non desinat; ita mors vicissim nihil aliud erit, quam animalis involutio et diminutio; dum a statione animalis magni ad statum animalculi redit.

XII. Porro ut in nobis intellectioni respondet voluntas, ita in omni Entelechia primitiva perceptioni respondet appetitus, seu agendi conatus ad novam perceptionem tendens Neque enim tantum in percipiente varietas objecti repraesentatur, sed etiam fit variatio ipsius repraesentationis, quia etiam repraesentandum variatur.

XIII. Interim ne hominem bruto nimis aequare videamus; sciendum est, immensum esse discrimen inter perceptionem hominum et brutorum. Nam praeter infimum perceptionis gradum, qui etiam in stupentibus reperitur, (ut explicatum est) et medium gradum, quem sensionem adpellamus, et in brutis agnoscimus, datur gradus quidam altior, quem adpellamus cogitationem. Cogitatio autem est perceptio cum ratione conjuncta, quam bruta, quantum observare possumus, non habent.

XIV. Quia autem ea res hactenus non bene explicata est, dum alii brutis etiam sensum auferunt; alii illis etiam rationem tribuunt, multaque exempla afferunt, in quibus bruta consequentias quasdam nectere videntur; sciendum est, duplices esse consecutiones toto coelo diversas, empiricas et rationales. Consequutiones empiricae nobis sunt communes cum brutis, et in eo consistunt, ut sentiens ea, quae aliquoties conjuncta fuisse expertum est,

rursus conjunctum iri expectet. Ita canes aliquoties vapulantes, si quid displicens fecerint, rursus verbera expectant, si idem faciant, atque ideo ab actione abstinent; quod cum infantibus habent commune. Et Americanus quidam putavit epistolam proditricem facinoris sui fuisse spectatricem, quia illi modi aliquid prodendi, qui ipsi noti erant, hoc ita ferebant. Sed quia saepe fit, ut talia tantum per accidens sint conjuncta, hinc saepe empirici decipiuntur, prorsus ut bruta; ut scilicet, quod expectant, non eveniat. Sic si cani aliquid facienti dem cibum, id quidem fit per accidens ob liberam voluntatem meam; ubi vero semel assuevit actioni, quam eum docere volui, non amplius ei do cibum, quum recte agit, etsi ille hoc initio adhuc expectet. Sic si quis Batavus navem conscendens in Asiam deferatur, et in aliquam Turcarum urbem delatus, ibi cerevisiam in taberna, ut domi suae quaerat, decipietur eodem modo; exspectabit enim aliquid a taberna, quod cum ea tantum per accidens conjunctum est, et non aeque in Asiaticis, ac in Batavis tabernis reperitur. At homo, quatenus non empirice sed rationaliter agit, non solis fidit experimentis, aut inductionibus particularium a posteriori, sed procedit a priori per rationes. Et quale est discrimen inter Geometram, aut Analyseos peritum et Arithmeticum aliquem vulgarem, pueros docentem, qui regulas arithmeticas memoriter didicit, sed rationem earum non novit, nec proinde in quaestionibus nonnihil a consueto recedentibus sibi consulere potest: tale est discrimen inter Empiricum et Rationalem, inter consecutionem bestiarum, et ratiocinationem humanam. Etiamsi enim multa exempla succedentia experiamur: nunquam tamen de perpetuo successu securi sumus, nisi rationes necessarias reperiamus, unde colligamus, rem aliter se habere non posse. Itaque bruta (quantum observare possumus) non cognoscunt universalitatem propositionum, quia non cognoscunt rationem necessitatis. Et licet aliquando Empirici per inductiones ducantur ad propositiones vere universales, id tamen per accidens tantum, non vi consecutionis contingit.

XV. Denique homo a Deo destinatur ad finem multo sublimiorem, nempe ad societatem cum ipso; et ideo (ob harmoniam regnorum naturae et gratiae) statuendum est, animas humanas, una cum organico quodam corpore conservari, non tantum eo modo, ut bruta; quae fortasse post mortem diu stupent; sed modo nobiliore, ut sensum et conscientiam retineant, poenaeque et praemii sint capaces.

LXXII.

EPISTOLA

AD

WAGNERUM DE VI ACTIVA CORPORIS,

DE ANIMA, DE ANIMA BRUTORUM.

1 7 1 0.

(Epp. ad divers. Ed. Kortholt Vol. 1. p. 197. — Leibn. Opp. Ed. Dutens Tom. II. P. 1. p. 226.)

I. Ad ea, quae de animae natura quaeris, lubens respondeo, quoniam ex dubio, quod moves, intelligo, mentem meam Tibi nondum satis perspectam esse, idque praejudicio quodam contigisse, hausto ex schediasmate meo, inserto Actis eruditorum, ubi de vi activa corporis, contra Cl. Sturmium egi. [1]) Ais, me ibi satis materiae vim activam vindicasse, et dum resistentiam materiae tribuo, eidem etiam

[1]) V. art. L. huj. ed.

tribuisse reactionem, atque adeo et actionem. Quum itaque ubique in materia sit principium activum, videri sufficere hoc principium ad operationes brutorum, nec illis anima quadam indefectibili opus esse.

II. Respondeo primo, principium activum non tribui a me materiae nudae sive primae, quae mere passiva est, et in sola antitypia et extensione consistit; sed corpori seu materiae vestitae sive secundae, quae praeterea Entelechiam primitivam seu principium activum continet. Respondeo secundo, resistentiam materiae nudae non esse actionem, sed meram passionem, dum nempe habet antitypiam, seu impenetrabilitatem, qua quidem resistit penetraturo, sed non repercutit, nisi accedat vis elastica; quae ex motu, adeoque et vi activa materiae superaddita, derivari debet. Respondeo tertio: Hoc principium activum, hanc Entelechiam primam, esse revera principium vitale, etiam percipiendi facultate praeditum, et indefectibile, ob rationes dudum a me allegatas. Idque ipsum est, quod in brutis pro anima ipsorum habeo. Itaque dum ubique in materia superaddita admitto principia activa, etiam ubique per eam disseminata statuo principia vitalia, seu percipientia, adeoque monades, et ut sic dicam, Atomos Metaphysicas, partibus carentes, nec unquam naturaliter orituras aut destruendas.

III. Quaeris deinde definitionem animae meam. Respondeo, posse animam sumi late et stricte. Late anima idem erit quod vita seu principium vitale, nempe principium actionis internae in re simplici seu monade existens, cui actio externa respondet. Isque corresponsus interni et externi seu repraesentatio externi in interno, compositi in simplice, multitudinis in unitate, revera perceptionem constituit. At hoc sensu anima non tantum animalibus, sed et omnibus aliis percipientibus tribuetur. Stricte anima sumitur pro specie vitae nobiliore, seu pro vita sensitiva, ubi non nuda est facultas percipiendi, sed et praeterea sentiendi, quando nempe perceptioni adjungitur attentio et memoria. Quemadmodum vicissim mens est species animae nobilior, nempe mens est anima rationalis, ubi sensioni accedit ratio seu consequutio ex universalitate veritatum. Ut ergo mens est anima rationalis, ita anima est vita sensitiva, et vita est principium perceptivum. Ostendi autem exemplis et rationibus, non omnem perceptionem esse sensionem, sed dari perceptionem etiam insensibilium. Ex. gr. non possem sentire viride, nisi perciperem caeruleum et flavum, ex quibus resultat. Interim caeruleum et flavum non sentio, nisi forte microscopium adhibeatur.

IV. Memineris autem, ex sententia mea, non tantum omnes Vitas, omnes Animas, omnes Mentes, omnes Entelechias primitivas esse perennes, sed etiam omni Entelechiae primitivae, seu omni principio vitali perpetuo adjunctam esse quandam naturae machinam, quae nobis corporis organici nomine venit, licet ea machina etiam quum figuram suam summatim conservat, in fluxu consistat, perpetuoque reparetur, ut navis Thesei. Neque adeo certi simus vel minimam materiae in nativitate a nobis acceptae particulam in corpore nostro superesse, licet etiam eadem machina subinde plane transformetur, augeatur, diminuatur, involvatur aut evolvatur. Itaque non tantum anima est perennis, sed etiam aliquod animal semper superest, etsi certum aliquod animal perenne dici non debeat, quia species animalis non manet; quemadmodum eruca et papilio idem animal non est, etsi eadem sit anima in utroque. Habet igitur hoc omnis naturae machina, ut nunquam sit plane destruibilis, cum crasso tegumento utcunque dissipato, semper machinula nondum destructa subsit, instar vestium Arlequini comici, cui post multas tunicas exutas, semper adhuc nova supererat. Quod eo minus mirari debemus; quia natura ubique organica est, et a sapientissimo autore, ad certos fines ordinata, nihilque in natura incultum censeri debet, etsi interdum non nisi rudis massa nostris sensibus appareat. Ita igitur eximus omnes difficultates, quae ex natura animae prorsus ab omni materia separatae nascuntur, ita ut revera anima animalve ante nativitatem aut post mortem ab anima aut animali vitam praesentem vivente, non nisi rerum habitu et perfectionum gradibus, non vero toto entium genere differat. Idemque de Geniis sentio, esse mentes corpore valde penetrante, et ad operandum apto, praeditas: quod fortasse pro lubitu mutare possunt, unde etiam animalia appellari non merentur. Itaque omnia in natura sunt analogica, et facile ex crassis subtilia intelligi possunt, quum utraque eodem modo se habeant. Solus Deus substantia est vere a materia separata, quum sit actus purus, nulla patiendi potentia praeditus, quae ubicunque est, materiam constituit. Et vero omnes substantiae creatae habent antitypiam, per quam fit naturaliter, ut una sit extra alteram, adeoque penetratio excludatur.

V. Etsi autem principia mea sint generalissima, nec minus in homine quam in brutis locum habeant, mirifice tamen prae brutis eminet homo, et ad Genios accedit, quia ob rationis usum societatis cum Deo, atque adeo praemii et poenae in divina gubernatione est capax. Itaque non tantum vitam et animam, ut bruta, sed et conscientiam sui, et memoriam pristini status, et ut verbo dicam, personam servat. Nec tantum physice, sed etiam moraliter est immortalis: unde stricto sensu soli Humanae Animae immortalitas tribuitur. Nam nisi sciret

27. Unde patet, voluntates etiam antecedentes non omnino irritas esse, sed efficaciam suam habere; qui etsi effectus earum obtinetur, non semper sit plenus, sed per concursum aliarum voluntatum antecedentium restrictus. At voluntas decretoria, ex omnibus inclinatoriis resultans, semper plenum effectum sortitur, quoties potentia non deest in volente: quemadmodum certe in Deo deesse nequit. Nempe in sola voluntate decretoria locum habet Axioma: qui potest et vult, ille facit; quippe cum eo ipso scientiam requisitam ad agendum sub potentia comprehendendo, jam nihil intus extraque actioni deesse ponatur. Neque vero aliquid felicitati perfectionique volentis Dei decedit, dum non omnis ejus voluntas effectum plenum sortitur: quia enim bona non vult, nisi pro gradu bonitatis, quae in unoquoque est; tum maxime ejus voluntati satisfit, cum optimum resultans obtinetur.

28. Posterior Voluntatis divisio est in productivam circa proprios actus, et permissivam circa alienos. Quaedam enim interdum permittere licet, (id est, non impedire) quae facere non liçet, velut peccata, de quo mox. Et permissivae voluntatis objectum proprium non id est, quod permittitur, sed permissio ipsa.

29. Hactenus de Voluntate, nunc de Ratione Volendi, seu Bono et Malo. Utrumque triplex est, Metaphysicum, Physicum et Morale.

30. Metaphysicum generatim consistit in rerum etiam non intelligentium perfectione et imperfectione. Liliorum campi et passerum curam a Patre coelesti geri Christus dixit, et brutorum animantium rationem Deus habet apud Jonam.

31. Physicum accipitur speciatim de substantiarum intelligentium commodis et incommodis, quo pertinet malum poenae.

32. Morale de earum actionibus virtuosis et vitiosis, quo pertinet malum culpae: et malum physicum hoc sensu a morali oriri solet, etsi non semper in iisdem subjectis; sed haec tamen, quae videri possit aberratio, cum fructu corrigitur, ut innocentes nollent passi non esse. add. infra §. 55.

33. Deus vult bona per se antecedenter ad minimum; nempe tam rerum perfectiones in universum, quam speciatim substantiarum intelligentium omnium felicitatem et virtutem, et unumquodque bonorum pro gradu suae bonitatis, ut jam dictum est.

34. Mala, etsi non cadant in voluntatem Dei antecedentem, nisi quatenus ea ad remotionem eorum tendit, cadunt tamen interdum, sed indirecte in consequentem: quia interdum majora bona ipsis remotis obtineri non possunt, quo casu remotio malorum non plane perducitur ad effectum, et consistens intra voluntatem antecedentem, non prorumpit in consequentem. Unde Thomas de Aquino post Augustinum non incommode dixit, Deum permittere quaedam mala fieri, ne multa bona impediantur.

35. Mala Metaphysica et Physica, (veluti imperfectiones in rebus, et mala poenae in personis) interdum fiunt bona subsidiata, tanquam media ad majora bona.

36. At malum morale, seu malum culpae, nunquam rationem medii habet, neque enim (Apostolo monente) facienda sunt mala, ut eveniant bona; sed interdum tamen rationem habet conditionis, quam vocant, sine qua non, sive colligati et concomitantis; id est, sine quo bonum debitum obtineri nequit; sub bono autem debito etiam privatio mali debita continetur. Malum autem admittitur non ex principio necessitatis absolutae, sed ex principio convenientiae. Rationem enim esse oportet, cur Deus malum permittat potius, quam non permittat: ratio autem divinae voluntatis non, nisi a bono, sumi potest.

37. Malum etiam culpae nunquam in Deo objectum est voluntatis productivae, sed tantum aliquando permissivae; quia ipse nunquam peccatum facit, sed tantum ad summum aliquando permittit.

38. Generalis autem Regula est permittendi peccati, Deo hominique communis, ut nemo permittat peccatum alienum, nisi impediendo ipsemet actum pravum exerciturus esset. Et, ut verbo dicam, peccatum permitti nunquam licet, nisi cum debet, de quo distinctius infra §. 66

39. Deus itaque inter objecta voluntatis habet optimum, ut finem ultimum; sed bonum ut qualemcumque, etiam subalternum, res vero indifferentes, itemque mala poenae saepe ut media; at malum culpae non nisi ut rei alioqui debitae conditionem sine qua non; eo sensu, quo Christus dixit oportere, ut scandala existant.

40. Hactenus de magnitudine et de bonitate separatim ea diximus, quae praeparatoria hujus Tractationis videri possunt; nunc agamus de pertinentibus ad utramque junctim. Communia ergo

magnitudinis et bonitatis hic sunt, quae non ex sola bonitate, sed etiam ex magnitudine, (id est, sapientia et potentia) proficiscuntur: facit enim magnitudo, ut bonitas effectum suum consequatur. Et bonitas refertur vel ad creaturas in universum, vel speciatim ad intelligentes. Priore modo cum magnitudine constituit providentiam in Universo creando et gubernando; posteriore, justitiam in regendis speciatim substantiis ratione praeditis.

41. Quia bonitatem Dei, in creaturis sese generatim exerentem, dirigit sapientia; consequens est, providentiam divinam sese ostendere in tota serie Universi; dicendumque, Deum ex infinitis possibilibus seriebus rerum elegisse optimam; eamque adeo esse hanc ipsam, quae actu existit. Omnia enim in Universo sunt harmonica inter se, nec sapientissimus, nisi omnibus perspectis, decernit, atque adeo non, nisi de toto. In partibus, singulatim sumtis, voluntas praevia esse potest, in toto decretoria intelligi debet.

42. Unde adcurate loquendo, non opus est ordine Decretorum divinorum; sed dici potest, unicum tantum fuisse Decretum Dei, ut haec scilicet series rerum ad existentiam perveniret; post quam scilicet omnia, seriem ingredientia, fuere considerata, et cum rebus, alias series ingredientibus comparata.

43. Itaque etiam Decretum Dei est immutabile, quia omnes rationes, quae ei objici possunt, jam in considerationem venere: sed hinc non alia oritur necessitas, quam consequentiae, seu quam hypotheticam vocant, ex supposita scilicet praevisione et praeordinatione; nulla autem subest necessitas absoluta, seu consequentis; quia alius etiam rerum ordo possibilis erat, et in partibus, et in toto; Deusque, contingentium seriem eligens, contingentiam eorum non mutavit.

44. Neque ob rerum certitudinem preces laboresque fiunt inutiles ad obtinenda futura, quae desideramus. Nam in hujus seriei rerum, tanquam possibilis, repraesentatione apud Deum, antequam scilicet decerni intelligeretur, utique et preces in ea (si eligeretur) futurae, et aliae effectuum in ea comprehendendorum causae, inerant, et ad electionem seriei, adeoque et ad eventus in ea comprehensos, ut par erat, valuere. Et quae nunc movent Deum ad agendum aut permittendum, jam tum eum moverunt ad decernendum, quid acturus esset aut permissurus.

45. Atque hoc jam supra monuimus, res ex divina praescientia et providentia esse determinatas, non absolute, seu, quidquid agas, aut non agas, sed per suas causas rationesque. Itaque sive quis preces, sive studium et laborem inutiles diceret, incideret in sophisma, quod jam veteres ignavum adpellabant. add. infra, §. 106. 107.

46. Sapientia autem infinita Omnipotentis, bonitati ejus immensae juncta, fecit, ut nihil potuerit fieri melius, omnibus computatis, quam quod a Deo est factum; atque adeo, ut omnia sint perfecte harmonica, conspirentque pulcherrime inter se: causae formales, seu animae, cum causis materialibus, seu corporibus; causae efficientes, seu naturales, cum finalibus, seu moralibus; regnum gratiae cum regno naturae.

47. Et proinde, quotiescunque aliquid reprehensibile videtur in operibus Dei, judicandum est, id nobis non satis nosci; et sapientem, qui intelligeret, judicaturum, ne optari quidem posse meliora.

48. Unde porro sequitur nihil esse felicius, quam tam bono Domino servire, atque adeo Deum super omnia esse amandum, eique penitus confidendum.

49. Optimae autem seriei rerum (nempe hujus ipsius) eligendae maxima ratio fuit Christus Θεάνθρωπος, sed qui, quatenus creatura est ad summum provecta, in ea serie nobilissima contineri debebat, tanquam Universi creati pars, immo caput, cui omnis tandem potestas data est in coelo et in terra, in quo benedici debuerunt omnes gentes, per quem omnis creatura liberabitur a servitute corruptionis, in libertatem gloriae filiorum Dei.

50. Hactenus de Providentia, nempe generali: porro bonitas, relata speciatim ad creaturas intelligentes, cum sapientia conjuncta, Justitiam constituit, cujus summus gradus est Sanctitas. Itaque tam lato sensu justitia non tantum jus strictum, sed et aequitatem, atque adeo et misericordiam laudabilem comprehendit.

51. Discerni autem justitia generatim sumta potest in justitiam specialius sumtam et sanctitatem. Justitia specialius sumta versatur circa bonum malumque physicum, aliorum nempe intelligentium; sanctitas circa bonum malumque morale.

52. Bona malaque physica eveniunt tam in hac vita, quam in futura. In hac vita multi queruntur in universum, quod humana natura tot malis exposita est, parum cogitantes, magnam eorum partem ex culpa hominum fluere, et revera non satis grate agnosci divina in nos beneficia, magisque adtentionem ad mala, quam ad bona nostra, verti.

53. Aliis displicet inprimis, quod bona malaque physica non sunt distributa secundum bona malaque moralia, seu quod saepe bonis est male, malis est bene.

54. Ad has querelas duo responderi debent: unum, quod Apostolus adtulit; non esse condignas adflictiones hujus temporis ad futuram gloriam, quae revelabitur in nobis; alterum, quod pulcherrima comparatione Christus ipse subgessit, nisi granum frumenti, cadens in terram, mortuum fuerit, fructum non feret.

55. Itaque non tantum large compensabuntur adflictiones, sed et inservient ad felicitatis augmentum, nec tantum prosunt haec mala, sed et requiruntur, Add. §. 32.

56. Circa futuram vitam gravior adhuc est difficultas: nam objicitur, ibi quoque bona longe vinci a malis, quia pauci sunt electi. Origenes quidem aeternam damnationem omnino sustulit; quidam veterum paucos saltem aeternum damnandos credidere, quorum in numero fuit Prudentius; quibusdam placuit, omnem Christianum tandem salvatum iri, quorsum aliquando inclinasse visus est Hieronymus.

57. Sed non est, cur ad haec paradoxa et rejicienda confugiamus: Vera responsio est, totam amplitudinem regni coelestis non esse ex nostra cognitione aestimandam; nam tanta esse potest beatorum per divinam visionem gloria, ut mala damnatorum omnium comparari huic bono non possint, et Angelos beatos incredibili multitudine agnoscit Scriptura; et magnam creaturarum varietatem ipsa nobis aperit natura, novis inventis illustrata; quod facit, ut commodius, quam Augustinus et alii veteres, praevalentiam boni prae malo tueri possimus.

58. Nempe Tellus nostra non est, nisi satelles unius Solis, et tot sunt Soles, quot stellae fixae; et credibile est, maximum esse spatium trans omnes fixas Itaque nihil prohibet, vel Soles vel maxime regionem trans Soles, habitari felicibus creaturis. Quanquam et Planetae esse possint, aut fieri, ad instar Paradisi, felices. In domo Patris nostri multas esse mansiones, de coelo beatorum proprie Christus dixit, quod Empyreum vocant Theologi quidam, et trans sidera, seu soles, collocant, etsi nihil certi de loco beatorum adfirmari possit; interim et in spectabili mundo multas creaturarum rationalium habitationes esse verisimile judicari potest, alias aliis feliciores.

59. Itaque argumentum a multitudine damnatorum non est fundatum, nisi in ignorantia nostra, unaque responsione dissolvitur, quam supra innuimus; si omnia nobis perspecta forent, adpariturum, ne optari quidem posse meliora, quam quae fecit Deus. Poenae etiam damnatorum ob perseverantem eorum malitiam perseverant; unde insignis Theologus, Jo. Fechtius, in eleganti Libro de Statu damnatorum, eos bene refutat, qui in futura vita peccata poenam demereri negant, quasi justitia, Deo essentialis, cessare unquam posset.

60. Gravissimae tandem sunt difficultates circa Sanctitatem Dei, seu circa perfectionem ad bona malaque moralia aliorum relatam, quae cum amare virtutem, odisse vitium, etiam in aliis facit, et ab omni peccati labe atque contagione quam maxime removet; et tamen passim scelera regnant in medio potentissimi Dei imperio. Sed quidquid hoc est difficultatis, divini luminis auxilio etiam in hac vita ita superatur, ut pii, et Dei amantes, sibi, quantum opus est, satisfacere possint.

61. Objicitur nempe Deum nimis concurrere ad peccatum, hominem non satis. Deum autem nimis concurrere ad malum morale physice et moraliter, voluntate et productiva et permissiva peccati.

62. Concursum moralem locum habiturum observant, etsi Deus nihil conferret agendo ad peccatum, saltem dum permitteret, seu non impediret, cum posset.

63. Sed revera Deum concurrere moraliter et physice simul: quia non tantum non impedit peccantes, sed etiam quodammodo adjuvat, vires ipsis occasionesque praestando. Unde phrases Scripturae Sacrae, quod Deus induret incitetque malos.

64. Hinc quidam inferre audent, Deum vel utroque, vel certe alterutro modo, peccati complicem, immo auctorem esse; atque adeo divinam sanctitatem, justitiam, bonitatem evertunt.

65. Alii malunt divinam omniscientiam et omnipotentiam, verbo, magnitudinem, labefactare; tanquam aut nesciret minimeve curaret mala, aut malorum torrenti obsistere non posset. Quae Epicureorum, Manichaeorumve, sententia fuit: cui cognatum aliquid, etsi alio mitiore modo, docent Sociniani, qui recte quidem cavere volunt, ne divinam Sanctitatem polluant, sed non recte alias Dei perfectiones deserunt.

66. Ut primum ad Concursum Moralem permittentis respondeamus, prosequendum est, quod supra dicere coepimus, permissionem peccati esse licitam, (seu moraliter possibilem) cum debita (seu moraliter necessaria) invenitur: scilicet cum non potest peccatum alienum impediri sine propria offensa, id est, sine violatione ejus, quod quis aliis, vel sibi, debet. Exempli gratia, miles in statione locatus, tempore praesertim periculoso, ab ea decedere non debet, ut duos amicos, inter se duellum parantes, a pugnando avertat. Add. supra §. 36. Deberi autem aliquid apud Deum intelligimus non humano more, sed θεο-

πρεπῶς, quando aliter suis perfectionibus derogaret.

67. Porro, si Deus optimam Universi seriem, (in qua peccatum intercurrit) non elegisset, admisisset aliquid pejus omni creaturarum peccato; nam propriae perfectioni, et, quod hinc sequitur, alienae etiam, derogasset: divina enim perfectio a perfectissimo eligendo discedere non debet, cum minus bonum habeat rationem mali. Et tolleretur Deus, tollerentur omnia, si Deus vel laboràret impotentia, vel erraret intellectu, vel laberetur voluntate.

68. Concursus ad peccatum physicus fecit, ut Deum peccati causam auctoremque constituerent quidam; ita malum culpae etiam objectum productivae in Deo voluntatis foret: ubi maxime insultant nobis Epicurei et Manichaei. Sed hic quoque Deus, mentem illustrans, sui est vindex in anima pia et veritatis studiosa. Explicabimus igitur, quid sit, Deum concurrere ad peccati materiale, seu, quod in malo bonum est, non ad formale.

69. Respondendum est scilicet, nihil quidem perfectionis et realitatis pure positivae esse in creaturis, earumque actibus bonis malisque, quod non Deo debeatur; sed imperfectionem actus in privatione consistere, et oriri ab originali limitatione creaturarum, quam jam tum in statu purae possibilitatis (id est, in regione veritatum aeternarum, seu ideis divino intellectui obversantibus) habent ex essentia sua: nam quod limitatione careret, non creatura, sed Deus foret. Limitata autem dicitur creatura, quia limites seu terminos, suae magnitudinis, potentiae, scientiae, et cujuscumque perfectionis, habet. Ita fundamentum mali est necessarium, sed ortus tamen contingens; id est, necessarium est, ut mala sint possibilia, sed contingens est, ut mala sint actualia: non contingens autem per harmoniam rerum a potentia transit ad actum, ob convenientiam cum optima rerum serie, cujus partem facit.

70. Quod autem de privativa mali constitutione, post Augustinum, Thomam, Lubinum, aliosque veteres et recentiores, adserimus, quia multis vanum, aut certe perobscurum habetur; ita declarabimus ex ipsa rerum natura, ut nihil solidius esse adpareat: adhibentes in similitudinem sensibile quiddam et materiale, quod etiam in privativo consistit, cui inertiae corporum naturalis nomen Keplerus, insignis naturae indagator, imposuit.

71. Nimirum (ut facili exemplo utamur) cum flumen naves secum defert, velocitatem illis imprimit, sed ipsarum inertia limitatam, ut, quae (caeteris paribus) oneratiores sunt, tardius ferantur. Ita fit, ut celeritas sit a flumine, tarditas ab onere; positivum a virtute impellentis, privativum ab inertia impulsi.

72. Eodem plane modo Deum dicendum est creaturis perfectionem tribuere, sed quae receptivitate ipsarum limitetur: ita bona erunt a divino vigore, mala a torpore creaturae.

73. Sic defectu adtentionis saepe errabit intellectus, defectu alacritatis saepe refringetur voluntas; quoties mens, cum ad Deum usque, seu ad summum bonum, tendere debeat, per inertiam creaturis adhaerescit.

74. Hucusque iis responsum est, qui Deum nimis ad malum concurrere putant: nunc illis satisfaciemus, qui hominem ajunt concurrere non satis, aut non satis culpabilem esse in peccando, ut scilicet rursus adcusationem in Deum refundant. Id ergo probare contendunt Antagonistae tum ex imbecillitate humanae Naturae, tum ex defectu divinae Gratiae, ad juvandam nostram naturam necessariae; itaque in natura hominis spectabimus tum corruptionem, tum et reliquias imaginis divinae ex statu integritatis.

75. Corruptionis humanae considerabimus porro tum ortum, tum et constitutionem. Ortus est tum a lapsu Protolapsorum, tum a contagii propagatione. Lapsus spectanda est causa et natura.

76. Causa Lapsus, cur homo scilicet lapsus sit, sciente Deo, permittente, concurrente, non quaerenda est in quadam despotica Dei potestate, quasi justitia vel sanctitas adtributum Dei non esset; quod in effectu verum foret, si nulla apud eum juris et recti ratio haberetur.

77. Neque quaerenda est lapsus causa in quadam Dei ad bonum malumque, justum et injustum, indifferentia, quasi haec ipso pro arbitrio constituisset; quo posito sequeretur, quidvis ab eo constitui posse, pari jure aut ratione, id est, nulla; quod rursus omnem justitiae, atque etiam sapientiae, laudem in nihilum redigeret, siquidem ille nullum delectum haberet in suis actionibus, aut delectus fundamentum.

78. Neque etiam in voluntate quadam Deo adficta, minime sancta, minimeque amabili, causa lapsus ponenda est: tanquam nihil aliud, quam magnitudinis suae gloriam, spectans, bonitatisque exors, crudeli misericordia miseros fecerit, ut esset, quorum misereretur; et perversa justitia peccantes voluerit, ut essent, quos puniret; quae omnia tyrannica, et a vera gloria perfectioneque alienissima, sunt, cujus decus non tantum ad magnitudinem, sed etiam ad bonitatem, refertur.

79. Sed vera radix lapsus est in imperfectione seu imbecillitate creaturarum originali, quae faciebat, ut peccatum optimae seriei rerum possibili inesset, de quo supra. Unde jam factum est, ut lapsus, non obstante divina virtute et sapientia, recte permittetur, immo his salvis non posset non permitti.

80. Natura lapsus non ita concipienda est cum Baelio, quasi Deus Adamum in poenam peccati condemnaverit ad porro peccandum cum posteritate, eique (exsequendae sententiae causa) peccaminositatem infuderit; cum potius ipsa vi primi peccati, velut physico nexu, consecuta sit peccaminositas, quemadmodum ex ebrietate multa alia peccata nascuntur.

81. Sequitur Propagatio contagii, a lapsu Protoplastorum orti, perveniens in animas posterorum. Ea non videbitur commodius explicari posse, quam statuendo, animas posterorum in Adamo jam fuisse infectas. Quod ut intelligatur rectius, sciendum est ex recentiorum observatis rationibusque adparere, animalium et plantarum formationem non prodire ex massa quadam confusa, sed ex corpore jam nonnihil praeformato in semine latente, et dudum animato. Unde consequens est, vi benedictionis divinae et primaevae, omnium viventium rudimenta quaedam organica, (et pro animalibus quidem, animalium licet imperfectorum forma) animasque quodammodo ipsas dudum in Protoplasto cujusque generis extitisse; quae sub tempore omnia evolverentur. Sed animas animantiaque seminum, in humanis corporibus destinatorum, cum caeteris animalculis seminalibus talem destinationem non habentibus, intra gradum naturae sensitivae substitisse dicendum est, donec per ultimam conceptionem a caeteris discernerentur, simulque corpus organicum ad figuram humanam disponeretur, et anima ejus ad gradum rationalitatis (ordinaria an extraordinaria Dei operatione non definio) eveheretur.

82. Unde etiam adparet, non statui quidem rationalitatis praexistentiam, censeri tamen posse, in praeexistentibus praestabilita jam divinitus et praeparata esse proditura aliquando, non organismum tantum humanum, sed et ipsam rationalitatem, signato, ut sic dicam, actu exercitum praeveniente; simulque et corruptionem animae, etsi nondum humanae, lapsu Adami inductam, postea accedente rationalitatis gradu, demum in peccaminositatis originalis vim transisse. Caeterum adparet ex novissimis inventis, a solo patre animans animamque esse, at a matre in conceptu velut indumentum, (ovuli forma, ut arbitrantur) incrementumque ad novi corporis organici perfectionem necessarium praeberi.

83. Ita tolluntur difficultates, tum Philosophicae de origine formarum et animarum, animaeque immaterialitate, adeoque impartiabilitate, quae facit, ut anima ex anima nasci non poss

84. Tum Theologicae de animarum corruptione, ne anima rationalis pura, vel praeexistens, vel noviter creata, in massam corruptam, corrumpenda et ipsa, intrudi a Deo dicatur.

85. Erit ergo Tradux quidam, sed paullo tractabilior, quam ille, quem Augustinus, aliique Viri egregii, statuerunt, non animae ex anima (rejectus veteribus, ut ex Prudentio patet, nec naturae rerum consentaneus) sed animati ex animato.

86. Hactenus de causa, nunc de natura et constitutione corruptionis nostrae: ea consistit in peccato originali et derivativo. Peccatum originale tantam vim habet, ut homines reddat in naturalibus debiles, in spiritualibus mortuos ante regenerationem; intellectu ad sensibilia, voluntate ad carnalia versis; ita ut natura filii irae simus.

87. Interim Baelio, aliisque adversariis divinam benignitatem impugnantibus, aut saltem per objectiones quasdam suas obnubilantibus, concedere non oportet, eos qui soli peccato originali obnoxii sine actuali ante sufficientem rationis usum moriuntur (veluti infantes ante baptismum et extra Ecclesiam decedentes) necessario aeternis flammis addici: tales enim clementiae Creatoris relinqui praestat.

88. Qua in re etiam Johannis Hulsemanni, Johannis Adami Osiandri, aliorumque nonnullorum insignium Augustanae Confessionis Theologorum moderationem laudo, qui subinde huc inclinarunt.

89. Neque etiam extinctae sunt penitus scintillae imaginis divinae, de quibus paulo post; sed per gratiam Dei praevenientem etiam ad spiritualia rursus excitari possunt: ita tamen, ut sola gratia conversationem operetur.

90. Sed nec originale peccatum corruptam generis humani massam a Dei benevolentia universali penitus alienam reddit. Nam nihilominus sic Deus dilexit mundum, licet in malo jacentem, ut Filium suum unigenitum pro hominibus daret.

91. Peccatum derivativum duplex est, actuale et habituale, in quibus consistit exercitium corruptionis, ut scilicet haec gradibus modificationibusque variet, varieque in actiones prorumpat.

92. Et actuale quidem consistit tum in actionibus internis tantum, tum in electionibus compositis ex internis et externis; et est tum commis-

sionis, tum omissionis; et tum culposum ex naturae infirmitate, tum et malitiosum ex animae pravitate.

93. *Habituale* ex actionibus malis vel crebris vel certe fortibus oritur, ob impressionum multitudinem vel magnitudinem. Et ita habitualis malitia aliquid originali corruptioni pravitatis addit.

94. Haec tamen peccati servitus, etsi sese per omnem irregeniti vitam diffundat, non eo usque extendenda est, tanquam nullae unquam irregenitorum actiones sint vere virtuosae, imo nullae innocentes, sed semper formaliter peccaminosae.

95. Possunt enim etiam irregeniti in civilibus agere aliquando amore virtutis et boni publici, impulsuque rectae rationis, imo et intuitu Dei, sine admixta aliqua prava intentione ambitionis, commodi privati, aut affectus carnalis.

96. Semper tamen ex radice infecta procedunt quae agunt, et aliquid pravi (etsi interdum habitualiter tantum) admiscetur.

97. Caeterum haec corruptio depravatioque humana, quantacunque sit, non ideo tamen hominem excusabilem reddit, aut a culpa eximit, tanquam non satis sponte libereque agat: supersunt enim *reliquiae divinae imaginis*, quae faciunt, ut justitia Dei in puniendis peccatoribus salva maneat.

98. Reliquiae divinae imaginis consistunt tum in lumine innato intellectus, tum etiam in libertate congenita voluntatis. Utrumque ad virtuosam vitiosamque actionem necessarium est, ut scilicet sciamus velimusque, quae agimus; et possimus etiam ab hoc peccato, quod committimus, abstinere, si modo satis studii adhibeamus.

99. *Lumen innatum* consistit tum in ideis incomplexis, tum in nascentibus inde notitiis complexis. Ita fit ut Deus et lex Dei aeterna inscribantur cordibus nostris, etsi negligentia hominum et affectibus sensualium saepe obscurentur.

100. Probatur autem hoc lumen contra quosdam nuperos Scriptores, tum ex Scriptura Sacra, quae cordibus nostris Legem Dei inscriptam testatur, tum ex ratione, quia veritates necessariae ex solis principiis menti insitis, non ex inductione sensuum, demonstrari possunt. Neque enim inductio singularium unquam necessitatem universalem infert.

101. *Libertas* quoque in quantacunque humana corruptione salva manet, ita ut homo, etsi haud dubie peccaturus sit, nunquam tamen necessario committat hunc actum peccandi, quem committit.

102. Libertas exempta est tam a necessitate, quam a coactione. *Necessitatem* non faciunt futuritio veritatum, nec praescientia et praeordinatio Dei, nec praedispositio rerum.

103 *Non futuritio*: licet enim futurorum contingentium sit determinata veritas, certitudo tamen objectiva, seu infallibilis determinatio veritatis, quae illis inest, minime necessitati confundenda est.

104. *Nec praescientia aut praeordinatio Dei necessitatem imponit*, licet ipsa quoque sit infallibilis. Deus enim vidit res in serie possibilium ideali, quales futurae erant, et in iis hominem libere peccantem; neque hujus seriei decernendo existentiam, mutavit rei naturam, aut quod contingens erat, necessarium fecit.

105. Neque etiam *praedispositio rerum*, aut causarum series nocet libertati. Licet enim nunquam quicquam eveniat, quin ejus ratio reddi possit, neque ulla unquam detur indifferentia aequilibrii, (quasi in substantia libera et extra eam omnia ad oppositum utrumque se aequaliter unquam haberent:) cum potius semper sint quaedam praeparationes in causa agente, concurrentibusque, quas aliqui praedeterminationes vocant: dicendum tamen est, has determinationes esse tantum inclinantes, non necessitantes, ita ut semper aliqua indifferentia sive contingentia sit salva. Nec tantus unquam in nobis affectus appetitusve est, ut ex eo actus necessario sequatur: nam quamdiu homo mentis compos est, etiamsi vehementissime ab ira, a siti, vel simili causa stimuletur; semper tamen aliqua ratio sistendi impetum reperiri potest, et aliquando vel sola sufficit cogitatio exercendae suae libertatis, et in affectus potestatis.

106. Itaque tantum abest, ut praedeterminatio seu praedispositio ex causis, qualem diximus, necessitatem inducat contrariam contingenti vel libertati aut moralitati: ut potius in hoc ipso distinguatur Fatum Mahometanum a Christiano, absurdum a rationali: quod Turcae causas non curant; Christiani vero, et quicunque sapiunt, effectum ex causa deducunt.

107. Turcae scilicet, ut fama est (quamquam non omnes sic desipere putem) frustra pestem et alia mala evitari arbitrantur, idque eo praetextu, quod futura vel decreta eventura sint, *quicquid agas aut non agas*, quod falsum est: cum Ratio dictet, eum, qui certo peste moriturus est, etiam certissime causas pestis non esse evitaturum. Nempe, ut recte Germanico proverbio dicitur, mors vult habere causam. Idemque in aliis omnibus eventis locum habet. Add. supra §. 45.

108. *Coactio* etiam non est in voluntariis actionibus: etsi enim externorum repraesentationes plurimum in mente nostra possint, actio tamen nostra voluntaria semper spontanea est, ita ut principium ejus sit in agente. Id quod per harmoniam inter corpus et animam, ab initio a Deo praestabilitam, luculentius quam hactenus explicatur.

109. Hucusque de Naturae humanae imbecillitate actum est, nunc de *Gratiae Divinae Auxilio* dicendum erit, cujus defectum objiciunt Antagonistae, ut rursus culpam ab homine transferant in Deum. Duplex autem concipi Gratia potest; una sufficiens volenti, altera praestans ut velimus.

110. *Sufficientem volenti Gratiam* nemini negari dicendum est. Facienti quod in se est, non defore Gratiam necessariam, vetus, dictum est, nec Deus deserit nisi deserentem, ut post antiquiores notavit ipse Augustinus. Gratia haec sufficiens est vel ordinaria per verbum et sacramenta; vel extraordinaria, Deo reliquenda, quali erga Paulum est usus.

111. Etsi enim multi populi nunquam salutarem Christi doctrinam acceperint, nec credibile sit praedicationem ejus apud omnes quibus defuit irritam futuram fuisse, Christo ipso de Sodoma contrarium affirmante: non ideo tamen necesse est aut salvari aliquem sine Christo, aut damnari, etsi praestitisset quicquid per naturam potest. Neque enim nobis omnes viae Dei exploratae sunt, neque scimus an non aliquid extraordinaria ratione praestetur vel morituris. Pro certo enim tenendum est, etiam Cornelii exemplo, si qui ponantur bene usi lumine quod accepere, eis datum iri lumen quo indigent, quod nondum accepere, etiamsi in ipso mortis articulo dandum esset.

112. Quemadmodum enim Theologi Augustanae Confessionis fidem aliquam agnoscunt in fidelium infantibus baptismo ablutis, etsi nulla ejus appareant vestigia; ita nihil obstaret, Deum iis quales diximus, licet hactenus non Christianis, in agone ipso lumen aliquod necessarium tribuere extra ordinem, quod per omnem vitam antea defuisset.

113. Itaque etiam οἱ ἔξω, quibus sola praedicatio externa negata est, clementiae justitiaeque Creatoris relinquendi sunt; etsi nesciamus quibus aut quanam forte ratione Deus succurrat.

114. Sed cum saltem certum sit non omnibus dari *ipsam volendi gratiam*, praesertim quae felici fine coronetur: hic jam in Deo vel misanthropiam vel certe prosopolepsiam arguunt adversarii veritatis, quod miseriam hominum procuret, quodque non omes salvet, cum possit, aut certe non eligat merentes.

115. Et sane, si Deus maximam hominum partem ideo tantum creasset, ut aeterna eorum malitia miseriaque justitiae sibi gloriam vindicaret: neque bonitas in eo, neque sapientia, neque ipsa vera justitia laudari posset.

116. Et frustra regeritur, nos apud eum nihili, nec pluris quam vermiculi apud nos esse: excusatio enim ista non minueret, sed augeret duritatem, omni utique philanthropia sublata, si non magis Deus hominum curam gereret, quam nos vermiculorum, quos curare nec possumus, nec volumus Dei vero providentiam nihil exiguitate sua latet,. aut multitudine confundit; passerculos alit, homines amat, illis de victu prospicit, his, quantum in se est, felicitatem parat.

117. Quod si quis longius provectus contenderet, tam solutam esse Dei potestatem, tam exortem regulae gubernationem, ut innocentem quoque et quidem jure damnet; jam non apparet, aut quae apud Deum foret justitia, aut quid a malo Principio rerum potiente distaret talis Universi Rector, cui etiam merito *Misanthropia* et *Tyrannis* tribueretur.

118. Hunc enim Deum timendum ob magnitudinem, sed non amandum ob bonitatem manifestum foret. Certe tyrannicos actus non amorem sed odium excitare constat, quantacunque sit potentia in agente, imo tanto magis quanto haec major est; etsi demonstrationes odii metu sup rimantur.

119. Et homines talem Dominum colentes imitatione ejus a caritate ad duritiem crudelitatemque provocarentur. Itaque male quidam praetextu absoluti in Deo juris talia ei acta tribuerunt, ut fateri cogerentur hominem si sic ageret pessime facturum esse: quemadmodum et nonnullis elapsum est, quae in aliis prava sint, in Deo non fore, quia ipsi non sit lex posita.

120. Longe alia nos de Deo credere ratio, pietas, Deus jubent. Summa in illo Sapientia, cum maxima Bonitate conjuncta, facit ut abundantissime justitiae, aequitatis, virtutisque leges servet ut omnium curam habeat, sed maxime intelligentium creaturarum, quas ad imaginem condidit suam; et ut tantum felicitatis virtutisque producat, quantum capit optimum exemplar universi, vitium autem miseriamque non alia admittat, quam quae in optima serie admitti exigebatur.

121. Et licet prae ipso Deo infinito nos nihili videamur, hoc ipsum tamen infinitae ejus sapien-

tiae privilegium est, infinite minora perfectissime curare posse: quae etsi nulla assignabili ipsum proportione respiciant, servant tamen inter se proportionalitatem exiguntque ordinem, quem Deus ipsis indidit.

122. Eaque in re quodam modo Deum imitantur Geometrae per novam infinitesimorum analysin ex infinite parvorum atque inassignabilium comparatione inter se, majora atque utiliora quam quis crederet in ipsis magnitudinibus assignabilibus inferentes.

123. Nos igitur, rejecta illa odiosissima Misanthropia, tuemur merito summam in Deo Philanthropiam, qui omnes ad veritatis agnitionem pervenire, omnes a peccatis ad virtutem converti, omnes salvos fieri serio voluit, voluntatemque multiplicibus Gratiae auxiliis declaravit. Quod vero non semper facta sunt quae hic voluit, utique repugnanti hominum malitiae attribui debet.

124. At hanc, inquies, superare potuit summa potentia sua. Fateor, inquam: sed ut faceret, nullo jure obligabatur, neque id ratio aliunde ferebat.

125. Instabis: tantam benignitatem, quantam Deo merito tribuimus, progressuram fuisse ultra ea quae praestare tenebatur, imo optimum Deum teneri ad optima praestanda, saltem ex ipsa bonitate naturae suae.

126. Hic ergo tandem ad Summae Sapientiae divitias cum Paulo recurrendum est, quae utique passa non est, ut Deus vim ordini rerum naturisque sine lege mensuraque inferret, ut turbaretur harmonia universalis, ut alia ab optima rerum series eligeretur. In hac autem continebatur, ut omnes libertati, atque adeo quidam improbitati suae relinquerentur: quod vel inde judicamus quia factum est. Add. §. 142.

127. Interim Philanthropia Dei universalis, seu voluntas salvandi omnes, ex Auxiliis ipsis elucet; quae omnibus, etiam reprobis, sufficientia, imo persaepe abundantia praestita sunt, etsi in omnibus gratia victrix non sit.

128. Caeterum non video cur necesse sit gratiam, ubi effectum plenum consequitur, consequi eum semper sua natura, seu esse per se effectricem; cum fieri queat ut eadem mensura gratiae in uno ob repugnantiam vel circumstantias effectum non consequatur, quem in alio obtinet. Nec video quomodo vel ratione vel revelatione probari possit, gratiam victricem semper tantam esse, ut quantamcunque resistentiam, quantascunque circumstantiarum incongruentias esset superatura. Sapientis non est superfluas vires adhibere.

129. Non tamen nego aliquando evenire, ut Deus contra maxima obstacula, acerrimamque obstinationem, Gratia illa triumphatrice utatur; ne de quoquam unquam desperandum putemus, etsi regula inde constitui non debeat.

130. Errant multo gravius, qui solis electis tribuunt gratiam, fidem, justificationem, regenerationem; tanquam (repugnante experientia) πρόσκαιροι omnes hypocritae essent, nec a Baptismo, nec ab Eucharistia, et in universum nec a Verbo nec a Sacramentis spirituale juvamen accepturi; aut tanquam nullus electus semelque vere justificatus in crimen seu in peccatum proaereticum relabi posset; vel, ut alii malunt, tanquam in mediis sceleribus gratiam regenerationis electus non amitteret. Iidem a fideli certissimam finalis fidei persuasionem exigere solent; vel negantes reprobis imperari, vel statuentes falsum eos credere juberi.

131. Sed haec doctrina rigidius accepta, mere quidem arbitraria, nulloque fundamento nixa, et ab antiquae Ecclesiae sententiis, ipsoque Augustino plane aliena, in praxin influere, et vel temerariam futurae salutis etiam in improbo persuasionem, vel anxiam de praesente in gratiam receptione etiam in pio dubitationem, utramque non sine securitatis, aut desperationis periculo, generare posset: itaque post Despotismum hanc Particularismi speciem maxime dissuaserim.

132. Feliciter autem evenit, ut plurimi temperent tantae tamque paradoxae novitatis rigorem; et ut qui supersunt lubricae adeo doctrinae defensores, intra nudam theoriam subsistant, nec pravis ad praxin consequentiis indulgeant; dum pii inter eos, ut ex meliori dogmate par est, filiali timore, et plena amoris fiducia, salutem suam operantur.

133. Nos fidei, gratiae, justificationisque praesentis certi esse possumus, quatenus conscii sumus eorum quae nunc in nobis fiunt; futurae autem perseverantiae bonam spem habemus, sed cura temperatam; monente Apostolo, ut qui stat videat ne cadat: sed electionis persuasione remittere de studio pietatis, et futurae poenitentiae confidere minime debemus.

134. Haec contra Misanthropiam Deo imputatam suffecerint: nunc ostendendum est, nec Prosopolepsiam jure exprobrari Deo tanquam scilicet Electio ejus ratione careret. Fundamentum Electionis Christus est, sed quod quidam minus Christi participes sunt, ipsorum finalis malitia in causa est, quam reprobans praevidit Deus.

135. At hic rursus quaeritur cur diversa auxilia, vel interna, vel certe externa, diversis data sint, quae in uno vincant malitiam, in alio vincantur? Ubi sententiarum divortia nata sunt: nonnullis enim visum est Deum minus malos, aut

certe minus restituros magis juvisse; aliis placet, aequale auxilium in his plus effecisse; alii contra nolunt hominem quodammodo se discernere apud Deum, praerogativa naturae melioris, aut certe minus malae.

136. Equidem indubium est, in rationes eligendi apud Sapientem ingredi considerationem qualitatum objecti. Non tamen semper ipsa absolute sumpta objecti praestantia rationem eligendi facit; sed saepe convenientia rei ad certum finem in certa rerum hypothesi magis spectatur.

137. Ita fieri potest, ut in structura vel in ornatu non eligatur lapis pulcherrimus aut pretiosissimus, sed qui locum vacantem optime implet.

138. Tutissimum autem est statuere omnes homines, cum sint spiritualiter mortui, aequaliter esse at non similiter malos. Itaque pravis inclinationibus different, evenietque ut praeferantur, qui per seriem rerum circumstantiis favorabilioribus objiciuntur; in quibus minorem (certe in exitu) exerendae peculiaris pravitatis, majorem recipiendo gratia occasionem invenere.

139. Itaque nostri quoque Theologi, experientiam secuti, in externis certe salutis auxiliis, etiam cum aequalis esset interna gratia, agnoverunt differentiam hominum insignem, et in circumstantiarum extranearum nos afficientium oeconomia confugiunt ad Βάθος Pauli: dum sorte nascendi, educationis, conversationis, vitae generis, casuumque fortuitorum, saepe homines aut pervertuntur aut emendantur.

140. Ita fit ut praeter Christum, et praevisam status salutaris ultimam perseverentiam qua ipsi adhaeretur, nullum Electionis aut dandae fidei fundamentum nobis innotescat, nulla regula constitui debeat, cujus applicatio a nobis agnosci debeat, per quam scilicet homines aut blandiri sibi, aut insultare aliis possint.

141. Nam interdum insolitam pravitatem summamque resistendi obstinationem vincit Deus ne quisquam de misericordia desperet, quod de se Paulus innuit; interdum diu boni in medio cursu deficiunt, ne quis sibi nimium fidat; plerumque tamen ii, quorum minor est reluctandi pravitas et majus studium veri bonique, majorem divinae gratiae fructum sentiunt; ne quis ad salutem nihil interesse putet, quomodo se homines gerant. Add. §. 112.

142. Ipsum autem Βάθος in Divinae sapientiae thesauris, vel in Deo abscondito, et (quod eodem redit) in universali rerum harmonia latet; quae fecit ut haec series Universi, complexa eventus quos miramur, judicia quae adoramus, optima praeferendaque omnibus a Deo judicaretur. Add. §. 126.

143. Theatrum mundi corporei magis magisque ipso naturae lumine in hac vita elegantiam suam nobis ostendit, dum Systemata Macrocosmi et Microcosmi recentiorum inventis aperiri coepere.

144. Sed pars rerum praestantissima, Civitas Dei, spectaculum est cujus ad pulchritudinem noscendam aliquando demum illustrati Divinae gloriae lumine propius admittemur. Nunc enim solis fidei oculis, id est Divinae perfectionis certissima fiducia attingi potest: ubi quanto magis non tantum potentiam et sapientiam, sed et bonitatem Supremae Mentis exerceri intelligimus, eo magis incalescimus amore Dei, et ad imitationem quandam divinae bonitatis justitiaeque inflammamur.

Causae Dei tractatio, §. 1.

- Praeparatoria, separatim circa
  - Bonitatem quae perficit Voluntatem, 18. 19. ubi agitur de
    - Voluntate ejusque
      - Natura, quae postulat libertatem, excludit necessitatem, 20—22.
      - Divisione 23. in
        - Antecedentem et consequentem, 24—27.
        - productivam et permissivam, 28.
    - Volendi ratione id est Bono et Malo, 29. ejusque
      - Speciebus quae sunt
        - Metaphysicum non intelligentium, 30.
        - Physicum, huc malum poenae, 31.
        - Morale, huc malum Culpae, 32.
      - Applicatione specierum ad Divinam Voluntatem secundum ejus Divisiones, 33—39.
  - Magnitudinem, 2. 3. quae perficit Potentiam et Scientiam, et constituit
    - Omnipotentiam. §. 4. ubi
      - Independentia Dei ab aliis, 4. 6.
      - Dependentia omnium ab ipso, nempe
        - Possibilium ab ejus intellectu, 7. 8.
        - Actualium etiam ab ejus Voluntate in
          - Existendo per Conservationem,
          - Agendo per Concursum 10—12.
    - Omniscientiam. §. 13. cujus partes sunt
      - Scientia possibilium seu simplicis intelligentiae, 14—15.
      - Scientia Actualium seu Visionis, 16.
      - Scientia Media an et quomodo concipi possit, 17.
- Principalis circa Magnitudinem et Bonitatem junctim, vid. Tab. II.

Causae Dei tractatio principalis circa Magnitudinem et Bonitatem, junctim, 40. quoad

- Creaturas in universum, ubi Providentia, 41—49.
- Creaturas intelligentes Earumque Regimen, 50. ubi Dei.
  - Justitia specialiter dicta, circa bonum malumque physicum intelligentium in hac vita vel futura, 51—59.
  - Sanctitas circa bonum malumque Morale, 60. 61. Cui objicitur
    - Deum nimis concurrere ad peccatum seu ad malum morale, 61—65.
      - Moraliter, saltem permittendo: sed hoc ostenditur fieri propter necessitatem Moralem superiorem, 66—67.
      - Physice etiam cooperando, sed hoc ostenditur fieri quoad bonitatem involutam in malo, 68—73.
    - Hominem concurrere non satis; 74. ob defectum.
      - Naturae, in qua spectari debent
        - Corruptio, 75. ejusque
          - Causa a lapsu protoplastorum, cujus
            - Causa quoad
              - Deum, 67. 78.
              - Hominem, 79.
            - Constitutio, 80.
            - Propagatio in posteros, ubi de Origine animae, 81—85.
          - Constitutio in peccato.
            - Originali, (ubi quaestio quatenus damnet) 84—90.
            - Derivato 91.
              - Actuali 92.
              - Habituali, 93-96.
        - Reliquiae integritatis, 98. in
          - Lumine intellectus, 68—100.
          - LibertateVoluntatis, quae non est sublata, (ubi objectionibus satisfit) 101—180.
      - Gratiae, 109. quae est
        - Sufficiens volenti, data omnibus; gradu ulteriore non negato iis qui bene usi sunt gradu dato, estque
          - Ordinaria, 110.
          - Extraordina, 111—113.
        - Efficiens ut velimus non dato omnibus, 114. sine
          - Misanthropia, 115-127. ubi de gratia Dei per se victrice quatenus locum habeat, 128. 129. de beneficiis Dei male ad paucos electos restrictis, 130. 133.
          - Prosopolepsia; ubi de ratione Electionis in Christo 134-138. In ultimis autem rationibus singularium et oecónomia circumstantiarum agnoscendum Βάϑος, quia in harmonia rerum involvitur consideratio Infiniti 139-144.

LXXIV.
AD REVERENDSSIMUM PATREM DES BOSSES EPISTOLAE TRES.

1710—1711.

(Leibn. Opp. ed. Dutens Tom. II. P. I. p. 289.)

EPISTOLA XV.

Admodum reverende pater, fautor honoratissime,

Placet quod Replicationem Multipraesentiae ita exponis, ut rei non sit, sed ubietatis: sed id, ni fallor, non admodum commode mentem loquentium exprimit. Nec video etiam cur opus sit penetratum cum Panis dimensionibus corpus Christi dicere, cum dimensiones hanc ubicationem non ingrediantur. Sed, re commode explicata, de phrasibus possumus esse faciles.

Objectionem, quam nuperimae tuae contra Harmoniam praestabilitam continent, in prioribus non observaveram; nam alioqui respondissem statim, cum ex earum sint numero, quibus maxime delector, quod rei uberius illustrandae occasionem praebent. Id ipsum, nempe quod Mundus, materia, mens, a finita mente perfecte comprehendi non debent, inter caetera argumenta mea est, quibus probo, materiam non ex atomis componi, sed actu subdividi in infinitum, ita ut in qualibet particula materiae sit mundus quidam infinitarum numero creaturarum. Si vero Mundus esset Aggregatum Atomorum, posset accurate cognosci à mente finita satis nobili. Porro quia nulla pars materiae perfecte cognosci a creatura potest, hinc apparet, nullam etiam Animam perfecte ab ea cognosci posse, cum per Harmoniam illam praestabilitam exacte materiam repraesentet. Itaque quod objectio tibi visum est, argumentum videri potest in rem meam.

An schedam meam rursus desideras, in qua sententiam meam nuper explicui de controversia Sinensi? Si ea est mens tua, requiram inter fasciculos chartaceos et erutam rursus submittam. Sed non possum statim promittere, ob confsionem chartarum, quibus me defunctum puto.

Gratissimum erit discere, quae porro de Sinensibus a P. Natali et aliis habebis; 16 volumina Sinensia typis impressa, ante annos aliquot misit mihi R. P. Bouvetus; sed litterae ejus periere, ut adeo ignorem quid his voluminibus contineatur. Ita thesaurus est absconditus. Scripsi plus semel, litterasque in Galliam curandas misi, sed nullum responsum tuli, et ex quo R. P. Verjusius obiit, nonnihil negligor a Gallis vestris. Si favore aliorum amicorum responsum a R. P. Bouveto obtinere possem, eo quoque nomine tibi obligatus forem. Non pauca alia et mea, et amicorum quaesita in litteris ad Bouvetum meis continebantur. Sed responsum nullum tulimus.

Quod superest, vale et fruere. Dabam Hanoverae 4. Augusti 1710.

Deditissimus.
G. G. Leibnitius.

P. S. Etsi fortasse Imperator Sinarum commode non possit edictum publicare de significatione vocis Tien, fortasse tamen indirecta aliqua ratione, sed authentica, poterit ea de re aperire mentem suam.

EPISTOLA XVI.

Reverendissime pater, fautor Honoratissime,

Quesnellianam controversiam, munus a te luculentum, accepi dudum, idque significatum a me, gratiasque actas putabam. Sin minus, faciamus, ut par est. Amicum tuum Guelferbyti videre memini. Utinam saepe occurrerent, in quibus tibi affectum meum probare possem!

Placet, quod objectioni tuae responsio mea, praesertim non omnino improvisa satisfecit. Qui Harmoniam praestabilitam admittet, non poterit non etiam admittere doctrinam de divisione mate-

riae actuali in partes infinitas. Sed idem aliunde consequitur, nempe ex natura motus fluidorum, et ex eo quod corpora omnia parum habent fluiditatis.

Incomprehensibilitatis attributum utinam soli Deo proprium esset! major nobis spes esset noscendae naturae; sed nimis verum est nullam esse partem naturae, quae perfecte comprehendi possit, idque ipsa rerum περιχώρησις probat. Nulla natura quantumvis nobilis, infinita simul distincte percipere, seu comprehendere potest; quin imo qui vel unam partem materiae comprehenderet, idem comprehenderet totum Universum ob eandem περιχώρησιν quam dixi. Mea principia talia sunt, ut vix a se invicem divelli possint. Qui unum bene novit, omnia novit.

Quasdam objectiones Dno Hartsoekero, rogatus, olim misi. Eae partem illam faciunt, quibus in suis declarationibus (Eclaircissemens) respondit, sed nomine meo non adjecto, quod nec desiderabam. At nuper in aliam controversiam implicati fuimus. Statuit ille, duas esse partes materiae, unam conflatam ex atomis perfecte duris, alteram ex fluido perfecto. Ego materiam sua natura divisibilem statuo, nec atomos, nisi per miraculum, induci posse. Fluiditatem etiam statuo transire in quosdam connexionis gradus, per motus varios in materia, inter se conspirantes; ita enim fit, ut separatio non fiat sine quadam motuum perturbatione, cui proinde resistitur. Hanc censeo ultimam rationem cohaesionis in materia. Nam unci, hami, funes, tabulae ab aëre vel aethere compressae, aliaque id genus, firmitatem aliquam jam praesupponunt. Nec puto aliam rationem ultimam cohaesionis reddi posse, cum materia non nisi motibus variari possit.

Occasionem mihi dederat Dn. Hartsoekerus, ut tale quid ei insinuarem. Videtur motum conspirantem a me adhibitum non satis intellexisse, unde nonnulla objicit, aliaque affert, quibus prolixius respondi quam institueram. Currente rota pro urceo amphora exiit.

Hanc epistolam ad te mittere volui, etiam ut judicium tuum subeat: Inde si videbitur, Dño Hartsoekero mittere poteris. Adjunctas etiam ad R. P. Orbanum destinari peto.

Tandem aliquando absolutum est in Batavis opusculum meum, et cum vos Batavis sitis viciniores, et in crebro cum iis commercio, facile per amicum inde habebis schedula ad Bibliopolam missa, quam hic adjungo. Interea vale et fave.

Dabam Hanoverae 7. Novemb. 1710.

Deditissimus
G. G. Leibnitius.

EPISTOLA XVII.

Reverendissime pater, fautor honoratissime.

Gratias ago maximas, quod curasti litteras meas, quod Epistolam sextam Lamii apud Trivultienses editam mecum communicas, quod egregiis viris Ptolomaeo, et Turnamino tentamina mea destinas, quod Turnamini, et Hartsoekeri litteras mittis. Utrique respondeo, et ut responsionem cures rogo. Neque ingratum est, quod controversiae cum Hartsoekero meae participem Turnaminum facis. Ecce jam quid replicem: nam responsionem Hartsoekeri, quam misisti, tibi lectam puto; sin minus, aut si ipse non mittit, communicabo.

Nunc ad tuas quaestiones venio. Et primum, cum Entelechiae repraesentent materiae organicae constitutionem, tantam in ipsis varietatem necesse est esse, quantam in ipsa materia percipimus, nec una Entelechia alteri perfecte similis esse potest: et Entelechia agit in materia secundum ipsius exigentiam, ita ut status materiae novus sit consequens status prioris, secundum leges naturae; leges autem naturae per Entelechias effectum suum consequuntur. Sed et ipsius Entelechiae status praesens consequitur ex statu ejus priore. De trina materiae superficie quod dicam non habeo; nisi vel negandum ullam talem esse superficiem, vel ad miraculum confugiendum, quo massa intra certos limites coerceatur. — Cum Dusseldorpii, ni fallor, sint aliqui ex familia de Spee, hinc facile sciri poterit, an non R. P. Fridericus Spee ex eadem familia fuerit, et unde fuerit ortus.

Pergrata sunt quae de rejectis quibusdam Baji propositionibus memoras, quas ego etiam rejecero. Nec P. Spejum allegavi, quasi nova inter vos docentem, sed tanquam vestra pulchre explicantem. Caeterum utrum aliquis extra vestram Ecclesiam charitatem veram habere possit, facti est quaestio, quod possibile praesumitur, donec contrarium probetur: quae Speji inedita, aut mihi non visa sperare jubes, semper gratissima erunt. Moralem in Adamo, aut alio quocunque, peccandi necessitatem fuisse, ego quoque non dixerim, sed hoc tantum: praevaluisse in eo inclinationem ad peccandum, et adeo praedeterminationem aliquam fuisse, etsi non necessitantem. Illud agnosco, in Deo optime agendi, in confirmatis spiritibus bene agendi moralem esse necessitatem. Et in universum vocabula ita interpretari malim, ne quid consequatur, quod male sonet. Itaque praestat, nunquam moralem agnoscere necessitatem nisi ad bonum, quia, quae mala sunt, sapientem nec facere posse credendum est. Nescio, an aliter aliquando locutus sim;

si feci, incauta fuerit locutio, et emendanda, etsi non in rebus, sed in phrasibus fuerit lapsus.

Omnino statuo potentiam se determinandi sine ulla causa, seu sine ulla radice determinationis implicare contradictionem uti implicat relatio sine fundamento; neque hinc sequitur metaphysica omnium effectuum necessitas. Sufficit enim, causam, vel rationem non esse necessitantem metaphysice, etsi metaphysice necessarium sit, ut aliqua sit talis causa.

Non bene intelligo subtilitatem processus observati Romae, dum video R. P. Ptolomaeum contentum esse decisione Pontificia, et tamen Pontificem Maximum aliquid novi definiisse velle videri. Itaque gratum erit, si lucem aliquam mihi accendas, qua utar prout jubebis. Quod superest, vale et fave. Dabam Hanovrae 8. Febr. 1711.

Deditissimus
G. G. Leibnitius.

LXXV.
REMARQUES PHILOSOPHIQUES
DE
MR. DE LEIBNIZ SUR SA THÉODICÉE.

1711.

(Epist. ad divers. ed. Kortholt. Vol. III. p. 119. Leib. Opp. ed. Dutens. Tom. I. p. 503).

Il m'a paru que la Théodicée de M. de L. donne quelque éclaircissement plausible de difficultés, et en la lisant je disois quelquefois en moi-même, je voudrois savoir ce que M. Bayle auroit pu repliquer à cela. Vous dites, Monsieur, qu'après avoir lu toutes le réponses, vous avez trouvé que les difficultés revenoient toujours à l'esprit. Mais il me semble que les réponses, quelques bonnes qu'elles puissent être, ne sont jamais capable de bannir les difficultés de la mémoire. Et comme les difficultés sont ordinairement plus aisées que les solutions, on les retient aussi plus aisément, et on en est aussi plus prévenu. Ainsi après une longue discussion, il est naturel qu'on se souvienne plus aisément des difficultés que des réponses, et que l'embarras revienne, tant qu'on n'agit par cet mémoire. Et même après un long compte, on doutera si l'on ne s'est pas mépris quelque part, et pour en être parfaitement assuré, on est obligé d'y repasser pièce par pièce, et n'y trouvant rien à redire en détail, on est obligé enfin de se rendre en gros. C'est pourquoi je souhaiterois que quelque homme habile et sincère repliquât bien distinctement aux réponses de la Théodicée. Et si quelqu'un en vouloit faire l'épreuve sans trop de prolixité, il pourroit examiner l'abrégé de la controverse reduite à des argumens en forme, qui se trouve à la fin de la troisième parties des Essais, et ne fait guères plus de 20 pages. — Vous avez raison, Monsieur, de dire que Madame l'Electrice d' Hanover a été amie de M. de L. Elle lui a écrit une longue Lettre sur les affaires d'Angletterre deux semaines et demie avant sa mort. Cette Lettre est aussi judicieuse que si elle avoit été écrite par le plus grand Ministre d'Etat, et aussi enjouée que si elle venoit d'une jeune Princesse Sophie, comme les Anglois l'appellent.

LXXVI.
DE LIBERTATE.

(E. Mss. Bibliothecae Hanoveranae nondum editis).

Libertas est spontaneitas intelligentis, itaque, quod spontaneum est in bruto vel alia substantia intellectus experte, id in homine vel in alia substantia intelligente, altius assurgit et liberum appellatur.

Spontaneitas est contingentia sine coactione, seu spontaneum est quod nec necessarium, nec coactum est.

Contingens seu Non-necessarium est cujus oppositum non implicat contradictionem.

Coactum est, cujus principium est externum.

Indifferens cum non est major ratio cur hoc potius fiat cum [1]) illud. Eique opponitur determinatum.

Omnes substantiarum singularium actiones sunt contingentes. Nam ostendi potest non implicare contradictionem ut res aliter fiant.

Omnes tamen actiones sunt determinatae et nunquam indifferentes, quia semper datur ratio inclinans quidem non tamen necessitans, ut sic potius, quam aliter fiat. Nihil fit sine ratione.

Libertas indifferentiae est impossibilis. Adeo ut ne in Deum quidem cadat, nam determinatus ille est ad optimum efficiendum, et creatura semper ex rationibus internis externisque determinatur.

Quo plus substantiae sunt per se determinatae, et ab indifferentia remotae, eo sunt perfectiores. Cum enim semper sint determinatae, vel habent determinationem ex se ipsis, eoque sunt potentiores et perfectiores, vel determinantur aliunde et catenus aliis rebus servire coguntur.

Eo magis est libertas quo magis agitur ex ratione, eo magis est servitus, quo magis agitur ex animi passionibus. Nam quatenus agimus ex ratione, eo magis sequimur perfectionem nostrae naturae, quo vero magis ex passionibus agimus, eo magis servimus potentiae rerum extranearum.

Scholion

Ut ergo rem in summam contraham: Nulla est in rebus singularibus necessitas, sed omnia sunt contingentia. Vicissim tamen nulla est in rebus indifferentia, sed omnia sunt determinata. Quatenus quid per se determinatur, eatenus spontaneum vel (si intelligens sit) liberum est, quatenus determinatur aliunde, eatenus servit, seu est coactum. Hinc, quo quid magis per se ab indifferentia remotum sit, eo est potentius seu perfectius, minusque opus habet aliunde determinari. Deus cum sit perfectissimus adeoque liberrimus, determinatur ex se solo. Nos vero, quo magis cum ratione agimus eo magis ex nostra naturae perfectionibus determinamur, hoc est liberi sumus. Quod vero ipsae perfectiones nostrae alienaeque, totaque rerum natura, ex divina voluntate creata est, libertati spontaneitatique rerum nil obest, imo potius ideo res liberae sunt, quod Deus aliquem iis gradum perfectionis seu libertatis suae communicavit.

[1]) l. quam.

LXXVII.

DEFINITIONES ETHICAE.

(Ex autographis Leibnitii nondum editis, quae in Bibliotheca Regia Hanoverae asservantur).

Justitia est charitas sapientis.
Charitas est benevolentia generalis.
Benevolentia est habitus amoris.
Amare aliquem, est ejus felicitate delectari.
Sapientia est scientia felicitatis.
Felicitas est laetitia durabilis.
Laetitia est status voluptatum.
Voluptas seu delectatio est sensus perfectionis, id est sensus cujusdam rei quae juvat, seu quae potentiam aliquam adjuvat.
Perficitur, cujus potentia augetur seu juvatur.

Hypothesis alibi demonstra:

Mundus a sapientissimo et potentissimo Monarcha gubernatur, quem vocamus Deum.

Propositiones.

Dei finis sive scopus est laetitia propria, seu amor sui.
Deus creaturas, et maxime mente praeditas, creavit propter gloriam suam, seu amore sui.
Deus omnia creavit secundum maximam harmoniam sive pulchritudinem possibilem.
Deus amat omnes.
Deus omnibus prodest quantum possibile est.
Neque odium neque ira neque tristia neque invidia in Deum cadit.
Deus amat amari, seu amantes sui.
Deus amat mentes pro proportione perfectionis quam cuique earum dedit.
Perfectio universi, seu harmonia rerum non patitur omnes mentes esse aeque perfectas.
Quaestio cur Deus huic menti plus quam alteri perfectionis dederit, est ex numero quaestionum inanium, ut si quaeras utrum pes sit justo major, an calceus pedem urgens justo minor.
Atque hoc est arcanum, cujus ignoratio totam doctrinam de praedestinatione et justitia Dei obscurciavit.
Qui Deo non obedit, non est amicus Dei
Qui Deo obedit metu, nondum est amicus Dei.
Qui Deum amat super omnia, is demum amicus Dei est.
Qui non quaerit commune bonum, is Deo non obedit.
Qui non quaerit Dei gloriam, Deo non obedit
Qui Dei gloriam simul et commune bonum quaerit, Deo obedit.
Qui Deum non agnoscit per factum, is Deum non satis amat.
Cui aliqua displicent in actis Dei, is Deum non putat perfectum.
Qui putat Deum quaedam facere ex beneplacito absoluto, nullam rationem habente, seu libertate aloga sive indifferente, is Deum non putat perfectum.
Qui putat Deum agere optimo modo possibili, is Deum agnoscit perfectum.
Quisquis contemplatione perfectionis divinae non delectatur, is Deum non amat.
Omnes creaturae serviunt felicitati seu gloriae Dei pro gradu perfectionis suae.
Quisquis felicitati Dei servit praeter suam voluntatem, is Deum non amat.
Quisquis felicitatem suam collocat in relatione Divinae felicitatis, is se, is demum Deum amat.
Qui Deum amat, discere conatur ejus voluntatem.
Qui Deum amat, ejus voluntati obedit.
Qui Deum amat, amat omnes.
Quisquis est sapiens, amat omnes.
(Quisquis est sapiens amat omnes)
Omnis sapiens omnibus prodesse conatur.
Omnis sapiens multis prodest.
Omnis sapiens Deo amicus est.
Omnis Dei amicus est felix.
Quo quis sapientior hoc felicior in potentia pari.
Omnis sapiens est justus.
Omnis justus est felix.

LXXVIII.

VON DER GLUECKSELIGKEIT.

(Guhrauer Leibnitz's Deutsche Schriften etc. p. 420. seqq.)

Weisheit ist nichts andres als die Wissenschaft der Glückseligkeit, so uns nämlich zur Glückseligkeit zu gelangen lehrt.

Die Glückseligkeit ist der Stand einer beständigen Freude.

Wer glückselig ist, empfindet zwar seine Freude nicht alle Augenblicke; denn er ruhet bisweilen vom Nachdenken, wendet auch gemeiniglich seine Gedanken auf anständige Geschäfte. Es ist aber genug, dass er in Stand ist, die Freude zu empfinden, so oft er daran denken will, und dass inzwischen daraus eine Freudigkeit in seinem Thun und Wesen entsteht.

Die gegenwärtige Freude macht nicht glücklich, wenn kein Bestand dabei, und ist vielmehr derjenige unglückselig, der um kurzer Freude willen in lange Traurigkeit verfällt.

Die Freude ist eine Lust so die Seele an ihr selbst empfindet.

Die Lust ist die Empfindung einer Vollkommenheit oder Vortrefflichkeit, es sey an uns oder an etwas anders; denn die Vollkommenheit auch fremder Dinge ist angenehm, als Verstand, Tapferkeit und sonderlich Schönheit eines andern Menschen, auch wohl eines Thieres, ja gar eines leblosen Geschöpfes, Gemäldes oder Kunstwerkes.

Denn das Bild solcher fremden Vollkommenheit in uns eingedrücket, macht, dass auch etwas davon in uns selbst gepflanzet und erwecket wird, wie denn kein Zweifel, dass wer viel mit trefflichen Leuten und Sachen umgehet, auch davon vortrefflicher werde.

Und obschon bisweilen fremde Vollkommenheiten uns missfallen, als zum Exempel der Verstand oder die Tapferkeit eines Feindes, die Schönheit eines Mit-Buhlers oder Glanz einer fremden Tugend, die uns verdunkelt, oder beschämet, so geschieht es doch nicht aus der Vollkommenheit an ihr selbst, sondern wegen des Umstandes, dadurch uns Ungelegenheit entstehet, und wird alsdann die Süssigkeit der ersten Empfindung einer fremden Vollkommenheit durch den Verfolg und die Bitterkeit des Nachdenkens ausgethan und verderbet.

Man merket nicht allezeit, worin die Vollkommenheit der angenehmen Dinge beruhe, oder zu was für einer Vollkommenheit sie in uns dienen, unterdessen wird es doch von unserm Gemüthe, obschon nicht von unserm Verstande empfunden. Man sagt insgemein: es ist, ich weiss nicht was, so mir an der Sach gefället, das nennet man Sympathie, aber die der Dingen Ursachen forschen, finden den Grund zum öftern, und begreifen, dass etwas darunter stecke, so uns zwar unvermerket, doch wahrhaftig zu Statten kommt.

Die Musik gibt dessen ein schönes Beispiel. Alles was klinget, hat eine Bebung oder hin und her gehende Bewegung in sich, wie man an den Saiten siehet und also was klinget, das thut unsichtbare Schläge, wenn solche nun nicht verwirret, sondern ordentlich gehen, und mit gewissem Wechsel zusammentreffen, sind sie angenehm, wie man auch sonst einen gewissen Wechsel der langen und kurtzen Silben und Zusammentreffen der Reimen bei den Versen beobachtet, welche gleichsam eine stille Musik in sich halten, und wenn sie richtig, auch ohne Gesang angenehm fallen. Die Schläge auf der Trommel, der Takt und die Cadenz im Danzen und sonst dergleichen Bewegungen nach Maass und Regel haben ihre Angenehmlichkeit von der Ordnung; denn alle Ordnung kommt dem Gemüthe zu Statten, und eine gleichmässige, obschon unsichtbare Ordnung findet sich auch in den nach Kunst verursachten Schlägen oder Bewegungen der zitternden oder bebenden Saiten, Pfeiffen oder Klocken, ja selbst der Luft, so dadurch in gleichmässige Regung gebracht wird, die dann auch ferner in uns vermittelst des Gehörs einen mitstimmenden Wiederschall machet, nach welchem sich auch unsere Lebensgeister regen. Daher die Musik so bequem ist, die Gemüther zu bewegen, obgleich insgemein solcher Hauptzweck nicht genugsam beobachtet noch gesucht wird.

Und ist nicht zu zweifeln, dass auch im Fühlen, Schmecken und Riechen die Süssigkeit in einer gewissen, obschon unsichtbaren Ordnung und Vollkommenheit oder auch Bequemlichkeit bestehe, so die Natur darein geleget, uns und die Thiere zu dem, so sonst nöthig ist, zu reizen, und dass also

aller angenehmen Dinge rechter Gebrauch uns wirklich zu Statten komme, obschon durch Missbrauch und Unmässigkeit anderwärts ein weit grösserer Schade daraus zum öftern entstehen kann.

V o l l k o m m e n h e i t nenne ich álle Erhöhung des Wesens: denn wie die Krankheit gleichsam eine Erniedrigung ist und ein Abfall von der Gesundheit, also ist die Vollkommenheit etwas, so über die Gesundheit steiget, die Gesundheit aber selbst bestehet im Mittel und in der Wage und leget den Grund zur Vollkommenheit.

Gleichwie nun die Krankheit herkommt von verletzter Wirkung, wie solches die Arzney-Verständige wohl bemerket, also erzeiget sich hingegen die Vollkommenheit in der Kraft zu wirken, wie denn alles Wesen in einer gewissen Kraft bestehet, und je grösser die Kraft, je höher und freier ist das Wesen.

Ferner: Bei aller Kraft je grösser sie ist, je mehr zeiget sich dabei V i e l a u s e i n e m u n d i n e i n e m, indem Eines Viele ausser sich regieret, und in sich vorbildet. Nun die Einigkeit in der Vielheit ist nichts anders als die Uebereinstimmung, und weil eines zu diesem näher stimmet als zu jenem, so fliesset daraus die Ordnung, von welcher alle Schönheit herkommt und die Schönheit erwekket Liebe.

Daraus siehet man nun, wie Glückseligkeit, Lust, Liebe, Vollkommenheit, Wesen, Kraft, Freiheit, Uebereinstimmung, Ordnung und Schönheit an einander verbunden, welches von Wenigen recht angesehen wird.

Wenn nun die Seele in ihr selbst eine grosse Zusammenstimmung, Ordnung, Freiheit, Kraft oder Vollkommenheit fühlet, und folglich daran Lust empfindet, so verursachet solches eine Freude, wie aus allen diesen und obigen Erklärungen abzunehmen.

Solche Freude ist beständig und kann nicht betrügen, noch eine künftige Traurigkeit verursachen, wenn sie von Erkenntniss herrühret, und mit einem Licht begleitet, daraus im Willen eine Neigung zum Guten, das ist die T u g e n d entstehet.

Wenn aber die Lust und Freude so bewandt, dass sie zwar die Sinnen doch aber nicht den Verstand vergnüget, so kann sie eben so leicht zur Unglückseligkeit, als zur Glückseligkeit helfen, gleich wie eine wohlschmeckende Speise ungesund seyn kann.

Und muss also die Wollust der Sinnen nach den Regeln der Vernunft wie eine Speise, Arznei oder Stärkung gebraucht werden. Aber die Lust, so die Seele an sich selbst nach dem Verstand empfindet, ist eine solche gegenwärtige Freude, die uns auch fürs künftige bei Freude erhalten kann.

Daraus denn folget, dass nichts mehr zur Glückseligkeit diene, als die Erleuchtung des Verstandes und Uebung des Willens, allezeit nach dem Verstande zu wirken und dass solche Erleuchtung sonderlich in der Erkenntniss derer Dinge zu suchen, die unsern Verstand immer weiter zu einem höhern Licht bringen können, dieweilen daraus ein immerwährender Fortgang in Weisheit und Tugend, auch folglich in Vollkommenheit und Freude entspringet, davon der Nutzen auch nach diesem Leben bei der Seele bleibet.

Was das für Dinge seyen, deren Erkenntniss einen solchen glücklichen Fortgang verursachet, erfordert eine eigene Ausführung; inzwischen kann man sagen, dass niemand leichter zu einer hohen Staffel der Glückseligkeit steigen könne, als hohe Personen, und doch niemands in der That, wie Christus selbst gesagt, schwerlicher dazu gelangen, als eben Sie. Dessen Ursach ist, dass sie zwar viel Gutes thun können, aber selten ihre Gedanken darauf richten.

Denn weilen sie stets Gelegenheit zu sinnlichen Ergötzungen haben, so werden sie gewohnet, ihre Freude meist in der Wollust zu suchen, so vom Leib herrühret, und wenn sie sich hoch schwingen, so suchen sie doch mehr Lob und Ehre bei andern, als eine wahre Vergnügung bei sich selbsten. Daher wenn die Wohllust des Leibes durch Krankheiten und der Ruhm durch Unglücksfälle abgehet, da höret der Selbstbetrug auf und sie finden sich unglücklich.

Sie haben von Jugend auf dem Trieb äusserlicher Dinge gefolget, wegen der Lust so sie dabei gefunden, zumahl weil es aufangs etwas beschwerlich ist, diesem Strom zu widerstehen; haben also grossen Theils die Freiheit des Gemüthes verloren.

Daher es ein Grosses, wenn eine hohe Person sich selbst auch in Krankheit, Unglück und Verachtung vergnüget; und zwar wenn sie sich zufrieden geben kann nicht nur aus Noth, weil man siehet, dass es so seyn muss, welcher Trost nichts anders ist, als wenn man einen Schlaftrunk einnimmt, um die Schmerzen nicht zu empfinden, sondern durch Erweckung in sich selbst einer grossen Freude, so diese Schmerzen und Unglücksfälle überwieget.

Solche Freude, welche der Mensch sich allezeit selbst machen kann, wenn das Gemüth wohl beschaffen, besteht in Empfindung einer Lust an ihm selbst und an seinen Gemüthskräften, wenn man in sich ein starke Neigung und Fertigkeit zum Guten und zur Wahrheit fühlet, sonderlich vermit-

telst der gründlichen Nachricht, die uns ein erleuchteter Verstand darstellet, also dass wir den Hauptquell, Lauf und Endzweck aller Dinge und unglaubliche Vortrefflichkeit der alles in sich begreifenden höchsten Natur erfahren und dabei über die Unwissende empor gehoben werden, gleich als ob wir aus den Sternen herab die irdischen Dinge unter unsern Füssen sehen könnten. Zumahl wir endlich daraus gar erlernen, dass wir Ursach haben über Alles, so bereits geschehen, und auch, das noch geschehen soll, uns zum höchsten zu freuen, doch dass wir gleich wohl suchen, was noch nicht geschehen, so viel an uns, aufs Beste zu richten. Denn das ist eins der ewigen Gesetze der Natur, dass wir der Vollkommenheit der Dinge, und der daraus entstehenden Lust nach Maass unsrer Erkenntniss, guter Neigung und vorgesetzten Beitrags geniessen werden.

Wenn nun eine hohe Person dieses erlanget also, dass sie auch mitten in allem Ueberfluss und Ehren dennoch ihre grosse Vergnügung findet in den Wirkungen ihres Verstandes und ihrer Tugend, die halte ich doppelt für hoch. Vor sich wegen dieser ihrer Glückseligkeit und wahren Freude, für Andere aber, weil ganz gewiss, dass diese Person wegen ihrer Macht und Ansehens kann und wird auch vielen andern Licht und Tugend mittheilen, indem eine solche Mittheilung eine Rückstrahlung auf sie selbst machet, und die, so dergleichen gemeinsamen Zweck haben, in Untersuchung der Wahrheit, Erkenntniss der Natur, Vermehrung menschlicher Kräfte und Beförderung ihres gemeinen Besten einander helfen und neues Licht geben können.

Erscheinet also die hohe Glückseligkeit hoher und dabei erleuchteter Personen daraus, dass sie zu ihrer Glückseligkeit so viel thun können, als wenn sie tausend Hände und tausend Leben hätten, ja als wenn sie tausend mal so lang lebten als sie thun. Denn so viel ist unser Leben für ein wahres Leben zu schätzen, als man darin wohl thut. Der nun viel wohl thut in kurzer Zeit, der ist dem gleich, so 1000 mal länger lebt; welches bei denen Statt findet, so machen können, dass 1000 und aber 1000 Hände mit ihnen wirken, dadurch in wenig Jahren mehr Gutes geschehen kann zu ihrem höchsten Ruhm und Vergnügen, als sonst viel hundert Jahre nicht bringen könnten.

Die Schönheit der Natur ist so gross und deren Betrachtung hat eine solche Süssigkeit, auch das Licht und die gute Regung so daraus entstehen, haben so herrlichen Nutzen bereits in diesem Leben, dass wer sie gekostet, alle anderen Ergötzlichkeiten gering dagegen achtet. Thut man aber noch dazu, dass die Seele nicht vergehet, ja dass eine jede Vollkommenheit in ihr bestehen und Frucht bringen muss, so siehet man erst recht, wie die wahre Glückseligkeit, so aus Weisheit und Tugend entstehet, ganz überschwenglich und unermesslich sey über alles, dass man sich davon einbilden möchte. —

LXXIX.

DE LA SAGESSE.

(E. schedis Leibnitianis nondum editis, quae in Bibliotheca Regia Hanoveranae asservantur).

La s a g e s s e est une parfaite connoissance des principes de toutes les sciences et de l'art de les appliquer. J'appelle p r i n c i p e s toutes les vérités fondamentales qui suffisent pour en tirer toutes les conclusions en cas de besoin, après quelque exercice et avec quelque peu d'aplication. En un mot ce qui sert à conduire l'esprit à régler les moeurs, à subsister honnêtement, et partout, si on étoit même au milieu des barbares à conserver la santé, à se perfectioner en toute sorte des choses dont on peut avoir besoin et au pourvoir enfin aux commodités de la vie. L'art d'appliquer ces principes aux occurremens, renferme en elle l'art de bien juger ou raisonner, l'art d'inventer des vérités inconnues, et enfin l'art de se souvenir de ce qu'on saït à point nommé et quand on en a besoin.

L'art de bien raisonner consiste dans les maximes suivantes:

1. il ne faut jamais reconnoître pour vrai que ce qui est si manifesté qu'on ne puisse trouver aucun sujet de doute. C'est pourquoi il sera bon pour commencement de ces recherches, de s'imaginer d'être interessé à soutenir le contraire, à fin de voir si cet aiguillon ne pourroit pas nous éveiller à trouver, que la chose de solide à redire. Car il faut éviter les préjugés et n'attribuer aux choses que ce qu'elles renferment. Mais aussi il ne faut jamais être opiniâtre.
2. Lors qu'il ne paroit pas moyen de parvenir à cette assurance, il faut se contenter de la probabilité en attendant une plus grande lumière. Mais il faut distinguer des degrés dans les probabilités et il faut se souvenir, que tout ce que nous tirons d'un principe qui n'est que probable, se doit ressentir de l'imperfection de sa source, surtout quand il faut supposer plusieurs probabilités pour arriver à cette conclusion, car elle en devient encore moins assurée que chaque probabilité qui lui sert de fondement, n'étoit.
3. Pour tirer une vérité d'une autre il faut garder un certain enchainement qui soit sans interruption. Car comme on peut assurer, qu'une chaine tiendra, lorsqu'on est assuré que chaque anneau à part est de bonne étoffe, qu'il embrasse les deux anneaux voisins, savoir celui, qui le précède et celui, qui le suit, de même on peut être assuré de la justesse du raisonnement, lorsque la matière est bonne, c'est à dire, qu'il n'entre rien de douteux, et lorsque la forme consiste dans une liaison perpétuelle des vérités, qui ne laisse point de vuide. Par exemple A est B et B est C et C est D, donc A est D. Cet enchainement nous apprendra aussi de ne mettre jamais dans la conclusion plus, qu'il n'y avoit dans les prémisses. —

L'art d'inventer consiste dans les maximes suivantes:

1. Pour connoitre une chose il faut considérer tous les réquisits de cette chose, c'est-à-dire tout ce qui suffit à la distinger de toute autre chose. Et c'est ce qu'on appelle definition, nature, propriété réciproque.
2. Ayant une fois trouvé un moyen de la distinguer de toute autre chose, il faut appliquer cette même règle première à la considération de chaque condition ou réquisit, qui entre dans ce moyen, et considérer tous les réquisits de chaque réquisit. Et c'est ce que j'appelle la vraie analyse, ou distribution de la difficulté en plusieurs parties.
3. Quand on à poussé l'analyse à bout, c'est-à-dire quand on a considéré les réquisits qui entrent dans la considération de la chose proposée, et même les réquisits des réquisits et quand on est enfin venu à la considération de quelques natures, qu'on n'entend que par elles mêmes, qui sont sans réquisits et qui n'ont besoin de rien hors d'elles pour être conçues, on est parvenu à une connoissance parfaite de la chose proposée.
4. Quand la chose le merite, il faut tâcher d'avoir cette connoissance parfaite tout à la fois présente dans l'esprit, et cela se fait en répétant l'analyse plusieurs fois jusqu' à ce qu'il nous semble, que nous la voyons toute entière d'un seul coup d'esprit. Et pour cet effet il faut observer quelque gradation dans la répétition.
5. La marque d'une connoissance parfaite est lorsqu'il ne s'offre rien de la chose dont il s'agit, dont on ne puisse rendre raison, et qu'il n'y a point de rencontre dont on ne puisse prédire l'événement par avance. Il est très difficile de venir à bout de l'analyse des choses, mais il n'est pas si difficile d'achever l'analyse des vérités dont on a besoin. Parce que l'analyse d'une vérité est achevée quand on en a trouvé la démonstration, et il n'est pas toujours nécessaire, d'achever l'analyse du sujet ou prédicat pour trouver la démonstration de la proposition. Le plus souvent le commencement de l'analyse de la chose suffit à l'analyse ou connoissance parfaite de la vérité, qu'on connoit de la chose.
6. Il faut toujours commencer nos recherches par les choses les plus aisées comme sont les plus générales et les plus simples, item celles sur lesquelles il est aisé de faire des expériences et d'en trouver la raison, comme sont nombres, lignes, mouvemens.
7. Il faut monter par ordre, et des choses aisées aux difficiles et il faut tâcher de découvrir quelque progression dans l'ordre de nos méditations, à fin d'avoir la nature même pour guide et pour garant.
8. Il faut tâcher de ne rien d'omettre dans toutes nos distributions ou énumerations. Et c'est à quoi les dichotomies par membres opposées sont très bonnes.
9. Le fruit de plusieurs analyses des matières particulières différentes sera le catalogue des pensées simples, ou qui ne sont pas fort éloignées des simples.
10. Ayant le catalogue des pensées simples, on sera en état de recommencer à priori et d'expliquer l'origine des choses, prise de leur source d'un ordre parfait et d'une combinaison ou synthèse absolument achevée. Et c'est tout ce que peut faire notre ame dans l'état où elle est présentement.

L'art de se souvenir de ce qu'on sait à point nommé et quand on a besoin, consiste dans les observations suivantes.

1. Il faut s'accoutumer à avoir l'esprit présent, c'est-à-dire à pouvoir aussi bien méditer dans le tumulte, dans l'occasion et dans le danger, que dans son cabinet. C'est pourquoi il faut se prouver dans les occasions, et il en faut chercher même avec cette précaution pourtant, qu'on ne s'expose pas sans grande raison à un mal irréparable. En attendant il est bon de s'exercer dans les occasions, où le danger est imaginaire ou petit, comme sont le jeu, les conférences, les conversations, les exercices et les comédies.
2. Il faut s'accoutumer aux dénombremens. C'est pourquoi il est bon de s'exercer à rapporter tous les cas possibles de la question dont il s'agit, toutes les espèces d'un genre, toutes les commodités ou incommodités d'un moyen, tous les moyens possibles pour arriver à quelque fin.
3. Il faut s'accoutumer aux distinctions, savoir deux ou plusieurs choses fort semblables étant données, trouver sur le champ toutes leur différences.
4. Il faut s'accoutumer aux analogies, savoir deux ou plusieurs choses fort différentes étant données, trouver leur ressemblances.
5. Il faut pouvoir rapporter sur le champ des choses, qui ressemblent fort à la chose donnée, ou qui en sont fort différentes. Par exemple quand on me nie quelque maxime générale, il est bon que je puisse apporter des exemples sur le champ. Et quand un autre apporte quelque maxime contre moi, il est bon que je lui puisse d'abord opposer une instance, quand on me conte une histoire il est bon que j'en puisse rapporter sur le champ une semblable.
6. Quand il y a des vérités ou connoissances où la liaison naturelle du sujet avec son prédicat ne nous est pas connue, comme il arrive dans les choses de fait, et dans les vérités de l'expérience, il faut se servir de quelques artifices pour les retenir, comme par exemple pour les propriétés spécifiques des simples, l'histoire naturelle, civile, écclésiastique, la géographie, les coutumes, les loix, les canons, les langues. Je ne vois rien de si propre à faire retenir ces choses là, que les vers burlesques et quelques fois certaines figures; item des hypothèses controuvées pour les expliquer à l'imitation des choses naturelles, (comme une étymologie convenable vraie ou fausse pour les langues — Regula Mundi, en s'imaginant certaines ordres de la providence pour l'histoire).
7. Enfin il est bon de faire un inventaire par écrit des connoissances qui sont les plus utiles avec un registre ou table alphabétique. Et il en faut tirer enfin un manuel portatif de ce qui est plus nécessaire et plus ordinaire.

LXXX.

LETTRE A Mr. DES MAIZEAUX

CONTENANT QUELQUES ÉCLAIRCISSEMENS SUR QUELQUES ENDROITS DU SYSTEME DE L'HARMONIE PRÉÉTABLIE.

1711.

(Recueil des diverses pièces etc. Tom. II. p. 478. — Leibn. Opp. ed Dutens Tom. II. P. 1. p. 65).

Monsieur,

Je vous suis fort obligé de l'honneur de votre lettre, et de la communication que vous y joignez. On m'a sommé de votre part, quand j'étois à Berlin, de vous envoyer les lettres que je pourrois avoir eues de Mr. Bayle; mais les trois et quatre,

que j'ai eues de lui, n'étoient presque que rélatives à d'autres écrits. Ce qui fait que je ne les ai point gardées avec soin, et que je ne les saurois retrouver aisément, quand elles seroient encore dans le tas de mes vieux papiers. Je me souviens que dans l'une de ses lettres il croyoit que je concevois la force que je donne aux corps, comme quelque chose qui y pouvoit être renfermé, lorsqu'ils sont même en repos. Mais je lui marquai, que chez moi la force est toujours accompagnée d'un mouvement effectif; à peu près comme ce qui se passe dans l'ame, est toujours accompagné de ce qui y répond dans le corps. Aussi un état momentané d'un corps qui est en mouvement, ne pouvant point contenir du mouvement, qui demande du temps, ne laisse pas de renfermer de la force.

Cependant, pour satisfaire en quelque chose à votre demande, Monsieur, je vous envoie ma Replique à ce que Mr. Bayle avoit mis à l'égard de mon système, dans la seconde édition de son Dictionnaire, article Rorarius. Peut être que M. Bayle y a répondu dans quelque supplément à son Dictionaire, ou dans quelque autre endroit non encore imprimé. Car il me marquoit, ce me semble, qu'il y vouloit penser. Mais comme ni cette replique de ma part, ni sa duplique n'ont pas encore paru, je vous envoie mon écrit, tel à peu près que je l'avois envoyé à Mr. Bayle. Je dis à peu près, car j'ai changé quelque peu de chose en le relisant; et je serai bien aise d'en apprendre votre sentiment, si vous voulez bien le conférer avec le dit endroit de Mr. Bayle, comme je serai ravi aussi de l'avoir sur mon dernier livre.

Je viens au fragment de vos Réflexions sur mon nouveau système, envoyées à Mr. Bayle, et que je voudrois avoir vues toutes. Je ne refuse point aux hommes le privilège que j'accorde aux animaux. Ainsi je crois que le ames des hommes ont préexisté, non pas en ames raisonnables, mais en ames sensitives seulement, qui ne sont parvenues à ce degré supérieur, c'est-à-dire, à la Raison, que lorsque l'homme, que l'ame devoit animer, à été conçu.

J'accorde une existence aussi ancienne que le monde, non-seulement aux ames des bêtes, mais généralement à toutes Monades, ou substances simples, dont les phénomènes composés résultent: et je tiens que chaque ame, ou monade, est toujours accompagnée d'un corps organique, mais qui est dans un changement perpétuel; de sorte que le corps n'est pas le même, quoique l'ame et l'animal le soient. Ces règles ont encore lieu par rapport au corps humain, mais apparemment d'une manière plus excellente qu'à l'égard d'autres animaux qui nous sont connus; l'homme devant demeurer non-seulement un animal, mais encore un personnage et un citoyen de la cité de Dieu, qui est le plus parfait état possible, sous le plus parfait Monarque.

Vous dites, Monsieur, dans votre fragment, que vous ne comprenez pas trop bien quelles sont ces autres substances corporelles, outre les animaux, dont on a cru jusqu'ici l'extinction entière. Mais s'il y a dans la Nature d'autres corps organiques vivans que ceux des animaux, comme il y a bien de l'apparence, et comme les plantes nous en semblent fournir un exemple, ces corps auront aussi leurs substances simples, ou Monades, qui leur donneront de la vie, c'est-à-dire, de la perception et de l'appétit; quoiqu'il ne soit point nécessaire que cette perception soit une sensation. Il y a apparemment une infinité de degrés dans la perception, et par conséquent dans les Vivans; mais ces vivans seront toujours indestructibles, non seulement par rapport à la substance simple, mais encore parce qu'elle garde toujours quelque corps organique.

Pour ce qui est des anciens, j'avoue que leurs sentimens ordinaires n'arrivent pas à mon sentimens de l'inextinction des animaux. Leur indestructibilité ne s'entend ordinairement que de celle de la matière, ou tout au plus des atomes: et l'on peut dire que dans l'hypothèse de ceux qui n'admettent ni atomes, ni entéléchies, aucune substance ne se conserve; cependant dans cette variété des anciens, il se peut qu'il y en ait eu dont les opinions eussent approché des miennes. Platon croyoit que les choses matérielles étoient dans un flux perpétuel, mais que les véritables substances subsistoient; il paroît ne l'avoir entendu que des ames. Mais peut-être que Démocrite, tout atomiste qu'il étoit, a conservé encore l'animal: car il enseignoit une réviviscence, puisque Pline dit de lui: reviviscendi promissa Democrito vanitas, qui ipse non revixit. Nous ne savons presque de ce grand homme, que ce qu'Epicure en a emprunté, qui n'étoit pas capable d'en prendre toujours le meilleur. Peut-être que Parménide, qui (chez Platon) enseignoit que tout étoit Un, avoit des sentimens approchans de ceux de Spinosa; et qu'ainsi il ne faudroit pas tant s'étonner, si quelques-uns se seroient approchés des miens. Et quoique la conservation de l'animal soit favorisée par les microscopes, cependant on a reconnu les petits corps avant leur découverte; et ainsi on peut fort bien aussi avoir prévu les petits animaux, comme Démocrite a prévu les étoiles insensibles dans la Voie lactée, avant la découverte des télescopes. La simple conservation de la matière, ou des élémens, ne paroît pas suffire pour expliquer l'Auteur de la Diète, quoiqu'il dit positivement qu'aucun vivant ne meurt, et généralement qu'aucun véritable être (aucune substance) ne sauroit naître, ni périr. S'il entendoit la seule conservation de la matière, en parleroit-il ainsi? Du moins il faudra avouer, qu'en ce cas ses paroles conviendroient mieux à mon système, qu'au sien.

Au reste, vous avez raison, Monsieur, de m'attribuer dans ce fragment un reste de Cartésianisme; car j'avoue que j'approuve une partie de la doctrine des Cartésiens. Mais mon sentiment sur le commerce de l'ame et du corps a des fondemens généralement reçus, avant la naissance du Cartésianisme.

La feuille est pleine, et je ne puis ajouter que ce qu'il faut pour marquer que je suis avec zèle,

Monsieur,

Votre très-humble et très-obéissant serviteur,

Leibniz.

LXXXI.
EPISTOLA AD BIERLINGIUM.

1711.

(Epist. ad divers. ed. Kortholt. Vol. IV. p. 46. Leibn. Opp. ed. Dutens. Tom. V p. 373).

I. Gratum est intelligere, quod tibi non omnino displicuerint animadversiunculae meae qualescunque. Circa Physicas demonstrationes fortasse non dissentimus, et videris mentem meam aliter, quam vellem, accepisse, confundendo perfectam naturae cognitionem cum demonstrationibus, quibus quaedam ejus phaenomena explicantur. Nondum perfecte novimus naturam colorum, et tamen demonstrative explicamus iridem. Dantur in Physicis demonstrationes, verbi gratia circa motum, gravitatem, vim elasticam, vim magneticam, sonos, corpora coelestia, nonnullos etiam corporis nostri mechanismos, et alia; dum scilicet mathematica et metaphysica cum observationibus sensibilibus conjunguntur. Etsi autem perfecte noscere non liceat intima naturae, quia sub divisionibus procedunt in infinitum, spes tamen est magis penetrari posse in interiora, uti jam facere coepimus, idque maximo fructu rei oeconomicae et medicae fiet. Sunt quidam in inquirendo gradus. Ex. gr. architectus contentus in terra distinguere sabulum, argillam, saxa et similia, non habet opus, ut tam longe procedat, quam chymicus, qui etiam salia, sulphura, aliaque in terra contenta examinat: at Physicus in ipsorum salium sulphurumque constitutiones amplius inquirit et rationes phaenomenorum mechanicas investigat. Etsi autem nondum satis hic profecerimus, non ideo tamen animus est despondendus, quum ipsae salium figurae ducant ad mechanismum. Eruimus interdum caussas interiores et invisibiles, sed non ideo intimas et omnes. Nec sola inductione, sed etiam ratiocinatione utimur. Haec si tuis conferes, videbis, ni fallor, singulis satisfactum. Subjicis tandem, genus humanum nunquam ad perfectam naturae cognitionem perventurum. Sed quis unquam nos eo perventuros somniavit? An ideo nullas habere possumus demonstrationes? Est aliquid prodire tenus. Possumus ingredi in atrium, etsi in cubiculum aut sacrarium non admittamur.

II. Quaeris de rebus spirituum vel potius de incorporeis, aisque, nos videre mechanicam partium

dispositionem, sed non videre mechanismi principia. Recte, sed cum videamus et motum, hinc intelligimus causam motus seu vim. Mechanismi fons est vis primitiva, sed leges motus, secundum quas ex ea nascuntur impetus seu vires derivativae, profluunt ex perceptione boni et mali, seu ex eo, quod est convenientissimum. Ita fit, ut efficientes causae pendeant a finalibus, et spiritualia sint natura priora materialibus, uti etiam nobis sunt priora cognitione, quia interius animam (nobis intimam) quam corpus perspicimus, quod etiam Plato et Cartesius notarunt. Hanc vim ais cognosci per effectus, non qualis in se est; respondeo ita fore, si animam non haberemus, nec cognosceremus. Habet anima in se perceptiones et appetitus, iisque natura ejus continetur. Et ut in corpore intelligimus ἀντιτυπίαν, et figuram generatim, etsi nesciamus, quae sint Figurae corporum insensibilium: ita in anima intelligimus perceptionem et appetitum, etsi non cognoscamus distincte insensibilia ingredientia perceptionum confusarum, quibus insensibilia corporum exprimuntur. Sentiri, ais spiritualia, exempli gratia aërem, ventum, lumen, non tamen ideo satis cognosci; sed mihi aër, ventus, lumen, non magis spiritualia videntur quam aqua currens, nec ab ea differunt nisi subtilitate. Spiritus, animae, et in universum substantiae simplices seu monades, sensibus et imaginatione comprehendi non possunt, quia partibus carent. Quaeris, an dari credam corpora, quae non cadunt sub visum. Quidni credam? quin imo de eis non dubitari posse puto. Per microscopia videmus animalcula alias insensibilia, et nervuli horum animalculorum et alia forte natantia in ipsorum humoribus animalcula videri non possunt. Subtilitas naturae procedit in infinitum.

III. Denique petis definitiones materiae, corporis, spiritus. Materia est, quod consistit in antitypia seu quod penetranti resistit; atque ideo nuda materia mere passiva est. Corpus autem praeter materiam etiam habet vim activam. Corpus autem est vel substantia corporea, vel massa ex substantiis corporeis collecta. Substantiam corpoream voco, quae in substantia simplice seu monade (id est anima vel animae analogo) et unito ei corpore organico consistit. At massa est aggregatum substantiarum corporearum, ut caseus interdum ex confluge vermium constat. Porro Monas seu substantia simplex in genere continet perceptionem et appetitum; estque vel primitiva seu Deus, in qua est ultima ratio rerum; vel est derivativa, nempe Monas creata, eaque est vel ratione praedita, mens, vel sensu praedita, nempe anima, vel inferiore quodam gradu perceptionis et appetitus praedita, seu animae analoga, quae nudo Monadis nomine contenta est, cum ejus varios gradus non cognoscamus. Omnis autem Monas est inextinguibilis, neque enim substantiae simplices nisi creando vel annihilando, id est miraculose, oriri aut desinere possunt. Et praeterea omnis Monas creata est corpore aliquo organico praedita, secundum quod percipit appetitque; etsi per nativitates mortesque varie volvatur, involvatur, transformetur, et in perpetuo fluxu consistat. Porro Monades in se continent Entelechiam seu vim primitivam, ut sine ipsis materia mere passiva esset; et quaevis massa innumerabiles continet monades, etsi enim unumquodque organicum naturae corpus suam habeat monadem respondentem, continet tamen in partibus alias monades, suis itidem corporibus organicis praeditas primario inservientibus, et nihil aliud est tota natura; necesse est enim, omnia aggregata ex substantiis simplicibus resultare, tamquam ex veris elementis. Atomi vero, seu corpora extensa, et tamen infrangibilia, sunt res fictitiae, quae nisi per miraculum explicari non possunt, et ratione carent, nec causas virium motuumque ex illis reddere licet. Et licet darentur, vere simplicia non forent, eo ipso, quia sunt extensa et partibus praedita. Ita tuis respondi mentemque meam exposui, quantum paucis et per litteras licet. Pro oratione tua perelegante gratias ago maximas. Vale. Hanoverae 12. Augusti 1711.

LXXXII.
AD REVERENDISSIMUM PATREM DES BOSSES EPISTOLAE TRES.

1712.

(Leibn. Opp. ed. Dutens Tom. II. P. 1. p. 293.)

EPISTOLA XVIII.

Reverendissime pater, fautor honoratissime,

Mire satisfacit tua versio [1]), et originalem textum passim vincit. Paucissima quaedam notavi, qualia et in meis soleo, ubi relego. Et cum tam fideliter, tam eleganter exprimas, atque etiam interdum illustres sensa, non est cur crebro per particulas subnata mittas; suffeceritque aliquando justam partem, ubi vacaverit, venire. Unum addidero, interdum fugientiores videri litterarum characteres, quod ideo dico, ne fortasse nova sit descriptione opus: neque enim descriptiones illae ab hominibus mercenariis sine mendis fieri solent, quae interdum fugiunt revidentem. Et vero pleraque omnia hactenus ita scripta sunt, ut novo exemplari non videatur opus.

Quae Dno. Hartsoekero nostro responderim, in adjecta Epistola vides. Probat ille, et non probat meum rationis sufficientis principium; probat generatim, non probat exertim; diceret aliquis de schola, probare in signato, non in exercito actu. Dicerem (si mavis) probare magis, quam adhibere. Itaque non potui quin ei paulo clarius, et per exempla similia ostenderem, quantum ab eo, id est, a recta ratione decedat. Perplacet quod contra meum principium Transitus non saltantis id ipsum allegat, quo pulchre atomi impugnantur. Et praeclare praevidisti, experientiam, quam affert, veram non esse. Omnia corpora dura nobis nota elastica sunt, adeoque cedunt, et vim incurrentis per gradus paulatim infringunt; etsi hoc non semper satis sensibile sit, cum scilicet valde dura sunt corpora, et magna se promptitudine restituunt. Sed si dantur atomi, transitus fit in instanti contra ordinem rerum. Argumentum quidem hoc olim adhibitum contra atomos non fuit, sed tamen non spernendae est efficaciae apud intelligentes.

De primo suo Elemento, seu materia summe fluida, ita interdum loquitur, ac si corpus non esset, sed hoc fortasse in logomachiam abibit. Nam movetur, et impellit, impelliturque, et extensionem habet, et partes etiam aliae ab aliis discedunt. Sed quamdiu in hoc suo fluido nihil agnoscit, nisi extensionem, figuram, et harum variationem in motu, non poterit inde educere perceptionem. Ait quidem nos non posse scire quarum rerum tale fluidum sit capax, sed quamdiu in eo nihil aliud, quam dicta, collocamus, optime perspicimus quorum capax sit. Nec modificatio perfectiones addere potest, cum harum tantum limites variare possit. Quod si in illo fluido collocat aliquod attributum altius, ad nostra vel eis vicina redibit. Sed ipse discrimen rei substantialis, et modificationum, aliaque non imaginatione, sed intelligentia comprehendenda, non satis inspexisse videtur, aut curare.

Amicus, qui in actis Lipsiensibus Muysii librum recensuit, ostendit etiam, cum plane intactam reliquere vim argumenti mei pro necessitate Entelechiae materiam diversificantis, et nonnulla offert tuis plane consentientia.

His et similibus facile convinci posset Dn. Hartsoekerus, nisi invictus esset. Si spiritus nihil aliud sunt, quam collectio quaedam, et ut sic dicam, gutta fluidi, non magis apparet, quomodo perceptionem producant, quam si eos cum Epicuro ex atomis globularibus composuisset, nec unquam reddet rationem diversitatis. Sed postquam semel sibi persuasit, duo esse primaria, materiam perfecte duram, et perfecte fluidam, quae scilicet imaginationi blandiuntur; pulchrum putavit ex uno ducere spiritus, ex altero corpora. Quomodo inde ducantur spiritus, non est sollicitus. Ita scililicet solent, qui hypotheses suas amant.

[1]) sc. Theodicaeae.

Non potui non hunc parentis amorem in foetum, in novissima Epistola, ei non nihil objicere, et, quia liticulae taedio captus videtur, finem ei simul imponere: interea nihil obstat, opinor, quin Epistolae novissimae, et Hartsoekeriana, et mea R. P. Turnemino communicari possint.

Dissertationem tuam de substantia corporea legam lubentissime. Si substantia corporea aliquid reale est, praeter monades, uti linea aliquid esse statuitur, praeter puncta; dicendum erit, substantiam corpoream consistere in unione quadam, aut potius uniente reali a Deo superaddito monadibus, et ex unione quidem potentiae passivae monadum, oriri materiam primam, nempe extensionis, et antitypiae, seu diffusionis, et resistentiae exigentiam; ex unione autem Entelechiarum monadicarum, oriri formam substantialem, sed quae ita nasci, et extingui possit, et cessante illa unione extinguetur, nisi a Deo miraculose conservetur. Talis autem forma tunc non erit anima, quae est substantia simplex, et indivisibilis. Et forma ista, proinde ac materia est in fluxu perpetuo, cum nullum punctum revera in materia assignari possit, quod ultra momentum eundem locum servet, et quod non a quantumvis vicinis recedat. Sed anima in suis mutationibus eadem persistit, manente eodem subjecto, quod secus est in corporea substantia. Itaque alterutrum dicendum est: vel corpora mera esse phaenomena, atque ita extensio quoque non nisi phaenomenon erit, solaeque erunt monades reales, unio autem animae percipientis operatione in phaenomeno supplebitur; vel si fides nos ad corporeas substantias adigit, substantiam illam consistere in illa realitate unionali, quae absolutum aliquid (adeoque substantiale) etsi fluxum uniendis addat. Et in hujus mutatione collocanda esset transsubstantiatio vestra, monades enim revera non sunt hujus additi ingredientia, sed requisita; etsi non absoluta, metaphysicaque, necessitate, sed sola exigentia ad id requirantur. Itaque mutata licet substantia corporis, monades salvae esse poterunt, fundataque in iis phaenomena sensibilia. Accidens non modale videbitur aliquid difficile explicatu, nec de extensione id capio. Illud dici potest, etsi monades non sint accidentia, accidere tamen substantiae unionali, ut eas habeat (physica necessitate) uti corpori accidit, ut a corpore tangatur, cum corpus tamen accidens non sit. Extensio corporis nihil aliud esse videtur quam materiae continuatio per partes extra partes, seu diffusio. Ubi autem supernaturaliter cessabit Τὸ extra partes, cessabit etiam extensio, quae ipsi corpori accidit; solaque supererit extensio phaenomena, in monadibus fundata, cum caeteris, quae inde resultant, et quae sola existerent, si non daretur substantia unionalis. Si abesset illud monadum substantiale vinculum, corpora omnia cum omnibus suis qualitatibus nihil aliud forent quam phaenomena bene fundata, ut iris, aut imago in speculo, verbo, somnia continuata perfecte congruentia sibi ipsis; et in hoc uno consisteret horum phaenomenorum realitas. Monades enim esse partes corporum, tangere sese, componere corpora, non magis dici debet, quam hoc de punctis, et animabus dicere licet. Et monas, ut anima, est velut mundus quidam proprius, nullum commercium dependentiae habens nisi cum Deo. Corpus ergo si substantia, est realizatio phaenomenorum ultra congruentiam procedens.

Quod si omnino nolis accidentia haec Eucharistica esse mera phaenomena, poterit dici, esse fundata in accidentali aliquo primario, nempe non quidem in extensione, quae manere non potest, sed in punctis hujus extensionis ad monades respondentibus, sublata unione continuum ex punctis constituente; atque adeo sublatis lineis, et figuris continuis, qualitatibus autem et caeteris realibus accidentibus manentibus, ope remanentium punctorum accidentalium, demta continuitate, quae a realitate unionali, seu vinculo substantiali pendebat; et cessante ejus diffusione per partes extra partes, cessabat. Itaque puncta accidentalia possunt considerari, ut primarium accidens, quod sit caeterorum basis, et quodammodo non modale, quod de extensione seu diffusione materiae continua dici nequit.

Imo re magis expensa, video jam et ipsam extensionem salvari, atque adeo tuam vestra explicandi sententiam admitti posse, si quis phaenomena nolit. Nam ut puncta accidentalia admitti possunt, ita poterit etiam, imo fortasse tunc debebit admitti eorum unio. Ita habemus extensionem accidentalem absolutam. Sed talis extensio formaliter quidem dicet diffusionem partium extra partes, id autem quod diffundetur, non erit materia seu substantia corporis formaliter, sed tantum exigentialiter. Ipsum autem formale, quod diffunditur, erit localitas, seu quod facit situm, quod ipsum opus erit concipere tamquam aliquid absolutum. Itaque jam, credo, non pugnabimus, modo monades mutationi illi substantiae corporis supernaturali non involvas, praeter ullam necessitatem, cum ea, ut dixi, non ingrediantur. Ubi etiam secundum vos ipsos, anima Christi in Transsubstantiatione non mutatur, nec succedit in substantia panis locum. Idem dixerim de caeteris sanctissimi corporis monadibus. Interim, ut verum di-

cam, mallem accidentia Eucharistica explicari per phaenomena; ita non erit opus accidentibus non modalibus, quae parum capio.

Subtiliora paulo sunt quaedam, quae de Deo optima eligente Ruzius et Martinus Perezius vester habent, et indigerent interpretatione: in summa tamen a meis valde abhorrere videntur. Itaque multas pro communicatione gratias ago. Ago etiam plurimas pro Meldensis Episcopi instructione pastorali, quam percurri, et subtilem profundamque deprehendo. Illud vereor, ne plurima, quae in Jansenio reprehenduntur, sint ipsius Augustini, qui ipsemet etiam miram illam interpretationem habet, quod Deus non velit salvare singula generum, sed genera singulorum.

Titulum tentaminum Theodicaeae, nisi aliter judicas, servari posse putem, est enim Theodicaea quasi scientiae quoddam genus, doctrina scilicet de jusitia (id est sapientia simul et bonitate) Dei.

Quaenam est illa tandem definitio Romana causae Sinensis, de qua multum sermonem esse intelligo, et cui se vestri Romae submisere? Si Turnoniana decreta confimantur sine moderatione, et nisi curia Romana rem artificio aliquo involvit, vereor, ne Sinensis missio pessumeat, quod nolim. Nescio, an R. P. Turnemino significaveris, me annales molientem inde ab initio regni Caroli M. jam Carolingos ultra usque ad Saxones Reges, vel Imperatores pervenisse, qua occasione etiam Papissam discutiendi necessitas fuit. Quod si R. P. Daniel in suis, quos sub manibus habet, Francorum annalibus, huc usque etiam processit, in multis credo conveniemus, et si qua superessent dubia, possemus conferre. Chronologiam sic satis constituisse mihi videor. Quod superest, vale et fave.

Dabam Hanoverae 15. Febr. 1712.

Deditissimus

G. G. Leibnitius.

P. S. Venit aliquando in mentem optare. ut virorum vestrae societatis in rebus Mathematicis versatorum ope observationes variationis Magneticae per orbem continuatae annorum studio, collataque opera, instituerentur, quae res summi est momenti ad Geographiam et navigationes, et a nullis aliis commodius fieri posset. Post Gilbertum Anglum, qui primus hujus doctrinae fundamenta posuit, nemo melius de magneticis observationibus meritus est, quam vestri, quorum etiam justa opera extant; Cabaeus, Kircherus, Leotaudus, alii. Quod si vestri qui per orbem inde a Kircheri temporibus, quot annis, ubicunque, Mathematum periti agunt, sive fixis sedibus, sive in itineribus observassent quaenam sit tam declinatio horizontalis, quam inclinatio verticalis magnetica, et observationes in litteras retulissent, haberemus hodie Thesaurum observationum, ex quibus fortasse jam tum conjici ac praedici posset, saltem in aliquot annos, quae in plurimis locis debeat esse variatio. Unde observata variatione in medio mari, conjunctaque cum poli elevatione, haberi locus posset; et tandem erui limites, periodi, leges variationis, et fortasse etiam ratio tanti arcani. Nihil autem prohibet, quod hactenus neglectum est, adhuc curari, et saltem consuli posteritati, uti arbores venturis plantamus; saltemque prohiberi, ne aliquis post multos annos de praesente neglectu queri jure possit, ut nos nunc de praeterito querimur. Itaque propemodum audeo a te petere, ut rem ad R. P. Ptolomaeum (cum multa a me salute) deferas ejusque consilium expetas.

EPISTOLA XIX.

Reverendissime pater, fautor honoratissime.

Si id quod Monadibus superadditur ad faciendam unionem substantiale esse negas, jam corpus substantia dici non potest; ita enim merum erit Monadum aggregatum, et vereor, ne in mera corporum phaenomena recidas. Monades enim per se ne situm quidem inter se habent, nempe realem, qui ultra Phaenomenorum ordinem porrigatur. Unaquaeque est velut separatus quidam mundus, et hi per phaenomena sua consentiunt inter se, nullo alio per se commercio, nexuque.

Si accidens vocas, quicquid substantiam completam ita supponit, ut naturaliter sine ipsa esse nequeat, non explicas, in quo consistat id, quod accidenti est essentiale, et quo etiam in statu supernaturali a substantia distingui debet. Peripatetici omnino aliquid substantiale agnoscunt praeter Monades, alioqui secundum ipsos nullae substantiae praeter Monades forent. Et monades non constituunt substantiam completam compositam, cum non faciant unum per se, sed merum aggregatum, nisi aliquod substantiale vinculum accedat.

Ex Harmonia non potest probari, aliquid aliud esse in corporibus, quam Phaenomena. Nam aliunde constat, Harmoniam Phaenomenorum in animabus non oriri ex influxu corporum, sed esse praestabilitam, idque sufficeret si solae essent ani-

mae, vel Monades: quo casu etiam omnis evanesceret extinctio realis, nedum motus, cujus realitas ad meras phaenomenorum mutationes redigeretur.

Vellem aliquis integrum systema **Jansenii** in compendio exhiberet. Alioqui difficile est in re tam perplexa, de mente ejus recte judicare. Et quemadmodum ex **Augustino** plane contraria videntur exsculpi posse verbis, ejus e sua sede dimotis, ita fieri potest, ut idem **Jansenio** eveniat: sed nexus meditationum tollere hanc dubitationem potest, et valde versatum esse oportet in lectione **Augustini** et librorum ejus diversorum nosse tempora, scopos, synopsin, qui locis ex eo excerptis decipi non vult. Id olim nonnullis ejus verbis curiosius inspectis animadvertere mihi visus sum, eoque nunc sum factus circumspectior.

Hartsoekerus promisit, se ultra de Atomis non replicaturum; in eo proposito constantem se ostendere vult.

Multas utique habeo meditationes philosophicas, sed nondum editioni paratas. Ex iis ea quae pertinent ad leges motus, maxime ad elucidanda Naturae principia inservire possunt.

Multum tibi debeo, quod tanto studio in libello meo vertendo versaris. Vellem invenisses in eo, quae operae pretium facere possent.

Gratias ago pro communicatis, quae ad res Sinenses pertinent. Quanto magis ea considero, eo magis miror Romae fieri, quae mihi periculum Missionis augere videntur, et recta monent Lusitani, quorum interest non irritari Monarcham Sinensem. Interea vereor, ut Papa probet, quod Lusitani sibi jus patronatus in Ecclesias Sinenses attribuunt.

Nosse velim, an R. P. **Turneminus**, promissam **Theodicaeae** meae recensionem Trivultianis suis Actis literariis inseruerit.

Libros in scheda hac notatos Dominus **Romerskirchen**, quando volet, mittere poterit, pretium ascripsi: qualem ipsemet statuit solvam pecuniam, et pro his et pro priore, illi quem mihi nominaris.

Interea vale et fave Dabam Hanoverae 26. Maii 1712.

Deditissimus
G. G. **Leibnitius**.

EPISTOLA XX.

Reverendissime pater, fautor honoratissime.

Nova semper beneficia in me cumulas, in quibus non postrema sunt quod Recensionem Trivultianam procurasti, quam legere aveo, et quod non nunciasti tantum, sed et narratione condigna illustrasti Eminentissimi **Ptolemaei** promotionem; cui ex animo gratulor litteris quas transmitto, et ut eas quemadmodum obtulisti, curare velis, peto.

Beneficium etiam tribuis, dum doctorum ex sacra schola virorum sententias meis qualibuscunque conspirantes notas. Id enim tum ad confirmandum, tum ad intelligendum plurimum valet. R. P. **Sebastiani Izquierdo** nihil aliud me inspicere memini, quam librum inscriptum **Pharus Scientiarum**, quem juvenis vidi; sed ideam ejus pene amisi; quaedam phrases **Izquierdinae** in locis a te excerptis, non nihil a meis dissonant, sed in re consentire videmur. Ex. gr. cum ait Deum necessitatum fuisse moraliter, non physice ad mundum creandum, ego dicere malui, moraliter, non metaphysice; Physicam enim necessitatem in libello meo sic explicui, ut sit consequens moralis.

Explicationem phaenomenorum omnium per solas Monadum perceptiones inter se conspirantes, seposita substantia corporea, utilem censeo ad fundamentalem rerum inspectionem. Et hoc exponendi modo spatium fit ordo coexistentium phaenomenorum, ut tempus successivorum; nec ulla est monadum propinquitas, aut distantia spatialis, vel absoluta, dicereque, esse in puncto conglobatas, aut in spatio disseminatas, est quibusdam fictionibus animi nostri uti, dum imaginari libenter vellemus, quae tantum intelligi possunt. In hac etiam consideratione nulla occurrit extensio aut compositio continui, et omnes de punctis difficultates evanescunt. Atque hoc est, quod dicere volui alicubi in mea Theodicaea, difficultates de compositione continui admonere nos debere, res longe aliter esse conspiciendas. Videndum deinde quid necesse sit superaddi, si addamus unionem substantialem, seu ponamus substantiam dari corpoream, adeoque materiam; et an tunc necesse sit recurri ad corpus Mathematicum. Certe Monades non ideo proprie erunt in loco absoluto, cum revera non sint ingredientia, sed tantum requisita materiae. Itaque non ideo necesse erit indivisibilia quaedam localia constitui, quae in tanta difficultates conjiciunt. Sufficit, substantiam corpoream esse quiddam phaenomena extra animas realizans; sed in quo nolim concipere partes actu, nisi quae actuali divisione fiunt, nec indivisibilia, nisi ut extrema.

Monades puto existentiam semper habere plenam, nec concipi posse, ut partes potentia dicuntur esse in toto. Nec video quid Monas dominans aliarum monadum existentiae detrahat; cum revera inter eas nullum sit commercium, sed tantum consensus. Unitas substantiae corporeae in equo non oritur ab ulla refractione monadum, sed a vinculo substantiali superaddito, per quod in ipsis monadibus nihil prorsus immutatur. Vermis aliquis potest esse pars corporis mei, et sub mea anima tanquam monade dominante, qui idem alia animalcula in suo corpore habere potest, sub sua monade dominante. Dominatio autem et subordinatio monadum in ipsis considerata monadibus non consistit nisi in gradibus perceptionum.

Si definiatur **accidens** id esse, quod exigat inexistere substantiae, vereor, ut formalem rationem ejus satis explicemus, unde ratio apparere deberet, cur exigat: sane etiam substantia saepe exigit aliam substantiam; explicandum foret quid proprie sit illud τὸ inesse in quo accidentis natura collocari solet: ego ad hoc retulerim, ut sit modificatio absoluti alieni.

Verum est, consentire debere, quae fiunt in anima cum iis, quae extra animam geruntur; sed ad hoc sufficit, ut quae geruntur in una anima respondeant tum inter se, tum iis quae geruntur in quavis alia anima; nec opus est poni aliquid extra omnes animas, vel monades; et in hac hypothesi, cum dicimus **Socratem** sedere, nihil aliud significatur, quae nobis, aliisque, ad quos pertinet haec apparere, quibus **Socraten**, **Sessumque** intelligimus.

Quia judicas, Transsubstantiationis doctrinam, cum hypothesi vel fictione corporum ad phaenomena redactorum, conciliari posse, rogo ut hac de re mentem tuam mihi exponas. Quod superest, vale et fave. Dabam Hanverae 16. Junii 1712.

Deditissimus
G. G. **Lebinitius**.

LXXXIII.

REMARQUE

SUR LA

SIXIÈME LETTRE PHILOSOPHIQUE

IMPRIMÉE A TRÉVOUX 4703.

1712.

(Mémoires de Trévoux etc. Juil. 1712. — Leibn. Opp. ed. Dutens Tom. I. p. 504.)

J'ai dit dans mes essais, article 392, que je désirois de voir les démonstrations citées par Mr. Bayle, et contenues dans la cinquième et sixième Lettres imprimées a Trevoux 1703. Le R. P. Desbosses m'a communiqué cette Lettre, où l'on entreprend de démontrer par la méthode des Géomètres, que Dieu est l'unique vraie cause de tout ce qui est réel et la lecture que j'en ai faite m'a confirmé dans le sentiment que j'ai marqué au même endroit, que cette proposition peut être vraie dans un fort bon sens, Dieu étant la seule cause des réalités pures, et absolues, ou des perfections; mais que lorsque l'on comprend les limitations, ou les privations, sous le nom de réalités, l'on peut dire que les causes secondes concourent à la production de ce qui est limité; et qu'autrement Dieu seroit la cause du péché, et même la cause unique. Et j'ai quelque penchant à croire, que l'habile Auteur de la Lettre n'est pas fort éloigné de mon sentiment; quoiqu'il semble comprendre toutes les modalités sous les réalités dont il veut que Dieu seul soit la cause: Car dans le fond je crois qu'il n'admettra pas que Dieu est la cause et l'auteur du péché: Il s'explique même d'une manière qui

semble renverser sa thèse, et accorder une véritable action aux créatures. Car dans la confirmation du huitième corollaire de sa seconde proposition il y a ces mots: »Le mouvement naturel de l'Ame, »quoique déterminé en lui-même, est indéterminé »par rapport aux objets; car c'est l'amour du bien »en général. C'est par les idées du bien qui paroît dans les objets particuliers, que ce mouvement devient particulier, et déterminé par rapport à ces objets; et ainsi comme l'esprit a le »pouvoir de diversifier ses idées, il peut aussi »changer les déterminations de son amour. Il n'est »point nécessaire pour cela qu'il succombe à la »puissance de Dieu, ni qu'il s'oppose à son action. »Ces déterminations des mouvemens vers ces objets particuliers ne sont point invincibles, et c'est »leur non-invincibilité qui fait que l'esprit est libre »et capable de les changer; mais après tout il ne »fait ces changemens que par le mouvement que »Dieu lui donne, et lui conserve.«

Selon mon stile, j'aurois dit que la perfection qui est dans l'action de la créature vient de Dieu; mais que les limitations qui s'y trouvent, sont une suite de la limitation originale, et des limitations précédentes survenues dans la créature, et que cela a lieu, non-seulement dans les esprits, mais encore dans toutes les autres substances, qui sont par là des causes concurantes au changement qui arrive en elles-mêmes: Car cette détermination dont l'Auteur parle, n'est autre chose qu'nne limitation.

Or, en repassant après cela sur toutes les démonstrations ou corollaires de sa Lettre, on pourra accorder ou rejeter la plupart de ses assertions, suivant l'explication qu'on en pourra faire. Car si par la réalité on n'entend que des perfections ou des réalités positives, Dieu en est la seule cause véritable: mais si ce qui enveloppe des limitations est compris sous les réalités, on niera une bonne partie des Thèses, et l'Auteur lui-même nous en aura montré l'exemple.

C'est pour rendre la chose plus concevable, que je me suis servi dans les essais de l'exemple d'un bateau chargé, que le courant emporte d'autant plus tard que le bateau est plus chargé. On y voit clairement que le courant est cause de ce qui est positif dans ce mouvement, de la perfection, de la force, de la vitesse du bateau; mais que la charge est cause de la restriction de cette force, et qu'elle produit le retardement.

On est louable de vouloir appliquer la méthode des Géomètres aux matières métaphysiques: mais il faut avouer qu'on y a rarement réussi jusqu'ici, et Mr. Descartes lui-même, avec toute cette très-grande habileté qu'on ne peut lui refuser, n'a peut-être jamais eu moins de succès, que lorsqu'il l'a entrepris dans une de ses réponses aux objecsions. Car dans les Mathématiques il est plus aisé de réussir, parce que les nombres, les figures, et les calculs suppléent aux défauts cachés dans les paroles; mais dans la Métaphysique, où l'on est privé de ce secours, (au moins dans les manières de raisonner ordinaires) il faudroit que la rigueur employée dans la forme du raisonnement, et dans les définitions exactes des termes, suppléât à ce manquement; mais on n'y voit ni l'un ni l'autre.

L'auteur de la Lettre, qui montre sans doute beaucoup de feu et de pénétration, va un peu trop vite quelquefois, comme lorsqu'il prétend prouver qu'il y a autant de réalité et de force dans le repos que dans le mouvement: au cinquième corollaire de la cinquième proposition, il allègue que la volonté n'est pas moins positive dans le repos que dans le mouvement, et qu'elle n'est pas moins invincible. Soit, mais s'ensuit-il qu'il y a autant de réalité et de force dans l'un que dans l'autre? Je ne vois point cette conséquence, et par le même raisonnement on prouveroit qu'il y a autant de force dans un mouvement foible, que dans un mouvement fort; Dieu en voulant le repos, veut que ce corps soit au lieu A, où il a été immédiatement auparavant, et pour cela il suffit qu'il n'y ait point de raison qui porte Dieu au changement; mais lorsque Dieu veut que dans la suite le corps soit au lieu B, il faut qu'il y ait une nouvelle raison, qui détermine Dieu à vouloir qu'il soit en B, et non pas en C, ou en tout autre lieu, et qu'il y soit plus ou moins promptement; et c'est de ces raisons de volontés de Dieu qu'il faut tirer l'estime de la force, et de la réalité qui se trouve dans les choses; mais il ne parle guères dans cette Lettre des raisons qui le portent à vouloir, et dont tout dépend, et ces raisons sont prises des objets.

Je remarque même d'abord au corollaire second de la première proposition, qu'elle est bien vraie, mais qu'elle n'est guères bien prouvée. On affirme que si Dieu cessoit seulement de vouloir qu'un être existât, il ne seroit plus, et on le prouve ainsi mot pour mot. Démonstration: ce qui n'existe que par la volonté de Dieu, n'existe plus dès que cette volonté n'est plus (mais c'est ce qu'on doit prouver; on tâche de le faire en ajoutant) Otez la cause, vous ôtez l'effet; il auroit fallu mettre cette maxime parmi les axiomes marqués au commencement; mais par malheur cet axiome se peut compter parmi les règles philosophiques, qui sont sujettes à beaucoup d'exception, Or, par la précédente proposition, et par son premier corollaire,

»nul être n'existe que par la volonté de Dieu, »donc etc.«

Il y a de l'ambiguité dans cette expression, que rien n'existe que par la volonté divine. Si l'on veut dire que les choses ne commencent à exister que par cette volonté, on a raison de ce rapporter aux propositions précédentes. Mais si l'on veut que l'existence des choses soit toujours une suite de la volonté de Dieu, l'on suppose à peu près ce qui est en question. Il falloit donc prouver d'abord, que l'existence des choses dépend de la volonté de Dieu, et qu'elle n'en est pas seulement un simple effet, mais encore une dépendance, à proportion de la perfection qu'elle renferme; et cela posé, elles n'en dépendent pas moins dans la suite qu'au commencement; c'est ainsi que j'ai pris la chose dans mes essais.

Cependant je reconnois que la Lettre sur laquelle je viens de faire des remarques est belle et digne d'être lue, et qu'elle contient des sentimens beaux et véritables, pourvu qu'on la prenne dans le sens que je viens de marquer; et ces manières de raisonner peuvent servir d'introduction à des méditations un peu plus avancées.

LXXXIV.
AD REVERENDISSIMUM PATREM DES BOSSES EPISTOLAE TRES.

1712—1713.

(Leibn. Opp. ed. Dutens Tom. II. P. 1. p. 299—317.)

EPISTOLA XXI.

Reverendissime pater,

Primum versionis tuae partem, deinde litteras Cardinalis Ptelomaci missu tuo accepi. Misit etiam R. P. Orbanius icona insignis viri. Ex utroque missu magnam voluptatem percepi, optoque ut diu floreat, et prosit vir non uno modo Eminentissimus. Idem et tibi precor, qui ordinem tuum, et rempublicam litterariam, non mediocriter, ut auguror, illustrabis. Misit et Orbanius Sinenses quasdam novellas, unde intelligo, quaeri, inter vestros, virum in Mathesi practica versatum, dignum surrogari Castnero. Talem vidi Linzii ante aliquot annos, sed vereor, ne sit aetate provectior, quam ut itineris tanti incommoda ferre possit. Qui nunc apud vos floreant maxime in Mathesi, tuo indicio discere optem.

In Bibliotheca vestra Paderbornensi (si bene memini) vidi olim vetus quoddam Martiani Capellae exemplum, cum scholiis. Inquire, quaeso, an adsit, (possum enim errare) et circumstantias Codicis, autoremque scholiorum, si nomen ascriptum est, indica.

Versio tua pulchra est, et lucem dabit operi: utor tamen in re, pro parte mea, concessa a te libertate, et cum te arctius originali astrinxeris, quo fidelior interpres esses, ego nonnulla clarius explico quam sunt in Gallico; quaedam interdum enuntio rotundius, ut facturus fuissem si Latine scripsissem. Ubi Hanoveram reversus fuero, (nunc enim Guelferbyti ago) ad te remittam.

Nunc ad litteras tuas Philosophicas venio. Ego quoque sentio, admissis substantialibus praeter monades, seu admissa unione quadam reali, aliam longe esse unionem, quae facit, ut animal vel quodvis corpus natura organicum, sit unum substantiale, habens unam monada dominantem, quam unionem, quae facit simplex aggregatum, quale est in acervo lapidum: haec consistit in mera unione praesentiae, seu locali, illa in unione substantiatum novum constituente, quod scholae vocant unum per se, cum prius vocent unum per accidens. Nuspiam dixi, monades prorsus non mutatas modo equum constituere, modo non constituere; nam

cum monas semper intra se exprimat suas ad caetera omnia relationes, longe alia percipiet, cum in equo erit, quam cum in cane. Ad accidentis naturam non sufficit, ut sit dependens a substantia, nam substantia composita dependet a simplicibus, seu monadibus, sed addendum est, dependere a substantia tanquam subjecto, et quidem subjecto ultimo; nam potest accidens esse affectio alterius accidentis, v. g. magnitudo caloris, seu impetus: ita ut impetus sit subjectum, et magnitudo ei insit tanquam abstractum praedicati, cum impetus dicitur fieri magnus vel tantus. Sed calor, vel impetus est in corpore tanquam in subjecto; et ultimum subjectum semper est substantia. Et omne accidens est abstractum quoddam, sola vero substantia est concretum: et licet accidentia etiam possint habere praedicata concreta, velut cum impetus dicitur magnus, ipsamet tamen concreta non sunt, sed abstracta a praedicatis substantiarum.

Porro substantiam compositam, seu rem illam, quae facit vinculum monadum, cum non sit mera modificatio monadum, nec quiddam in illis existens, tanquam subjectis, (neque enim simul pluribus subjectis inesse eadem modificatio posset) statuerem dependere a monadibus; non dependentia logica, (ita scilicet, ut nec supernaturaliter ab iis separari possit), sed tantum naturali, nempe ut exigat illa venire in substantiam compositam, nisi Deus aliter velit; nam potest Deus eandem aliis monadibus uniendis applicare, ita ut priores unire desinat; potest etiam ipsam plane tollere, et aliam alias monades unientem huic substituere; idque vel ita ut alias monades unire desinat, et transferatur de monadibus in monades; vel ita ut suas monades, quas naturaliter unit, retineat; nunc vero supernaturaliter uniat etiam novas. Et hoc videtur secundum vestros dicendum de mutatione totius substantiae corporis in totam substantiam alterius corporis, quod tamen suam priorem naturam retineat.

Veniamus jam ad accidentia realia, quae huic rei unitivae inerant, tanquam subjecto. Et convenies, opinor, quaedam esse non nisi ejus modificationes, quae proinde cum ipsa sublata tollentur. Sed quaeritur, an non sint accidentia quaedam, quae sint plus quam modificationes. Videntur autem haec esse plane superflua, et quicquid ipsis praeter modificationem inest, videtur ad ipsam pertinere rem substantialem. Nec video quomodo possimus abstractum distinguere a concreto, seu subjecto cui inest, aut explicare intelligibiliter quid sit τὸ inesse vel inhaerere subjecto, nisi considerando inhaerens ut modum, seu statum subjecti; qui vel essentialis est, nec nisi mutata substantiae natura mutari potest, nec revera ab ea nisi respectu differt, vel est accidentalis, et appellatur modificatio, quae nasci, et interire potest, manente subjecto. Quod si alium modum nosti explicandi inhaerentiam, hunc suggere, quaeso, ab eo enim res pendebit. Quod si fieri non potest, verendum est, ne accidentia realia conservari dicendo, revera conservetis substantiam, et ita revera tota substantia non transmutetur. Unde etiam Graeci quidam, si bene memini, accidentia realia conservari negant, quia verentur, ne simul conservetur natura, et substantia.

Ais videri, ens medium dari posse inter substantiam et modificationem. Ego vero putem, id medium esse ipsum unum per se substantiatum, seu substantiam compositam; ea enim media est inter substantiam simplicem, quae praecipue nomen substantiae meretur, et modificationem. Substantia simplex est perpetua; substantiatum nasci et interire potest, et mutari; accidens est id, quod nascitur aut desinit substantia mutata, sed manente. Caeterum accidens non est capax novae modificationis, per se scilicet, sed tantum per accidens, quatenus inest substantiae per alia etiam accidentia modificatae; v. g. Impetus, vel calor idem in corpore A, nunc est praesens corpori B, nunc ab eo remotius ob praesentiam, vel remotionem corporis A; sed idem impetus non potest esse major, et minor, manenti enim priori minori accessit novus gradus, et totalis sequens est alius a totali praecedente. Similiter idem impetus non potest dirigi nunc in hanc, nunc in illam plagam, sed novus impetus aliam habens directionem, priori additus, facit novam directionem totalem, partiali utraque manente. Totalis autem impetus etiam ipse alteri compositus novum totalem parit.

His positis, putem Transsubstantiationem vestram explicari posse, retentis monadibus, (quod magis rationi, et ordini Universi consentaneum videtur) sed vinculo substantiali corporis Christi ad monades panis, et vini substantialiter uniendas a Deo adhibito; destructo autem priore vinculo substantiali, et cum eo ipsius modificationibus, seu accidentibus. Ita sola supererunt phaenomena monadum panis, et vini, quae futura fuissent, si nullum vinculum substantiale horum monadibus a Deo additum fuisset. Etsi autem panis, vel vinum non sit substantiatum constituens unum per se; nec proinde uno vinculo substantiali connectatur; est tamen aggregatum ex corporibus organicis, seu substantiatis, constituentibus unum per se; quorum vincula substantialia tollerentur, et a vinculo substantiali corporis Christi supplerentur. Cum dicitur hoc est corpus, tunc admissis substantiis compositis, non monades designantur, vel per hoc, vel per corpus

(quotusquisque enim de illis cogitavit?) sed substantiatum per vincula substantialia ortum, seu compositum.

Venio nunc ad tuam explicationem Transsubstantiationis, instituendam si nulla essent vincula substantialia et substantiata mera essent phaenomena. Ais monades panis et vini destrui, aliasque illis substitui, manentibus tamen in animabus omnibus panis et vini perceptionibus, perinde ac si monades earum mansissent: Porro substitutas panis esse monades corporis Christi. Sed ipse quaeris merito, cur dicamus alias monades prioribus substitutas, aut in quo consistat illa substitutio, nec video quomodo id explicari possit, eo casu, quo nihil in natura ponitur, nisi monades, et monadum perceptiones respondentes perceptionibus monadum destructarum. Sed ita revera dicendum foret accidentia panis, et vini fore in corpore Christi, quod merito improbatur. Neque τὸ hoc est illis corporis Christi monadibus recte tribueremus, ex hoc solo quod fuerint causae ideales in mente Dei harum in nobis perceptionum: causae ideales rationem causandi habent perceptionum alienarum per perceptiones suas illis respondentes. Neque itaque monades corporis Christi causa idealis essent phaenomenorum nostrorum, nisi aliquid in se haberent respondens, quod causalitatem fundaret, id est nisi perceptiones eorum tales essent, quales fuerant in monadibus panis, et vini, ut causae tales idealis nostrarum perceptionum, atque adeo subjecta accidentium apparentium appellari mererentur. Vix itaque video, quomodo res ex meris monadibus, et phaenomenis sufficienter explicari possit; sed addendum est aliquid realizans. Admissa autem realizatione phaenomenorum, et substantiis positis, putem non esse opus sublatione monadum, sed sufficere sublationem, et substitutionem ejus, quod substantiam compositam formaliter constituit; quod monades non faciunt, quae manente substantia composita adesse, vel abesse possunt.

Quaeris, si reali extensione opus non est, cur opus sit materia prima, nec sola Entelechia monadem constituat? Responderem, si solae sunt monades cum suis perceptionibus, materiam primam nihil aliud fore, quam potentiam monadum passivam, et Entelechiam fore eandem activam; sin addas substantias compositas, dicerem in ipsis principium resistentiae accedere debere principio activo, sive virtuti motivae. Quaeris porro, cur infinitae actu monades? Respondeo, ad hoc suffecturam earum possibilitatem, cum praestat quam ditissima esse opera Dei: sed idem exigit rerum ordo, alioqui non omnibus assignabilibus percipientibus phaenomena responderent. Et sane in nostris perceptionibus, utcunque distinctis, intelligimus confusas inesse ad quantam libet parvitatem; itaque his monades respondebunt, ut majoribus distinctioribusque respondent. Quaeris denique, si pomum realiter extensum non est, cur rotundum apparet potius quam quadratum? Respondeo, pomum ipsum, cum sit ens per aggregationem, non nisi phaenomenon esse. Quod superest, vale et fave. Dabam Guelferbyti 20. Septemb. 1712.

Deditissimus
G. G. Leibnitius.

P. S. Gratissimum erit aspectu tuo frui ubi proximo mense in has partes excursionem feceris.

EPISTOLA XXII.

Reverendissime pater,

Doleo me separato colloquio tuo privari. Ego quidem, ex quo nuperum fasciculum Dn. D. Behrensio misi semper hic haesi.

Prodit hic praeclara versio tua, in qua recensenda plusculum mihi alicubi indulsi, quod tu quidem tanquam in alieno arctius te verbis astrinxeris, ego vero liberius quaedam expressi, ut minus Gallicas origines in Latino sapiant.

Nescio an ex te quaesierim in amici gratiam, utrum Colonia vel Nuissia sciri possit, quis fuerit auctor magni Chronici Belgici a Pistorio editi. Fuit Canonicus regularis Nuissiensis; sed nomen, et alia ad Virum pertinentia scire vellemus.

Si ratio excogitari posset, corporibus licet ad sola phaenomena redactis, explicandi possibilitatem τοῦ μετουσιασμοῦ vestri, id pridem mallem. Nam Hypothesis illa multis modis placet. Nec aliqua alia re, quam Monadibus, earumque modificationibus internis, ad Philosophiam oppositis supernaturalibus, indigemus. Sed vereor, ut mysterium Incarnationis, aliaque explicare possimus, nisi vincula realia seu uniones accedant.

Quod superest, vale et fave, ac feliciter iter tuum perage. Dabam Hanoverae 10. Octobr. 1712.

Deditissimus
G. G. Leibnitius.

P. S. Pecuniam Dn. Romerskirkio debitam adjicio tuae. Paululo minus quam 5 thaleros conficit, quos mitto, rogoque, ut ei solvi cures.

EPISTOLA XXIII.

Reverendissime pater,

Quaeritur quomodo sententia vestra περὶ τοῦ μετουσιασμοῦ explicari possit, tum secundum hypothesin merarum Monadum, tum secundum hypothesin substantiarum compositarum. Secundum priorem hypothesin quaeritur in quo consistat substantia corporis compositi, an in Monadibus, an vero in ipsis phaenomenis. Id est, quaeritur (exempli causa) an anima vermis in corpore hominis existentis, sit pars substantialis humani corporis, an vero nudum requisitum et quidem non metaphysicae necessitatis, sed quod in cursu naturae requiratur, quod ego malim. Quod si prius statuitis, utique dicendum est Monades panis et vini tolli, et monades corporis Christi earum esse loco. Sin vero Monades non sunt pars substantialis corporum, et composita sint mera phaenomena; dicendum foret corporum substantiam consistere in phaenomenis veris, quae nempe ipse Deus in ipsis per scientiam visionis percipit, itemque Angeli, et Beati, quibus res vere videre datum est. Itaque Deum cum Beatis percipere Corpus Christi, uti nobis panis et vinum apparent.

Quod si vulgarem sequamur Hypothesin de substantiis corporeis, vel compositis, dicerem, (ut jam praecedente Epistola mentem meam exposui) vinculum substantiale, seu quod additur Monadibus substantiale, quod substantiam compositam formaliter constituit, et phaenomena realizat, mutari, salvis monadibus; quia, ut dixi, anima vermiculi non est de substantia corporis, in quo est vermiculus, nec multiplicanda sunt miracula praeter necessitatem. Vinculum substantiale quod superadditur Monadibus, mea sententia, est absolutum quoddam, quod etsi in naturae cursu accurate respondeat monadum affectionibus, nempe perceptionibus et appetitionibus, ita ut in Monade legi possit, cui corpori corpus insit; supernaturaliter tamen vinculum substantiale potest esse a Monadibus independens, et manentibus prioribus monadibus mutari, et aliis monadibus accomodari. Ita monades panis et vini omni vinculo substantiali carerent, quoad ipsa reducta ad statum hypothesos merarum Monadum sint. Accidentia autem panis et vini, seu phaenomena manebunt, sed non in corpore Christi, tanquam in subjecto; idque etiam Theologorum doctrinae convenit, ne album et rotundum coli dicatur, quod annoto ad numerum 16 Epistolae tuae nuperae, ubi etiam non video quomodo albedo uniri possit angulo, nisi fiat albus, vel album ei uniatur. Porro vincula substantialia videris, numero 5. et alibi in Epistola tua, aliter, quam a me fit, accepisse, quasi ego, dum ea pro entibus absolutis habeo, semper inde ab initio creationis extitisse putem. Sed mea sententia, admissis substantiis corporeis, seu vinculis substantialibus, fatendum est, ea generationi et corruptioni subjacere. Nullam etiam novi Monadum modificationem, vel substantialem, vel accidentalem, quae constituat substantiam compositam, prout rem accepisse videris numero tuo sexto. Nec quicquam in Monadibus agnosco, nisi perceptiones, et appetitiones. Vinculum, quod substantiam compositam facit, nolim appellare accidens absolutum, quia mihi omne absolutum est substantiale. Quod si accidens inde facere velis, lis erit de nomine, incongrua tamen locutio erit, substantiam compositam per accidentalia constitui; cum Smiglecius Aristotelem secutus dicat, accidens non esse sine subjecto, ostendit ens absolutum a se non admitti. Nolim enim Ens realizans phaenomena distinguere a vinculo substantiali, ut facere videris N⁰. 7. Haec duo enim mihi revera sunt idem, et dicendum est, nasci ea, et interire. Positis ergo substantiis compositis, mihi incomparabiliter facilius videtur, et convenientius destruere ens, realizans phaenomena, servatis monadibus, quam contra, ut videris malle N⁰. 8.

Modificationes unius monadis sunt causae ideales modificationum alterius monadis (de quo agis N⁰. 17.) quatenus in una monade apparent rationes, quae Deum ad modificationes in alia monade constituendas ab initio rerum moverunt. Infinitudo continui physici, in Hypothesi merarum monadum, non tam penderet ex ratione optimi, quam ex principio Rationis sufficientis; quia nulla est ratio limitandi seu finiendi, sive alicubi sistendi.

Continuum vero Mathematicum consistit in mera possibilitate, ut numeri; ideo in eo necessaria est infinitudo ex ipsa ejus notione.

Caeterum miraberis, Reverendissime Pater, ubi me videbis, eas litteras Vienna Austriaca dare. Illuc usque excurrendi animum sumsi, cum in Thermis Carolinis nuper apud Magnum Russorum Monarcham evocatus egi. Medium enim jam itineris confeceram. Haerebo hic, donec tempestas anni molliatur, inde bono cum Deo domum redire spero. Caeterum intelligo et fasciculum a te venisse, quem in reditum meum differri oportet, nisi remitti velis.

Quod superest, vale et fave. Dabam Vienna Austriaca 24. Januar. 1713.

Deditissimus

G. G. Leibnitius.

EPISTOLA XXIV.

Reverendissime pater, fautor honoratissime.

Gaudeo te bene valere, et mei amice meminisse. Litterae tuae redditae mihi sunt R. Patris Consbruckii beneficio, una cum Orbanianis. Paro me ad iter Hanoveranum, sed nescio quas per ambages, quia infamata est Vienna, contagii metu. Ego tamen neminem adhuc morientem, aut moribundum vidi, grassaturque lues in plebe, ubi terrore, et miseriis alitur. Caesar, nisi ingravescat malum, cedere negat, quidquid suadeant qui tanto Principi timent. Id agit Princeps maximus, mecumque non semel in deliberatione tractavit, quomodo societas aliqua scientiarum condi possit, quae sedem Viennae habeat, ita tamem ut alibi quoque socii non desint; sed res ob brevitatem temporis nunc absolvi non potest, spero tamen ad effectum perducendam.

Quae de vinculis substantialibus olim ad te sripsi, nunc non invenio. Si admittimus substantias corporeas, seu aliquid substantiale praeter Monades, ita ut corpora non sint mera Phaenomena, necesse est vincula substantialia non esse meros modos monadum. Praeterea si vinculum substantiale sit accidens, seu modus, non poterit esse simul in pluribus subjectis, et proinde nullum revera dabitur vinculum substantiale plurium Monadum, sed in qualibet Monade erit modalitas propria ad aliam Monadem relativa: et ita rursus corpora mera erunt phaenomena, et cum Monades nihil sint aliud quam repraesentationes phaenomenorum cum transitu ad nova phaenomena, patet, in iis ob repraesentationem esse perceptionem, ob transitum esse appetitum; nec dantur principia, unde aliquid aliud peti possit.

Interim objectio tua, Reverendissime Pater, mihi consideratione digna visa est, ex eo sumta, quod vincula substantialia generabilia, et corruptibilia dixeram. Id vero Modalium proprium videtur, ex meis etiam principiis, nec convenire absolutis. Et ideo re expensa, hactenus sententiam muto, ut putem jam nihil oriri absurdi, si etiam vinculum substantiale, seu ipsa substantia compositi dicatur ingenerabilis et incorruptibilis. Quoniam revera nullam substantiam corpoream admittendam puto, nisi ubi est corpus organicum cum Monade dominante, seu vivum, animal scilicet, vel animali analogum. Caetera vero esse aggregata pura, seu unum per accidens, non unum per se. Cum ergo, ut scis, non tantum animam, sed etiam animal interire negem, dicam igitur nec vinculum substantiale, seu substantiam corporis animati naturaliter oriri, et occidere, sed tum aliquid absolutum, tantum variari secundum mutationes animalis. Hinc substantia corporea, vel vinculum substantiale Monadum, etsi naturaliter seu physice exigat Monades, quia tamen non est in illis tanquam in subjecto, non requiret eas metaphysice, adeoque salvis Monadibus tolli, vel mutari potest, et monadibus naturaliter non suis accommodari. Nec ulla Monas praeter dominantem, etiam naturaliter vinculo substantiali affixa est, cum Monades caeterae sint in perpetuo fluxu.

Substantiam non putem simultatem suarum partium dicere, alioqui enim foret aggregatum. Partes, quarum est vinculum, etsi sint ei connaturales, non tamen sunt ei essentiales; itaque naturaliter tolluntur paulatim, et ordinate, sed miraculose statim et per saltum distingui a vinculo possunt, et vinculum ipsum tolli.

Etsi autem panis, et vinum non sint viventia, tamen ut omnia corpora, sunt ex viventibus aggregata, et vincula substantialia singulorum viventium componentium, substantiam componunt. At corpus Christi vinculum substantiale totale habet, cum sit corpus vivum, denique si quid est, quod substantiam corpoream constitnit, in eo vobis quaerenda est possibilitas transsubstantiationis; sin nihil tale sit, et corpora sint mera phaenomena, substantia corporis quaerenda erit in solis phaenomenis. At non nostris, quibus manent priores species, sed in iis quae Menti Divinae, et iis quibus revelat Deus, obversantur.

Nondum discere potui, an recensio Theodicaeae aliqua inserta sit commemorationibus Librariis Trivultianis. Si quid ea de re intelligis, doce me, quaeso. In his oris nec commemorationes illae Trivultianae, nec diarium Parisinum habetur. Sed spero aliquando, annitente Imperatore, Musas Viennenses caput erecturas esse.

Vidi quaedam ingeniosa admodum scripta a R. P. Sacorierio Mathematico Ticinensi, ex Ordine vestro, in lucem edita; etsi sententias quasdam mathematicas foveat, quas non omnino probare possum.

Opto, ut prodeat Bibliotheca vestrae Societatis Alegambio-Sothwelliana per Bonannum, ad novissima tempora continuata. Valde enim vellem notitiam habere praeclarorum virorum Ordinis vestri.

R. Patri Orbano inclusas mitti peto.

Ego me ad reditum paro. Quod superest, vale, Reverendissime Pater, et fave. Dabam Viennae 23. Augusti 1713.

Deditissimus

G. G. Leibnitius.

LXXXV.

EXAMEN DES PRINCIPES

DU

R. P. MALEBRANCHE.

c. 1711.

(Des Maizeaux Recueil des diverses pièces etc. Tom. I. p. 505. — Leibn. Opp. ed. Dutens Tom. II. P. 1. p. 201).

Théodore étant parti, Ariste reçut une visite de Philarète, ancien Ami, Docteur de Sorbonne fort estimé, qui avoit enseigné autrefois, la Philosophie et la Théologie à la mode de l'Ecole, et qui ne méprisoit pas cependant les découvertes des Modernes; mais il y alloit avec beaucoup de circonspection et d'exactitude. Il s'étoit mis dans une espèce de retraite, pour mieux vaguer aux exercices de piété, et il travailloit en même tems à mettre les vérités de la Religion dans leur jour, dont il tâchoit de rectifier et de perfectionner les preuves; et cela l'engageoit à examiner avec rigueur celles qu'on produisoit, afin de marquer en quoi elles avoient besoin d'être suppléées.

Ariste le voyant, s'écria: O que vous venez à propos, mon cher Philarète, après une si longue interruption de notre connoissance! Je sors d'un entretien charmant, dont je voudrois que vous eussiez été. Théodore, ce Théologien excellent, m'a ravi à moi-même; il m'a fait passer de ce Monde corporel et corruptible, dans un Monde intelligible et éternel. Cependant quand j'y pense sans lui, je retombe aisément dans mes anciens préjugés, et je ne sais quelquefois où j'en suis. Personne n'est plus capable que vous de me fixer et de me faire juger sûrement, et pour ainsi dire, de sang froid. Car je vous avoue que les grandes et belles expressions de Théodore me touchent, et m'enlèvent; mais quand il m'a quitté, je ne sais plus comment je me suis élevé si haut; et je me sens une manière de vertige qui m'embarrasse.

Philarète. Le mérite de Théodore m'est connu par ses Ouvrages, où il y a quantité de pensées grandes et belles: il y en a même beaucoup de bien vérifiées; mais il y en a aussi, et des plus fondamentales, qui auroient encore besoin d'être éclaircies davantage. Je ne doute point qu'il ne vous ait dit mille choses propres à vous aider dans le beau dessein que vous avez pris, à ce que j'apprens, de quitter les vanités du Monde, le bruit étourdissant du peuple, et les entretiens vains et souvent pernicieux des gens mondains, pour vous adonner aux méditations solides, qui nous attachent à la vertu et nous mènent à la félicité. Ce que j'ai entendu dire de votre changement heureux m'a engagé à vous faire visite, pour renouveller notre ancienne liaison; vous ne me pouvez fournir une meilleure occasion d'entrer en matière, et de vous montrer mon zèle, qu'en me parlant d'abord de ce qui a été depuis long-tems l'objet de mes méditations, et qui doit être un des plus intéressans des vôtres. Si vous pouviez vous souvenir de la substance du discours de Théodore, peut-être pourrois-je vous aider à développer une partie de notions qu'il vous a données et il acheveroit lui-même ensuite d'éclaircir et d'établir ce qui nous paroîtroit encore obscur ou douteux.

Ariste. Je suis ravi de votre secours, et je tâcherai de faire une récapitulation de ce que Théodore m'a dit en substance; mais n'espérez pas de moi les charmes attachés à tout ce qu'il m'a dit. Il a entrepris premièrement de me faire voir que ce Moi qui pense n'est point un corps, parce que les pensées ne sont point des matières d'être de l'étendue, dans laquelle consistel'e ssence du corps. Je lui ai demandé de me prouver que mon corps n'est que de l'étendue: il m'a semblé qu'il me le

prouvoit, quand je l'écoutois; mais je ne sais comment cette preuve m'est échappée. Je m'y remets pourtant peu à peu. Il suffit, m'a-t-il dit, d'avoir de l'étendue pour former le corps. Il a ajouté encore, que si Dieu détruisoit l'étendue, le corps seroit détruit.

Philarète. Les Philosophes qui ne sont point Cartésiens n'accorderont point qu'il suffit d'avoir de l'étendue pour former un corps; ils demanderont encore quelqu'autre chose que les Anciens appelloient Antitypie, c'est-à-dire ce qui fait qu'un corps est impénétrable à l'autre; et selon eux, l'étendue nue ne sera que le lieu, ou l'espace dans lequel les corps se trouvent. Et en effet, il me semble que Descartes et ses Sectateurs, quand ils entreprennent de réfuter ce sentiment, ne font que des suppositions; et pour nommer la chose par son nom, des pétitions de principe.

Ariste. Mais ne trouvez-vous pas que la supposition de la destruction de l'étendue, qui entraine celle du corps, prouve que le corps ne consiste que dans l'étendue?

IV. Quant à l'efficace des Causes secondes, on a encore raison de la soutenir contre le sentiment de ce Père. J'ai démontré que chaque substance simple, ou Monade, telles que sont les ames, suit ses propres lois, en produisant ses actions, sans y pouvoir être troublée par l'influence d'une autre substance simple créée; et qu'ainsi les corps ne changent pas les loix Ethico-Logiques des ames, comme les ames ne changent point non plus les loix Physico-Mécaniques des corps. C'est pourquoi les Causes secondes agissent véritablement, mais sans aucune influence d'une substance simple créée sur une autre; et les ames s'accordent avec les corps et entre elles en vertu de l'Harmonie préétablie, et nullement par une influence physique mutuelle; sauf l'union métaphysique de l'ame et de son corps, qui les fait composer Unum per se, un Animal, un Vivant. On a donc eu raison de réfuter le sentiment de ceux qui nient l'action des causes secondes: mais il faut le faire sans renouveler les fausses influences, telles que sont les espèces de l'Ecole.

V. Le P. Malebranche s'étoit servi de cet argument: que l'étendue n'étant pas une manière d'être de la matière, doit être sa substance. L'Auteur de la réfutation distingue entre les manières d'êtres positives; et il prétend que l'étendue est une des manières d'être de la seconde sorte; lesquelles il croit pouvoir être conçues par elles-mêmes. Mais il n'y a point de manières d'être positives; elles consistent toutes dans la variété des limitations, et toutes ne peuvent être conçues que par l'Etre dont elles sont les manières et les façons. Et quant à l'étendue, on peut dire qu'elle n'est pas une manière d'être de la matière, et cependant qu'elle n'est pas une substance non plus. Qu'est-elle donc? direz-vous, Monsieur. Je réponds qu'elle est une attribut des substances, et il y a bien de la différence entre les attributs et les manières d'être.

VI. Il me semble aussi que l'Auteur de la Réfutation ne combat pas bien le sentiment des Cartésiens sur l'infini, qu'ils considèrent avec raison comme antérieur au fini, et dont le fini n'est qu'une limitation. Il dit que si l'esprit avoit une vue claire et directe de l'infini, le P. Malebranche n'auroit pas eu besoin de tant de raisonnemens pour nous y faire penser. Mais par le même argument on réjetteroit la connoissance très-simple et très-naturelle que nous avons de la Divinité. Ces sortes d'objections ne valent rien: car on a besoin de travail et d'application pour donner aux hommes l'attention nécessaire aux notions les plus simples, et on n'en vient guères à bout qu'en les rappellant de leur dissipation à eux-mêmes. C'est aussi pour cela que les Théologiens, qui ont fait des ouvrages sur l'éternité, ont eu besoin de beaucoup de discours, de comparaisons et d'exemples pour la bien faire connoître; quoiqu'il n'y ait rien de plus simple que

la notion de l'éternité. Mais c'est que tout dépend de l'attention en de telles matières. L'Auteur ajoute que dans la prétendue connoissance de l'infini, l'esprit voit seulement que les longueurs peuvent être mises bout-à-bout et répétées tant qu'on voudra. Fort bien; mais cet Auteur pouvoit considérer, que c'est déjà connoître l'infini, que de connoître que cette répétition se peut toujours faire.

VII. Le même Auteur examine dans son second Tome la Théologie naturelle du P. Malebranche; mais son début me paroit outré, quoiqu'il déclare de ne représenter que les soupçons d'autrui. Ce Père disant que Dieu est l'Etre en général, on prend cela pour un être vague et notional, comme est le genre dans la Logique; et peu s'en faut qu'on n'accuse le P. Malebranche d'Athéïsme; mais je crois que ce Père a entendu, non pas un Etre vague et indéterminé, mais l'Etre absolu, qui diffère des Etres particuliers bornés, comme l'espace absolu et sans bornes diffère d'un cercle ou d'un quarré.

VII. Il y a plus d'apparence de combattre le sentiment du P. Malebranche sur les idées. Car il n'y a aucune nécessité, ce semble, de les prendre pour quelque chose qui soit hors de nous. Il suffit de considérer les idées comme des notions, c'est-à-dire, comme de modifications de notre ame. C'est ainsi que l'Ecole, Mr. Descartes, et Mr. Arnaud les prennent. Mais, comme Dieu est la source des possibilités, et par conséquent des idées, on peut excuser et même louer ce Père d'avoir changé de termes, et d'avoir donné aux idées une signification plus relevée, en les distinguant, des notions, et en les prenant pour des perfections qui sont en Dieu, auxquelles nous participons par nos connoissances. Ce langage mystique du Père n'étoit donc point nécessaire; mais je trouve qu'il est utile, car il nous fait mieux envisager notre dépendance de Dieu. Il semble même que Platon parlant des idées, et St. Augustin parlant de la vérité, ont eu des pensées approchantes, que je trouve fort raisonnables; et c'est la partie du Système du P. Malebranche que je serois bien aise qu'on conservât, avec les phrases et formules qui en dépendent; comme je suis bien aise qu'on conserve la partie la plus solide de la Théologie des Mystiques. Et bien loin de dire avec l'Auteur de la Réfutation, que le système de St. Augustin est un peu infecté du langage et des opinions Platoniciennes, je dirois qu'il en est entrichi, et qu'elle lui donnent du relief.

IX. J'en dis presqu'autant du sentiment du P. Malebranche, quand il assure que nous voyons tout en Dieu. Je dis que c'est une expression qu'on peut excuser, et même louer, pourvu qu'on la prenne bien, car il est plus aisé de s'y méprendre que dans l'article précédent des idées. Il est donc bon de considérer, que non-seulement dans le sytème du P. Malebranche, mais encore dans le mien, Dieu seul est l'objet immédiat externe des ames, exerçant sur elles une influence réelle. Et quoique l'Ecole vulgaire semble admettre d'autres influences, par le moyen de certains espèces, qu'elle croit que les objets envoient dans l'ame; elle ne laisse pas de reconnoître que toutes nos perfections sont un don continuel de Dieu, et une participation bornée de sa perfection infinie. Ce qui suffit pour juger que ce qu'il y a de vrai et de bon dans nos connoissances, est encore une émanation de la lumière de Dieu; et que c'est dans ce sens qu'on peut dire, que nous voyons les choses en Dieu.

X. Le troisième Tome réfute le système de la Théologie révélée du P. Malebranche, par rapport sur-tout à la Grace et à la Prédestination. Mais comme je n'ai point assez étudié les sentimens Théologiques particuliers de cet Auteur, et comme je crois avoir assez éclairci la matière dans mes Essais de Théodicée, je me dispense d'y entrer à présent.

Il resteroit maintenant à vous parler, Monsieur, de la Théologie Naturelle des Lettres Chinois, selon ce que le Père Longobardi Jésuite, et le P. Antoine de St. Marie, de l'Ordre des Mineurs, nous en rapportent dans les Traités que vous m'avez envoyés, pour en avoir mon sentiment, ausssi-bien que sur la manière dont le R. P. Malebranche s'y est pris pour donner à un Chinois Lettré quelque entrée dans notre Théologie; mais cela demande une lettre à part, celle que je viens d'écrire étant déjà assez prolixe. Je suis avec zèle, en me rapportant au reste à ma précédente,

Monsieur,

Votre très-humble et très-obéissant serviteur,

Leibniz.

XCVI.

AD REVERENDISSIMUM PATREM DES BOSSES EPISTOLAE DUAE.

1716.

(Leibn. Opp. ed. Dutens Tom. II. P. 1. p. 315.)

EPISTOLA XXIX.

Reverendissime pater, fautor honoratissime.

Magnopere gaudeo te valere, et rem, ut soles, pulchre gerere. Ego litteras tuas accipiens commodum absolvi dissertationem de Theologia Sinensium naturali, Gallico sermone conscriptam in gratiam amici Galli viri insignis, nec partibus addicti; in qua de Deo, Spiritibus, et anima humana ex Sinensium doctrina ago: utroque illis ipsis auctoritatibus, quas Nicolaus Longobardus, ex vestro ordine, et Antonius de S. Maria Franciscanus, attulere, ut Sinenses etiam antiquos Atheismi convincerent: in quo tantum abest ut successum habuerint, ut potius contraria omnia mihi verisimillima videantur. Quin Sinenses veteres ultra Graeciae Philosophos, veritati accessisse, et docuisse videntur, materiam ipsam esse productionem Dei.

Illud etiam pergratum est quod scribis, Dominum de Cochenheim versionem Germanicam operis suscepisse, quod Dominus Abbas de S. Petro Gallus illustris, de pace perpetua stabilienda edidit, et de quo sententiam etiam meam expetiit. Scripsi illi binas litteras satis amplas, misique Dissertationem quam olim de eodem argumento edidit Serenissimus Ernestus Hassiae Landgravius caput lineae Rheinfelsensis. Itaque credo Dn. de Cochenheim memoria veteris Domini (huic enim Principi initia fortunae debet) laborem in se recepisse. Occasione data eum officiosissime a me salutari peto.

Harduinianae Conciliorum editionis non vidi nisi conspectum, quo omissa Labaeanae, et accessiones novae editionis recensentur. Duodecim voluminibus constat. Gratias ago pro transmissione propositionum à Praeposito Generali Tamburino (qui nunc quoque ut arbitror Societatem vestram regit) condemnatarum, et puto plerasque sic facile capi posse, ut notam mereantur. Vellem R. P. Fonseca Viennae fuisset, cum ego illic agebam. Saepe apud proceres, eosque dissentientes vestros Sinenses defendi in sermonibus convivalibus. Ego Lusitanicae Aulae opera maxime factum puto, ut Curia Romana moderatius in eo negotio agat. Miror vestros jam rursus in Japoniam admitti. Oportet magnam illic factam animorum conversionem, post tantam, ante annos non adeo multos, acerbitatem. Itaque historiam vestrae readmississionis nosse velim.

Lamindum Pritanium non alium esse puto quam ill. virum Bernhardum Trevisanum nobilem Venetum, quem de bono sapore (del buon gusto) libellum edidisse, et eodem nomine fictio in hoc, et aliis usum novi. Hartsoekeri responsionem, quam te mittere ais, addere oblitus es. Quoniam versionem libelli Gallici pro Constitutione Unigenitus adornare voluisti, credo libellum tibi versione dignum visum. Ego putem rectissime facturos Romanos, si dent explicationes tamdiu desideratas, ita enim haerentibus satisfacient. Nunquam mihi censurae illae vagae placuere, quibus percelluntur homines, non docentur. Et vereor ne Censurarum multitudine laboremus, quae praetextus saepe praebent vexandi viros bonos et doctos.

Elegans est locus Sfortiae Pallavicini vestri, nondum credo Cardinalis, cum scriberet, quem mecum communicasti, et omnino ad sensum meum; si vera esset Astrologia judiciaria, si Chiromantia, si quas jactant quidam, signaturae rerum, res ascribenda esset harmoniae divinitus praestabilitae. In

ipsa Theodicaea locum notavi P. Francisci Suarez de orationibus beatorum, quas successum habere putat per harmoniam praestabilitam.

Expecto ab aula nostra facultatem, mensem Junium hagiographorum Antverpiensium (qui nobis adhuc deest) redimendi, quod Colonia optime fieri posse, fixo pretio, mihi Antverpia per amicum significatum est. Tunc etiam Juventium vestrum afferri curato, cujus dictionis elegantis alia specimina vidi. Ubi nunc degat, nosse velim. Recte faciet, si quod operi deest, ab initio Societatis suppleat. Spero et continuationem Bibliothecae vestrae, Romae, curante Bonanno tandem prodituram. Optarem indicem nancisci vestrorum nunc viventium, qui scriptis editis noscuntur. Theodicaeam Latinam credo gratiorem illic fore, ubi minor usus est Gallici sermonis; velut in media Germania, in Italia, atque etiam apud Anglos, ne quid de Hispanis dicam.

Fuit apud me aestate proxima Dominus Gerardus Cornelius van den Drisch; qui a notitia tua inprimis (et sane merito) gloriabatur, aliquoties ad me litteras dedit: melius eum nosse non ingratum foret. Vellem dari ipsi occasionem apud juvenem aliquem nobilem explicandi dotes suas. Quod superest, vale et fave, et annum novum cum aliis multis laetus age. Dabam Hanoverae 13. Januarii 1716.

Deditissimus
G. G. Leibnitius.

P. S. Philosophica peculiari scheda complecti volui; ac primum testor me rem quasi de integro considerasse, sepositis, quantum liceret, praejudiciis ita tua jam perlustro.

Cum dico materiam esse indifferentem, intelligo quod in ea pure passivum est. Elegans est tua objectio circa indifferentiam temporis, quae enim sic ratio dabitur, cur mundus tunc primum creatur. Ego fateor nullam esse, sed respondeo etiam nullum esse reale discrimen, nunc an mille ante annis creatus fingatur, cum tempus non sit nisi ordo rerum, non aliquid absolutum. Atque idem de spatio censeo. Eadem sunt, quorum discrimen a nemine, ne ab omniscio quidem, assignari potest.

Non bene memini, quo argumento usus sim in Epistola, Diario Gallico A. D. 1691. inserta, pro stabiliendo discrimine Extensionis, et materiae; caeterùm extensionem concipio ut ordinem coexistendi partium extra partes, qui per distantias explicatur, seu magnitudinem viae brevissimae ab uno distantium ad aliud. Quaeris deinde utrum extensio sit modus corporis, an aliquid absolutum? Et posterius tibi magis placet. Nam corpus consistere in inertia naturali, formaliter inextensum esse. Jam ut virtus activa non est modificatio rei passivae; ita extensio non erit modificatio rei per se inextensae. Hoc argumentum a simili hic non nisi ad verisimilitudinem valere ipse haud dubie agnoscis. Videamus, an aliqua subsit sufficiens. Ac primum comparationi objici posse videtur; virtutem activam esse novam perfectionem, sed extensio, seu positio partium extra partes potius imperfectio est, cum faciat rem obnoxiam destructioni naturali. Deinde materia, seu passivum, non exigit virtutem activam, ita ut materia naturaliter in virtutem activam prorumpat, nisi miraculo impediatur. Sed talis est materia, ut naturaliter habitura sit extensionem, nisi impediatur per divinam omnipotentiam. Unde etiàm confirmari videtur, esse modificationem; nam nihil aliud substantia exigit, quam sui modificationes. Denique si extensio nihil aliud est, quam ordo, secundum quem partes sunt extra partes, profecto nihil aliud est, quam modificatio materiae. Extensionem concipere ut absolutum ex eo fonte oritur, quod spatium concipimus per modum substantiae, cum non magis sit substantia quam tempus. Itaque recte scholastici olim spatium sine rebus imaginarium dixere, qualis res est numerus sine re numerata. Secus sentientes in miras se inducunt difficultates. Sublatis monadibus manere extensionem non magis verum puto, qum sublatis rebus manere numeros.

Non video, quomodo concipi possit realizans phaenomena esse extra substantiam. Nam istud realizans efficere debet, ut substantia composita contineat aliquid substantiale praeter monades, alioqui nulla dabitur substantia composita, id est, composita erunt mera phaenomena; Et in hoc me prorsus cum scholasticis sentire arbitror; eorumque materiam primam, et formam substantialem, potentias nempe passivam, et activam, primitivas compositi, et completum ex iis resultans, revera arbitror esse illud vinculum substantiale, quod urgeo.

Cum dixi, vinculum substantiale esse principium actionis compositi, objicis primo, substantiam compositam sitam esse in monadibus substantialiter modificatis: Sed hoc non admitto, et quid est monades substantialiter modificari? Ego putem nihil modificari substantialiter. Et profecto cum verum substantiae indicium sit actio, nisi ipsa substantia composita, quatenus composita est, agit, non erit substantia composita, sed merum phaenomenon, nihil habens praeter monades, et singularum modificationes; nulla invicem reali connexione, neque Physica (quam dudum excludo) neque Metaphysica, quae fit per unionem. Objicis secundo, vinculum substantiale esse principium resistentiae; ita est,

nempe compositi, est enim ipsa, ut sic dicam, potentia passiva compositi. Sed ita, inquies, extensio erit principium resistentiae. Ego vero nego hoc sequi, extensio enim longissime differt a potentia passiva, cum nihil nisi situm exprimat ejus, quod jam potentiam passivam habet. Ita candide dicere possum, nihil esse in objectionibus istis quod memorari posse videatur. Et ex adverso, non videre me quomodo substantia nova formaliter oriatur, nisi per nova quaedam substantialia attributa. Mea igitur doctrina de substantia composita videtur esse ipsa doctrina Scholae Peripateticae, nisi quod illa monades non agnovit. Sed has addo, nullo ipsius doctrinae detrimento. Aliud discrimen vix invenies, etsi animum intendas.

EPISTOLA XXX.

Reverendissime pater, fautor honoratissime.

Uti in Geometria interdum contingit, ut ex eo ipso quod supponitur aliquid esse diversum, inde non esse diversum consequatur; de quo genere ratiocinandi apud Euclidem aliquando reperto, Cardanus, Clavius, aliique egere: Ita si quis fingat, mundum creatum fuisse citius, reperiet non esse factum citius; quia tempus absolutum non datur, sed nihil aliud est quam ordo successionum. Eodem modo si quis fingat, totum Universum loco moveri servatis omnium rerum inter se distantiis, nihil actum erit; quia spatium absolutum aliquid imaginarium est, et nihil ei reale inest, quam distantia corporum; Verbo, sunt ordines, non res. Tales suppositiones oriuntur ex falsis ideis. Itaque nisi aeternus sit mundus, quocunque tempore coepisse dicatur, perinde est: Et nisi hoc statuamus, in absurdum incidemus, nec poterimus satisfacere arguentibus pro aeternitate Mundi. Sequeretur enim Deum aliquid praeter rationem fecisse, neque enim possibile est rationem dari, hujus potius quam alterius temporis initialis; cum discrimen ullum assignari non possit. Sed ex hoc ipso, quod discrimen assignari non potest, judico etiam nullam esse diversitatem. Potuit ergo citius oriri mundus, sed tunc statuendus erit aeternus.

Materiam naturaliter exigere extensionem, est partes ejus naturaliter exigere inter se ordinem coexistendi. An hoc negabis?

Eo ipso, dum puncta ita sita ponuntur, ut nulla duo sint, inter quae non detur medium, datur extensio continua.

In tuo arbitrio est, vinculum realizans composita, appellare modum substantialem. Sed tunc modum usurpas alio sensu, quam solemus. Revera enim substantiae compositae basis erit. Sed iste modus est res durabilis, non modificatio quae nascitur, et perit. Non tamen est modus monadum, quia sive ponas, sive tollas, nihil in monadibus mutatur.

Non dico inter materiam, et formam dari medium vinculum, sed ipsam compositi formam substantialem, et materiam primam sensu scholastico sumtam, id est potentiam primitivam, activam, et passivam, ipsi vinculo, tanquam essentiae compositi inesse. Interim vinculum hoc substantiale naturaliter, non essentialiter vinculum est. Exigit enim monades, sed non essentialiter involvit, quia existere potest sine monadibus, et monades sine ipso.

Si realizans phaenomena praesupponeret aliquid praeter monades, jam compositum esset realizatum contra hypothesin. Quicquid existit praeter Monades, et Monadum modificationes, realizantis phaenomena consectarium est.

Etiam verae substantiae compositae non gignuntur, nisi ad sensum; nam, ut saepe dixi, non tantum anima, sed et animal manet. Non oriuntur, vel occidunt nisi modificationes et (ex substantiatis) aggregata; id est accidentia vel entia per accidens.

At ratione rerum (etiam sine respectu ad sapientiam divinam) judicamus, nos non solos existere, quia nulla apparet privilegii pro uno ratio. Nec ipse aliter ratione convincere poteris aliquem, qui contenderet se solum existere, alios a se tantum somniari. Sed ratio datur privilegii existentium prae non existentibus, seu cur non omnia possibilia existant. Caeterum etsi nullae existerent creaturae praeter percipientem, ordo perceptus ostenderet sapientiam divinam. Itaque nullus hic circulus, quanquam etiam sapientia DEI a priori, non ex solo phaenomenorum ordine habeatur. Ex eo enim, quod contingentia reperiuntur, reperitur Ens necessarium, id intelligens, ut in Theodicaea ostendi. Si corpora mera essent phaenomena, non ideo fallerentur sensus. Neque enim sensus pronuntiant aliquid de rebus metaphysicis. Sensuum veracitas in eo consistit, ut phaenomena consentiant inter se, neque decipiamur eventibus, si rationes experimentis inaedificatas probe sequamur.

Substantia agit quantum potest, nisi impediatur; impeditur autem etiam substantia simplex, sed naturaliter non nisi intus a se ipsa. Et cum dicitur monas ab alia impediri, hoc intelligendum est de alterius repraesentatione in ipsa. Autor rerum eas sibi invicem accommodavit, altera pati dicitur, dum ejus consideratio alterius considerationi cedit.

Aggregatum resolvitur in partes, non substantia composita; quae partes componentes exigit tantum, verum non ex iis essentialiter constituitur, alioqui foret aggregatum. Agit mechanice, quia in se habet vires primitivas, seu essentiales, et derivativas, seu accidentales.

Est Echo monadum, ex sua constitutione, qua semel posita exigit monades, sed non ab iis pendet. Etiam anima est Echo externorum, et tamen ab externis est independens.

Quia nec monades, nec substantiae compositae partiales de substantia composita totalis essentia sunt; ideo salvis monadibus, vel aliis ingredientibus, substantia composita tolli potest, et vice versa.

Si corpora mera essent phaenomena, existerent tamen ut phaenomena, velut Iris.

Ais, corpora posse esse aliud quam phaenomena, etsi non sint substantiae. Ego puto, nisi dentur substantiae corporeae, corpora in phaenomena abire. Et ipsa aggregata nihil aliud sunt, quam phaenomena, cum praeter monades ingredientes, caetera per solam perceptionem addantur, eo ipso dum simul percipiuntur. Praeterea si sola monades essent substantiae, alterutrum necessarium esset, aut corpora esse mera phaenomena, aut continuum oriri ex punctis, quod absurdum esse constat. Continuitas realis non nisi a vinculo substantiali oriri potest. Si nihil existeret substantiale praeter monades, seu si composita essent mera phaenomena, extensio ipsa nil foret nisi phaenomenon resultans ex apparentiis simultaneis coordinatis, et eo ipso omnes controversiae de compositione continui cessarent. Quod vero additur monadibus ut phaenomena realizentur, non est modifiatio monadum, quia nihil in earum perceptionibus mutat. Ordines enim, seu relationes, quae duas monades jungunt, non sunt in alterutra monade, sed in utraque aeque simul, id est, revera in neutra, sed in sola mente; hanc relationem non intelliges, nisi addas vinculum reale, seu substantiale aliquid, quod sit subjectum communium, seu conjungentium praedicatorum et modificationum. Neque enim puto a te statui accidens, quod simul insit duobus subjectis, et unum, ut sic dicam, pedem in uno, alterum in altero habeat.

Quantitas continua non addit impenetrabilitatem (nam ea etiam loco tribuitur) sed materia. Et vos ipsi statuitis impenetrabilitatem exigi tantum a materia, non esse de ejus essentia.

Subštantia composita non consistit formaliter in monadibus, et earum subordinatione, ita enim merum foret aggregatum, seu ens per accidens; sed consistit in vi activa, et passiva primitiva, ex quibus oriuntur qualitates, et actiones, passionesque compositi, quae sensibus deprehenduntur, si plus quam phaenomena esse ponantur.

Dicis, modificari substantialiter esse monades habere modum, qui eas faciat naturale principium operationum. Sed quid, quaeso, ille modus est-ne qualitas? est-ne actio? Mutatne monadum perceptiones? Nihil tale dici debet; revera substantia est, non monadum modus; etsi naturaliter ei monades respondeant. Monades non sunt principium operationum ad extra. Nescio quid te adigat, ut substantialitatem compositi facias monadum modum, id est, revera accidens. Non est opus ut statuamus substantias oriri, interireque, imo si statuimus, evertemus substantiae naturam, recidemusque in aggregata, seu Entia per accidens. Quod vulgo substantias dicunt, revera non sunt, nisi substantiata. Philosophi Peripatetici, dum generationem, et corruptionem veram substantiarum crediderunt, in difficultates inexplicabiles inciderunt circa originem formarum, aliaque; quae omnia meo explicandi modo cessant.

Ita est, ut ais, ubi substantia illa absoluta realizans Phaenomena, ponitur, statim habetur substantia compositi, sed a Deo regulariter agente non ponitur, nisi dentur ingredientia; nempe monades, aut aliae substantiae compositae partialesque. Interim haec ingredientia formaliter non insunt; exiguntur, non necessario requiruntur. Itaque miraculo abesse possunt, id est, ista ingredientia non sunt formaliter constitutiva; sunt constitutiva in aggregatis, non in veris substantiis. Dices, cum substantia composita abest, monades vero, vel ingredientia, non adsunt, nemo dicet adesse compositum. Respondeo, nemo dicet, nisi edoctus sit, esse miraculum: Sic nemo dicet, Corpus Christi adesse in Eucharistia, nisi edoctus hoc miraculose fieri.

Ignosce, quod saltatim scribo, et ideo fortasse non semper satisfacio; nam ad anteriora scripta recurrere non possum. Inde interdum quaedam species contradictionis fortasse orietur. Re tamen excussa erit fortasse magis in modo enuntiandi, quam rebus. Nescio, an, ubi, et quomodo dixerim modificationem rei non extensae facere rem extensam.

Omnis perfectio meo judicio ad lineam sapientiae pertinet. Porro linea sapientiae eo tendit, ut perfectio maxima introducatur, quam res capit. Itaque si quae perfectiones sunt aliis compatibiles, non omittentur. Et talis est perfectio harmoniae praestabilitae, quae etiam alioribus rationibus nititur. Caeterum ipsa cujusque monadis relatio fa-

cit, ut in se invicem non agant, cum unaquaeque sufficiat omnibus, quae in ipsa contingunt; quicquid in ipsis addes inane est.

Quaeris tandem, per quod mea substantia composita differat ab Entelechia. Dico ab ea non differre, nisi ut totum a parte, seu Entelechiam primam compositi, esse partem constitutivam substantiae compositae, nempe vim activam primitivam. Sed differt a Monade, quia est realizans phaenomena; Monades vero existere possunt, etsi corpora non essent, nisi Phaenomena. Caeterum Entelechia compositae substantiae semper monadem suam dominantem naturaliter comitatur: Et ita, si Monas sumatur cum Entelechia, continebit formam subsantialem animalis.

Nil prohibet quin Echo possit esse fundamentum aliorum, praesertim si sit Echo originaria.

Si monades rigorose loquendo, substantiis compositis accidunt, etsi sint naturaliter iis connexae; velle ut hae tollantur, est scrupulositatem Graecorum quorundam renovare, qui etiam accidentia panis et vini sublata esse contendunt. Denique non sunt augenda miracula praeter necessitatem. Revera monades pertinent ad quantitatem quam superesse Scholastici ipsi volunt. Non est parvum, id omne adesse unius substantiae, abesse alterius, quod phaenomena realizet. Breviter: ex his duabus positionibus dari substantiam compositam, phaenomenis realitatem tribuentem, et substantiam naturaliter, nec oriri, nec occidere, mea cuncta hic consequuntur; quamquam revera ex sola prima positione, seu ex solo postulato, quod phaenomena habeant realitatem extra percipiens videatur tunc demonstrari posse Philosophia Peripatetica emendata. Nam quod substantia non oriatur, nec occidat, vel ex eo confici potest, quia alias incidemus in perplexitates. Ex his porro oritur discrimen formale inter substantiam compositam, et monadem, rursusque inter substantiam compositam, et aggregatum; atque etiam independentia compositaeab ingredientibus, a quibus composita dicitur, etsi ex iis non sit aggregata. Atque hinc etiam substantiam, ac ipsam compositam (verbi gratia hominis, animalis) eandem numero manere dicimus, non tantum apparenter, sed et vere, etsi ingredientia perpetuo mutentur, et sint in continuo Eluxu. Et sic ingredientia ipsa, ponamus a substantia per naturam separari paulatim, et particulatim, quidni admittas, per miraculum separationem ut sic loquar, totatim, et simul, sublata omni substantia composita, seu phaenomena realizante, quae est in re terrena, substituto realizante phaenomena in re coelesti: Itaque non puto, me a doctrina scholarum circa substantias corporeas abire, nisi in hoc uno, quod verae substantiae, sive simplicis, sive compositae, generationem, et corruptionem tollo, quia nec necessarias, nec explicabiles esse reperio; atque ita philosophiam istam innumeris difficultatibus libero. Sed ita substantiam corpoream, seu compositam restringo ad sola viventia, seu ad solas machinas naturae organicas. Caetera mihi sunt mera aggregata substantiarum, quae appello substantiata; aggregatum vero non constuit nisi unum per accidens.

Ad ea, quae de punctis Zenoniis dixisti addo, ea non esse nisi terminos, itaque nihil componere posse: sed et monades solae continuum non component, cum per se careant omni nexu quaelibet monas est tanquam mundus separatus. At in materia prima (nam secunda aggregatum est) seu in passivo substantiae compositae involvitur continuitatis fundamentum, unde verum oritur continuum ex substantiis compositis juxta se positis, nisi a Deo supernaturaliter tollatur extensio, ordine inter coexistentia illa quae se penetrare censentur sublato. Et hoc sensu fortasse dixi, extensionem esse modificationem materiae primae, seu formaliter non-extensi. Sed hoc genus modalitatis medium est inter attributa essentialia, et accidentia, consistit enim in attributo naturali perpetuo, quod non nisi supernaturaliter mutari potest.

Credebam ego, et pro certo tibi scripseram, Lamindum Pritanium esse Bernardum Trevisanum Nobilem Venetum. Sed hoc nuper in dubium vocavit Diurnalista Batavus, qui Ludovicum Muratorium Conachiensibus pro Mutinae Duce scriptis notum, auctorem facit.

Quod hominem in conversione glaciei quae frangitur comparavi, accipiendum est pro natura cujusque subjecti. Resistentia, quae in homine per gratiam separatur, est vitalis, cum consistat in praejudiciis intellectus, et passionibus voluntatis.

Rogo, ut data occasione, salutandi Domini de Cochenheim, et rerum Sinensium et Japonensium, atque etiam R. P. Fonsecae mihi conciliandi memor esse velis. Circa libros ob absentiam Aulae nunc mandata tardius habentur, praesertime um Regem primariosque Ministros speremus.

Cogitavi aliquando quid uni ex vestris dicendum foret, qui omnem substantiam compositam, seu omne realizans phaenomena, tanquam superfluum tollere vellet. Hoc posito, substantia corporis ipsius consisteret in phaenomenis constitutivis, ut accidentia consistunt in phaenomenis resultantibus, quemadmodum natura albi consistit in bullis, instar spumae, vel simili aliqua contextura, cujus perceptio est in nobis inobservata. Accidens vero alibi consisteret in perceptione illa observata, per quam album agnoscimus. Itaque si Deus vellet pro albo substituere nigrum, servatis accidentibus albi, efficeret, ut omnes percipientes (in mutuo enim percipientium consensu consistit phaenomeni veritas) retinerent perceptionem albi observatam, et ejus effectus, seu perceptionem resultantis ex constitutivo; sed perceptionem inobservatam haberent non spumarum, seu monticulorum, (id est texturae album facientis), sed vallium, seu texturae facientis nigrum. Itaque omnes perceptiones observabiles panis manerent, sed pro phaenomenis constitutivis (quae etiam a nobis percipiuntur, sed inobservabiliter) phaenomenorum constitutivorum, seu inobservabilium carnis perceptio universalis substitueretur. Vale. Ita precatur Hanoverae 29. Maii 1716.

Deditissimus
G G. Leibnitius.

P. S. Ignosce, quaeso, perturbatissimae scriptioni meae.

Has literas multo citius mittere constitueram; sed varia intercessere.

Quid de Domino van Drieids, quem putem favore tuo non indignum? Hortatus sum, ut vestros, quemadmodum par est, colat, friguscula ex animo deleat. Id se facturum spondet.

XCVII.

DEUX LETTRES A MR. BOURGUET.

1 7 1 6.

(Leibn. Opp. ed. Dutens. Tom. II. P. I. p. 355.)

LETTRE VI.

Monsieur,

Je viens de recevoir l'honneur de votre lettre, et je vous remercie d'abord de la bonté que vous avez eue de donner pour moi à un ami des graines de vers à soie. Il est encore tems sans doute de les envoyer durant le mois d'Avril, et même au commencement de Mai; car dans les Alpes et en Allemagne les chaleurs ne viennent pas si tôt. En tout cas il vaut mieux le hazarder: je souhaite que les graines soient de bonne race. En mettant le papier dans une petite boëte de fer blanc, je crois que les graines demeureront plus fraiches.

A l'égard de la comparaison entre l'instant et l'unité, j'ajoute encore que l'unité est une partie du nombre plus grand que l'unité; mais que l'instant n'est pas à proprement parler une partie du tems. Car dans le stile au moins des Mathématiciens le tout et la partie doivent être homogènes.

Quant à la grande question, s'il est possible de démontrer par raison quelle hypothèse, savoir du rectangle, du triangle ou de l'hyperbole [1]), est préférable dans la constitution de l'Univers, je crois qu'il faudroit s'attacher à un raisonnement rigoureux en bonne forme. Car comme en Métaphysique on n'a pas l'avantage des Mathématiciens de pouvoir fixer les idées par des figures, il faut que la rigueur du raisonnement y supplée, laquelle ne peut guères être obtenue en ces matières qu'en observant la forme Logique. C'est ce que j'ai observé plus d'une fois; et j'ai remarqué que Mr. Descartes et Spinosa s'écartant de la rigueur de la forme dans leurs prétendues démonstrations Métaphysiques, sont tombés dans des paralogismes. Ainsi je vous prie, Monsieur, de penser, comment vous pourriez réduire vos raisonnemens là-dessus à une forme due; car je n'en vois pas encore le

[1]) Adhibuerat Leibnitius, cum in Ep. IV. ad Bourguetum (v. p. 737.) de eo ageret num natura semper eadem maneat an perfectior evadat, figuras geometricas easque literis instruxerat. Quippe litera A designaverat duas lineas parallelas quae cum eandem semper servent distantiam perpendiculis conjunctae rectangulum forment; — literam B imposuerat figurae Hyperbolam cum Asymptote repraesentanti, inter quas distantia etsi usque ad infinitum decrescit tamen numquam desinit. Denique litera C inscripta erat duabus lineis rectis sese secantibus, quae dum conjunguntur trianguli latera se exhibent. Quas figuras hic Bourgueto in memoriam revocat.

moyen. Sans cela il y aura toujours des remarques et des répliques à faire, sans qu'on sache, si l'on est bien avancé ou non.

Vous avez raison, Monsieur, de dire que de ce que les êtres finis sont infinis en nombre, il ne s'ensuit point que leur système doit recevoir d'abord toute la perfection dont il est capable. Car si cette conséquence étoit bonne, l'hypothèse du Rectangle seroit démontrée.

Je crois aussi que le résultat en est véritablement infini, et ne doit pas être comparé à une suite infinie de nombres dont la somme est finie. Mais un infini pour parler selon notre portée, est plus grand qu'un autre, par exemple, la somme de cette série $\frac{1}{1} + \frac{1}{2} + \frac{1}{3} + \frac{1}{4} + \frac{1}{5}$ etc. à l'infini est infini et surpasse tout nombre assignable; mais cependant la somme de cette autre série $\frac{1}{1} + \frac{1}{1} + \frac{1}{1} + \frac{1}{1} + \frac{1}{1}$ etc. à l'infini est infiniment plus grande que la précédente. Ainsi la perfection du système, tout infinie qu'elle seroit, ne seroit pas pour cela la plus grande possible, mais y approcheroit toujours.

Les idées ou essences sont toutes fondées sur une nécessité indépendante de la sagesse, de la convenance et du choix; mais les existences en dépendent.

Quand même le Rectangle auroit lieu, il n'y auroit point de production de la sagesse coëternelle avec elle; car ses productions changent toujours. Une production nécessaire ne doit point être sujette au changement.

Chaque état de l'Univers est toujours limité en perfection, quand même le précédent seroit égal en perfection au suivant: car tous deux ensemble enveloppent plus de perfections, que l'un seul. C'est aussi pour cela que le changement est à propos, afin qu'il y ait plus d'espèces ou formes de perfection, quand même elles seroient égales en degrés. Encore en Dieu l'idée de l'ouvrage précède toujours l'ouvrage; l'état présent des choses étoit toujours préconnu.

Vous avez raison, Monsieur, de juger que Madame la Princesse de Galles doit avoir une élévation d'esprit admirable, puisqu'elle entre si avant dans des matières si sublimes. Je vous dirai pour le confirmer, qu'elle a lu la Théodicée plus d'une fois, et avec goût; et qu'elle s'est moquée de ceux qui l'avoient voulu détourner de cette lecture, sous prétexte que les choses y étoient trop abstraites.

Le Professeur de Lausanne n'étoit pas obligé de connoitre mon Harmonie préétablie, mais n'y entendant rien, il pouvoit se dispenser de la mépriser. Le meilleur est que son jugement là-dessus ne sera point mis en ligne de compte, non plus que celui de Mr. Puffendorf sur la question si la moralité dépend de la volonté de Dieu. Il s'est mis un peu trop en colère, voyant que je ne faisois pas un assez grand cas de son auteur sur cette matière de la source de la moralité. Au reste je suis avec passion etc. A Hannover ce 3. d'Avril 1716.

P. S. La nouvelle du massacre des Jésuites à la Chine a été fausse. Le Monarque de la Chine s'est réconcilié avec son héritier. Le Roi de Portugal sollicite pour les Jésuites en Cour de Rome, et ne veut point qu'on publie à Macao la Constitution du Pape contre les Rites chinois. Les Moscovites continuent toujours leur Caravane pour aller à la Chine. Il y a à Pekin un Temple de la Religion Grecque.

Mr. Hobbes a déjà eu la pensée que la Lune tournoit à l'entour de son axe. Il faut joindre les raisonnemens aux observations. Mr. Flamstead, grand observateur Anglois, m'a fait savoir, qu'il n'est pas encore d'accord avec Mr. Newton en bien des choses. Si le mouvement de la Lune étoit assez connu, nous aurions déjà les longitudes en Mer.

LETTRE VII.

Monsieur,

Comme vous m'avez demandé une recommandation pour Mr. Malpac, j'ai écrit en droiture à Mr. Chamberlaine, personnage célèbre, Auteur de l'Etat présent de la Grande Bretagne, et je l'ai prié d'être favorable à Mr. Malpac, s'il vient le trouver à Londres. Il y a une espèce de conférence ou assemblée chez Mr. Chamberlaine, de sorte que sa connaissance servira à Mr. Malpac pour en avoir encore d'autres.

Il est très sûr que chaque état de l'Univers enveloppe l'infini; et même qui plus est, chaque partie de l'Univers en enveloppe aussi, dont la raison est que chaque Partie de la matière est actuellement sousdivisée et contient quelque variété réglée. Autrement il y auroit dans la Nature quelque chaos, ou au moins quelque chose d'informe.

Mr. Clark pour combattre ma maxime, que rien n'arrive sans une raison suffisante, et pour soutenir que Dieu fait quelque chose par une pure volonté absolument sans aucune raison, a allégué que l'espace étant par-tout uniforme, il est indifférent à Dieu d'y placer les corps. J'ai répondu que cela même prouve que l'espace n'est pas un être absolu, mais un ordre, ou quelque chose de relatif, et qui ne seroit qu'idéal, si les corps n'y existoient point. Autrement il arriveroit quelque chose dont il n'y auroit aucune raison déterminante. Je dis encore là-dessus, qu'il en est de l'espace comme du tems; que le tems séparé des choses n'est pas un être absolu, mais une chose idéale; et que pour cette raison on ne peut point demander, pourquoi Dieu n'a pas créé le Monde mille ans plutôt? car le tems n'étant que ce rapport des successions, ce seroit la même chose, et la différence ne consiste que dans une fiction mal entendue. Autrement il faudroit avouer que Dieu auroit fait quelque chose sans raison, ce qui étant une absurdité, il faudroit recourir à l'éternité du Monde.

Si le Rectangle avoit lieu dans l'ordre des choses, il faudroit avouer que les productions de la Sagesse Divine seroient coëternelles avec elle, et que chaque substance auroit été éternelle a parte ante, comme je crois qu'elle le sont toutes a parte post.

La doctrine des Comètes est encore assez obscure, et l'immense grandeur de leurs queues est fort embarrassante: la postérité en jugera mieux que nous, après un grand nombre d'observations.

Les observations Astronomiques les plus utiles pour à présent, seroient celles qui serviroient à régler le cours de la Lune, que nous ne connoissons pas encore avec assez de précision.

J'ai fait ma cour au Czar aux eaux de Pirmont, et aussi ici, puisque Sa Majesté est demeurée deux nuits après son retour des eaux à une maison de plaisance toute proche d'ici. Je ne saurois assez admirer la vivacité et le jugement de ce grand Prince. Il fait venir des habiles gens de tous côtés, et quand il leur parle, ils en sont tout étonnés, tant il leur parle à propos. Il s'informe de tous les arts mécaniques: mais sa grande curiosité est pour tout ce qui a du rapport à la navigation; et par conséquent il aime aussi l'Astronomie et la Géographie. J'espère que nous apprendrons par son moyen, si l'Asie est attachée à l'Amérique. Je suis avec zèle etc.

Hanover ce 2. Juillet 1716.

XCVIII.
EXTRAIT D'UNE LETTRE
A
Mr. DANGICOURT.
1716.

(Epist. ad diversos ed. Kortholt. Vol. III. p. 283. Leibn. Opp. ed. Dutens Tom. III. p. 499.)

Je suis ravi, qu'un esprit, aussi Mathématicien, que le vôtre s'applique aussi à des recherches philosophiques. Cela aidera à mon dessein de rendre la Philosophie démonstrative. Il me semble que nos sentimens ne sont pas fort éloignés l'un de l'autre. Je suis aussi d'opinon, qu'à parler exactement il n'y a point de substance étendue. C'est pourquoi j'appelle la matière non substantiam sed substantiam. J'ai dit en quelques endroits (peut-être de la Théodicée, si je ne me trompe) que la matière n'est qu'un phénomène réglé et exact, qui ne tromp point, quand on prend garde aux règles abstraites de la raison. Les véritables substances ne sont que les substances simples ou ce que j'appelle Monades. Et je crois qu'il n'y a que de monades dans la nature, le reste n'étant que les phénomènes qui en résultent. Chaque monade est un miroir de l'univers selon son

point de vue, accompagnée d'une multitude d'autres monades, qui composent son corps organique, dont elle est la monade dominante. Et en elle-même il n'y a que perceptions et tendances à des nouvelles perceptions et appétits, comme dans l'univers de phénomènes il n'y a que figures et mouvemens. La monade donc enveloppe par avance en elle ses états passés ou futurs, en sorte qu'un omniscient l'y peut lire; et les monades s'accordent entr' elles, étant des miroirs d'un même univers à l'infini, quoique l'univers même soit d'une diffusion infinie. C'est en cela que consiste mon Harmonie préétablie. Les monades (dont celles qui nous sont connues sont appelées ames) changent leur état d'elles-même selon les loix des causes finales ou des appétits, et cependant le régne des causes finales s'accorde avec le régne des causes efficientes qui est celui des phénomènes. Cependant je ne dis point que le continuum soit composé de points géométriques, car la matière n'est point le continuum et l'étendue continuelle n'est qu'une chose idéale, consistant en possibilités, qui n'a point en elle des parties actuelles. Les touts intellectuels n'ont des parties qu'en puissance. Ainsi la ligne droite n'a des parties actuelles qu'autant qu'elle est actuellement sous-divisée à l'infini, mais s'il y avoit une autre ordre des choses, les phénomènes feroient, qu'elle seroit autrement sous-divisée. C'est comme l'unité dans l'Arithmétique, qui est aussi un tout intellectuel ou idéal divisible en parties, comme par exemple en fractions, non pas actuellement en soi, (autrement elle seroit reduisible à des parties minimes qui ne se trouvent point en nombres), mais selon qu'on aura des fractions assignées. Je dis donc que la matière qui est quelque chose d'actuel, ne résulte que des monades c'est-à-dire de substances simples indivisibles, mais que l'étendue ou la grandeur géométriques n'est point composée des parties possibles qu'on y peut seulement assiguer, ni résoluble en points, et que les points aussi ne sont ques extrémités, et nullement des parties ou composant de la ligne. —

XCIX.

RECUEIL DE LETTRES

ENTRE LEIBNIZ ET CLARKE

SUR DIEU, L'AME, L'ESPACE, LA DUREE ETC.

1715—1716.

(Des Maizeaux Recueil etc. Tom I. Leibn. Opp. Ed. Dutens Tom II., P. I. p. 110.)

PREMIER ÉCRIT DE MR. LEIBNIZ.

Extrait d'une Lettre de Mr. Leibniz à S. A. R. Madame la Princesse de Galles, écrite au Mois de Novembre, 1715.

1. Il semble que la Religion Naturelle même s'affoiblit extrêmement (en Angleterre). Plusieurs font les ames corporelles, d'autres font Dieu lui même corporel.

2. Mr. Locke et ses Sectateurs doutent au moins, si les ames ne sont point matérielles, et naturellement périssables.

3. Mr. Newton dit que l'Espace est l'organe, dont Dieu se sert pour sentir les choses. Mais, s'il a besoin de quelque moyen pour les sentir, elles ne dépendent donc pas entiérement de lui, et ne sont point sa production.

4. Mr. Newton et ses Sectateurs ont encore une fort plaisante opinion de l'Ouvrage de Dieu. Selon eux, Dieu a besoin de remonter de tems en

tems sa montre, autrement elle cesseroit d'agir. Il n'a pas eu assez de vue, pour en faire un mouvement perpétuel. Cette machine de Dieu est même si imparfaite selon eux, qu'il est obligé de la décrasser de tems en tems par un concours extraordinaire, et même de la racommoder, comme un horloger son ouvrage; qui sera d'autant plus mauvais maitre, qu'il sera plus souvent obligé d'y retoucher et d'y corriger. Selon mon sentiment, la même force et vigueur y subsiste toujours, et passe seulement de matière en matière, suivant les loix de la Nature, et le bel ordre préétabli. Et je tiens, quand Dieu fait des miracles, que ce n'est pas pour soutenir les besoins de la Nature, mais pour ceux de la Grace. En juger autrement, ce seroit avoir une idée fort basse de la sagesse et de la puissance de Dieu.

PREMIÈRE RÉPLIQUE DE MR. CLARKE.

1. Il est vrai, et c'est une chose déplorable, qu'il y a en Angleterre, aussi-bien qu'en d'autres pays, res personnes, qui nient même la Religion Naturelle, ou qui la corrompent extrêmement; mais, après le déréglement des moeurs, on doit attribuer cela principalement à la fausse Philosophie des Matérialistes, qui est directemnet combattue par les principes mathématiques de la Philosophie. Il est vrai aussi, qu'il y a des personnes, qui font l'ame matérielle, et Dieu lui-même corporel; mais ces gens là se déclarent ouvertement contre les principes mathématiques de la Philosophie, qui sont les seuls principes qui prouvent que la matière est la plus petite et la moins considérable partie de l'Univers.

2. Il y a quelques endroits dans les écrits de Mr. Locke, qui pourroient faire soupçonner avec raison, qu'il doutoit de l'immatérialité de l'ame; mais il n'a été suivi en cela que par quelques Matérialistes, ennemis des principes mathématiques de la Philosophie, et qui n'approuvent presque rien dans les ouvrages de Mr. Locke, que ses erreurs.

